




VE RI
TAS



M. TERENTII VARRONIS

SATURARUM MENIPPEARUM

RELIQUIAE.

EDIDIT

FRANC. OEHLER.

PRAEMISSA EST

COMMENTATIO

DE

M. TERENTII VARRONIS SATURA MENIPPEA.

QUEDLINBURGI ET LIPSIAE.

TYPIS ET SUMPTIBUS GODOFR. BASSI.

MDCCCXLIV.

ILLUSTRISSIMO . ET . MAXIME.

VENERABILI . VIRO

JO. ALB. FRID. EICHHORN

IN . REGNO . BORUSSICO . RERUM . AD . RELIGIONIS . CULTUM.
INSTITUTIONEM . PUBLICAM . ET . ARTEM . MEDICAM . PERTINENTIUM.
SUMMO . PRAESIDI . SUMMORUM . ORDINUM . EQUITI.

EA . QUA . PAR . EST . VERECUNDIA.

CRITICAE . ARTIS . TENUE . MONUMENTUM.

DEDICAT . ATQUE . CONSECRAT.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Varronis fragmenta per saecula plura ita jacuerunt omni corruptelae faece coinquinata, ut, quum intelligi satis non possent, eorum cum fructu usus in doctorum studiis aliquis vix esset. Itaque non vereor, ne viris doctis laborem inutilem et supervacaneum suscepisse videar quum illa fragmenta emendare et illustrare conarer; quamquam non sum ignarus, has criticas curas in scriptore tam mutilato positas iniquius vulgo haberi: si quidem fructus operis suscepti laboribus ullo modo pares non videantur inde redundare. Sane verissimum hoc: neque tamen hanc esse causam puto satis idoneam, ut, qui doctrinae antiquariae vexilla sequantur, aspernentur haec studia et tempus et otium sibi perdere in iis arbitrentur. Jam si quibuscunque literarum philologarum cultus diligentior cordi est tueri haec studia debent, quae veterum monumentorum faciem sorde et illuvie levandam suscipiunt fontesque repurgant, quibus jugiter quasi irrigantur doctrinae antiquariae campi: quanto magis condonandum erit juveni, nullo ingenii partu adhuc nobili, si disciplinam, cui sese addixit, qualibuscunque suis lucubrationibus ab ea potissimum parte augere nunc studuerit, qua

scatent viae asperitatibus atque vepreculis, inter graviora studia saepe non sine taedio et importuno otii impendio superandis. Accinxi me igitur ad Varronem edendum, cujus reliquiis colligendis, emendandis et illustrandis jam ultimis quos in Academia studiorum gratia versabar annis diligenter intentus eram, speroque fore, ut non prorsus nihili aestimetur opera mea et cura in hoc libro collocata, qua tum Varronis nomen illud per totam antiquitatem concelebratissimum studebam digniore quadam quam qua adhuc gaudebat inter nos memoria ornare, tum ad Nonium Marcellum emaculandum et in pristinam suam integritatem restituendum aliquid pro virili parte contribuere, cujus Grammatici novam editionem, a diligentissima Lindemanni manu curatam, proximi anni exspectant. Varronianorum fragmentorum primam offero particulam, continentem Menippearum Saturarum reliquias, quae quum ab ipso auctore ceteris operibus prius essent conscriptae, nunc dignae videbantur esse, quarum fragmenta prius ederentur. Opera autem nostra in his posita, si quando futurum sit, ut aliquam laudem apud aequos et benignos, qui libro sedebunt, judices consequatur: non deerit profecto, quominus alterum brevi volumen sequatur, reliquorum operum Varronianorum fragmenta continens. — Jam vero paucis ratio danda erit, quomodo in elaborando meo opusculo versatus sim. Nova subsidia, quibus succurrerem hisce omnium corruptissimis fragmentis, quorum maxima pars apud Nonium exstat, praeter alia quaedam opera, quibus Gerlachius et Rothius, novissimi ejus Grammatici editores, non sunt usi, attulit imprimis J. Laurenbergi Antiquarius (L. B.

1622. in 4.), qui liber suppeditabat scripturas multas nequaquam spernendas, imo locis aliquot desperatissimis unus medicinam afferre visus est: sic, ut modo unum laudem, illi, qui ex *Sesquiulixe* (fr. 24.) servatus exstat ap. Non. p. 247, 25. ed. Merc. s. v. „Album", ubi verba „*album est mare*," quae in omnibus Nonii Codicibus, quotquot innotuerunt hucusque, desiderantur, a solo Laurenbergo servata sunt, haud dubie, ut equidem certe judico, ex libro MS. quodam vetustissimo nunc deperdito. Libris enim veteribus Grammaticorum nonnullorum in concinnando suo Antiquario iisque ad partem optimis Laurenbergum instructum fuisse, quamquam id ipse quidem diserte non profitetur, tamen apparebit ei, qui librum perlustrabit scripturasque citatarum in eo scriptorum veterum reliquiarum cum iis comparabit, quae vulgo circumferuntur. Sed ad meum ipsius opusculum redeundum est. Virorum doctorum conjecturas et emendationes a novissimis Nonii editoribus diligenter adnotatas multisque locis a me auctas, ineptioribus et inutilioribus quibusque omissis, una cum Codicum Mss. quarum mentionem facere interesse videbatur lectionibus in adnotationibus summa et religiosissima qua poterat fide recensui: eo potissimum motus consilio, ut, si quando minus placeret nostrum judicium, quicunque legeret sibi quae magis placerent eligeret. Denique in Commentationis quae ipsis Saturarum fragmentis praemissa est capite primo si cui minus plene dixisse videbor, is reputet, quaeso, in materia, quam eo in capite tractavi, plene dicere mea minus interfuisse (neque enim hoc opus videbatur esse), quam errores quosdam ex falsa Grammaticorum

locorum interpretatione ortos refutare, quos passim vel hodie foveri a viris doctis videbam. Quo in studio si recte a me judicatum esse ii viri censebunt, gaudebo: sin minus, ignoscent.

His dictis non amplius habeo, quae opusculo praemittam, nihilque superest, nisi ut has Musarum mearum primitias aequo virorum doctorum judicio commendem. Quod si futurum sit, ut aliquam laudem reportent, gratulabor mihi neque aegre feram, importunos haud raro taediique plenos labores Varroni me impendisse.

Scribebam Quedlinburgi Kalend. Oct. MDCCCXLIV.

COMMENTATIO

DE

M. TERENTII VARRONIS

SATURIS MENIPPEIS.

PROOEMIUM.

Recolenti prisci aevi memoriam sedulaque cura pertractanti innumerae causae occursant, quod decurtatam illam plurimorum monumentorum interitu et studiis et delectationi nostrae praereptam esse aegre ferat. Haud tamen scio, an gravior sit aut justior dolor, quam quo eorum virorum opera intermortua esse lugemus, qui fere in omni doctrinae genere ita excelluerunt, ut, quemadmodum suae aetati exstiterant artium literarumque duces, ita posterorum quoque seculorum studiis possent tanquam aditus recludere munireque vias, per quas ad antiquitatem accuratius ac melius cognoscendam pervenire liceret. Quorum in numero utrum jure an injuria comprehendatur M. Terentius Varro, dijudicare non meum est: nt quem et sua et sequens aetas tanto sunt honore tantaque laude prosecutae ob insignem in omnis fere doctrinae omni parte scientiam, ut veluti uno ore clamarent Romanorum eum longe eruditissimum [1]). Quis est? qui ignoret Ciceronis verba, quibus infinitam paene viri eruditionem describit, haec: *„Nos in nostra urbe per–*

---

[1]) V. vett. scriptt. de Varrone judicia ac testimonia ap. Auson. Popmam praefixa ejus Opp. Varr. editioni. (L. B. 1601 in 8.)

egrinantes errantesque tanquam hospites tui libri quasi domum deduxerunt, ut possemus aliquando, qui et ubi essemus, agnoscere. Tu aetatem patriae, tu descriptiones temporum, tu sacrorum jura, tu sacerdotum, tu domesticam, tu bellicam disciplinam, tu sedium, regionum, locorum, tu omnium divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, causas aperuisti, plurimumque poetis nostris omninoque Latinis et literis luminis attulisti et verbis, atque ipse varium et elegans omni fere numero poema fecisti, philosophiamque multis locis inchoasti, ad impellendum satis, ad edocendum parum" [2]). Et tamen in tam multiplici, quae justis laudibus a Cicerone effertur viri scientia, nescio fere, an etiam magis sit admiranda vel miranda, rectius dicam, summa illa studiorum strenuitas et assiduitas indefessa, qua istam literis mandare studuit, et tantam operum multitudinem nec eam materiae varietati imparem condidit, ut octogesimum quartum aetatis annum ingressus septuaginta librorum hebdomades, hoc est quadringentos nonaginta libros conscripsisse sese gloriari posset [3]): ut revera non nimis praedicaverit eum Augustinus „*tam multa legisse, ut aliquid ei scribere vacasse miremur, tam multa scripsisse, quam multa vix quemquam legere potuisse credamus*" [4]). — Sed postquam vivo adhuc Varrone acciderat, ut indignissimo quodam fortunae casu bibliothecae ejus ab impiis militum manibus diriperentur adeo, ut aliquammulti libri inde postea non comparerent, reliquis operibus, quae plurima et numerosissima erant, medii aevi incuria et pravitas illiterataeque monachorum manus tam fuerunt perniciosae, ut paene cuncta perirent. Sic praereptos nostrae aetatis studiis praeter alios multos lugemus Disciplinarum, Rhetoricorum, Com-

---

[2]) Cic. Acad. Quaest. I, 3, 9.
[3]) Gell. N. A. III, 10.
[4]) August. De Civ. D. VI, 1.

plexionum, Epistolicarum Quaestionum libros, lugemus Hebdomadum, Annalium et quos de Vita P. R. et de Gente P. R. conscripsit, inprimis vero illos Antiquitatum Rerum Humanarum atque Divinarum libros, consummatae antiquitatis scientiae reconditiorisque doctrinae Varronis olim locupletissimos testes: qui si vel soli commune naufragium effugissent, aliquomodo certe compensata fuisset ingens ceterorum operum jactura, qua gravior ulla literis nostris accidere non potuit. Sed perierunt hi Antiquitatum libri, perinde atque ceteri perierunt; gliscetque etiamnunc in nostris animis pium illorum desiderium, quando legimus codicem aliquem a Francisco Petrarcha puero adhuc inspectum esse, quo comprehensi fuerint: licet de integritate testimonii, quo id traditum est, omnino non ita exploratum sit, ut virorum doctorum conjectura multum periclitari videatur, qua libros Antiquitatum seculum septimum non attigisse statuerunt [5].

---

[5]) Cf. L. H. Krahner. Comment. de M. Terentii Varronis Antiquitatum R. H. atque D. libris. p. 30 sqq. (Hal. Sax. 1834.), qui affert verba Petrarchae (ex hujus Epistolis ad Viros III. Vet. 5): „Nonnullae tamen extant vel admodum lacerae horum operum (Varronis) reliquiae, e quibus aliquas pridem vidi, et recordatione torqueor summis, ut ajunt, labiis gustatae dulcedinis; et *ea ipsa praecipue Divinarum et Humanarum libros, qui nomen tibi sonantius pepererunt, adhuc alicubi forsitan latitare suspicor*, eaque multos jam per annos me fatigat cura, quoniam longa quidem et sollicita spe nihil est importunius in vita.“ Quanam editione Petrarchae operum usus sit Krahnerus, nescio. Sed in optima Basileensi, quae prodiit a. 1581, p. 709 iste locus prorsus alius est: „Nullae tamen restant, vel admodum lacerae tuorum operum reliquiae, licet divinarum et humanarum rerum libros puerum me vidisse meminerim, ut recordatione torquear summis, ut ajunt, labiis gustatae dulcedinis; hos alicubi forsan latitare suspicor.“ Quare nolim temere assentiri Krahnero, qui illa verba secutus fidem famae prorsus denegat, primum ejus auctorem fuisse putans Mehusium in Vita Ambros. Travers. T. I. p. 216. Florent. 1722; quem sequuntur Villoisonus in Anecdott. Indice v. Varro, et A. Maius in praefat. ad Cic. lib. de Republ. —

Haec enim conjectura etiam iis videtur aliquomodo firmari posse, quae de Gregorii Magni Pontificis nescio utrum dicam pio an impio furore memoriae mandata sunt, quo scilicet ille inter alios scriptores Varronis quoque opera igni cremanda curaverit [6]). Quod si non commentum est, ut vero quibusdam visum est, Antiquitatum Rerum Humanarum atque Divinarum libros omnium minime praeceps excidium effugisse tibi probabile erit, si memineris, fieri non potuisse, quin, quae erat illius aevi in his rebus pravum ac perversum judicium, ii libri tanquam pro sede et segete profanarum superstitionum a plebecula ecclesiastica haberentur, digni nimirum prae ceteris, qui in praeceps supplicium dederentur stirpitusque exstinguerentur [7]). — Sed aliae quoque nec leviores causae appellari possunt, quibus factum sit, ut tot tantaque Varronis opera interirent. Quo pertinet ipsorum voluminum, quibus illa comprehendebantur et magnitudo et multitudo; quippe quae quominus librorum corpora integra continerentur aut crebris exemplaribus multiplicarentur, maximo impedimento non esse non potuerunt. Erat haud dubie in ipso quoque Varronis scribendi genere, quod libris ejus servandis perniciosum fuerit. Grave

---

[6]) Procul dubio enim ad Gregorium M. referenda sunt, quae de septimo ejus nominis Pontifice narrantur in Naudaeanis et Patinianis p. 37 (Amstel. 1703. 12): „Machiavell et Cardan ont dit que Gregoire VII. avoit fait brûler tous les oeuvres de Varron, qui fuit Romanorum doctissimus, ne ex ejus libris plagii posset insimulari divus Augustinus, qui suos libros de Civitate Dei totos ex Varrone descripsisset. Aliqui negant factum, mais cela n'est pas aisé à croire; ce Pape en avait bien fait et entrepris d'autres.“ Vide de hoc loco quae adnotavit Krahnerus l. l. p. 31 sq. Narrationis fidem desideravit Daunou in Biograph. Univers. tom. 47. in Varrone. — Cf. Heeren. Hist. Lit. Class. per med. aev. tom. I. p. 78 sqq.

[7]) C. Barthius Advers. XXXVIII, 11: „Sed superstitionum priscarum recensiones offenderunt monachum, quae etiam sine dubio causa est, cur Varronis scripta prorsus interirent.“

enim plerumque illud fuisse et durum, vocabulis obsoletioribus ac vetustate paene obesis refertum, praeter alia testimonia, ipsa deperditorum fragmenta maximo documento sunt: quae si perlegeris, tu non Ciceronianae et probae aetatis scriptorem, sed Ennii Pacuviique aequalem ob oculos habere tibi videberis. Nec verbis absona materia fuit; qua, ut erat non ex vulgari doctrina, sed ex reconditioribus antiquitatum fontibus dehausta, non minus quam impedito illo orationis habitu arbitror taedio affectos esse umbratiles istos monasteriorum incolas et quasi deterritos, quominus sedulis curis opera Varronis tractarent aut servarent. Et tamen dubito, quin horum inscitia gravior esse illis potuerit, quam aliorum solertia, qui tanquam pro jugibus fontibus Varronis scriptis sunt usi, quibus steriles suos hortulos irrigarent atque paullo fecundiores redderent. In quorum numero non solum ecclesiasti patres multique de trivio Grammatici habendi sunt, de quibus non opus est hic pluribus memorare, verum etiam illi nescio qui homines, qui sententias ac proverbia ex libris Varronis excerpserunt.

Quod enim pluribus scriptoribus accidit, qui sententiarum vel crebritate vel pondere excelluerunt, ut nervis exsectis corruerent et dissolverentur, id etiam Varroni propter ponderosam et sententiosam gravitatem, qua ejus oratio excelluit [8]), inter primarias causas ruinae fuisse existimandum est. Ejusmodi sententiarum ex Varronis operibus excerptarum syllogen quandam primus invenit olim in scheda non admodum vetusta indeque transcripsit in

[8]) V. nos infra hujus commentationis c. IV. Interim sufficiat locus Augustini (De Civ. D. VI, 2.): „Quis M. Varrone curiosius ista quaesivit? quis invenit doctius? quis consideravit attentius? quis dinstinxit acutius? quis diligentius pleniusque conscripsit? qui, tametsi minus est suavis eloquio, doctrina tamen *et sententiis ita refertus est*, ut in omni eruditione, quam nos saecularem, illi autem liberalem vocant, *studiosum rerum* tantum iste doceat, quantum *studiosum verborum* Cicero delectat“.

Adversariorum libros Casp. Barthius [9]). Hanc syllogen repetitam a Fabricio in Bibliotheca Latina [10]) auxit postea triginta una novis sententiis ex Vincentii Bellovacensis Speculo Doctrinali atque Historiali J. G. Schneiderus, quas una cum illis, ne diutius in sterquilinio ac latebris istis laterent, tanquam coronidem adjecit suae disputationi de M. Terentii Varronis Vita ac Scriptis, quae exstat in ejus Scriptt. R. R. tom. I, P. II, p. 241 sqq. — His duabus, quae ante erant institutae sententiarum istiusmodi ex Varrone excerptarum collectionibus novissimo tempore accessit tertia multo locupletior, quam ex duobus codicibus manu exaratis, qui asservantur in bibliotheca Seminarii Patavini, unoque e codice Vicetino concinnatam edidit Vincentius Devitus in Seminario Patavino Professor [11]). Continet ea quas in suis codicibus, quibus usus est, Devitus invenit, centum quinquaginta septem sententias; additis aliunde ceteris, factae sunt centum sexaginta quinque, quo numero simul illae comprehenduntur, quae a Barthio et a Schneidero jam olim erant divulgatae.

Gratulandum quidem est nobis omnibus, quotquot in his studiis versamur, non minus de his ipsis antiquis monumentis patefactis, quam de editoris eruditione ac diligentia, qua in iis emendandis explicandisque versatus est. Sed dum studiosius opusculi pagellas oculis percurrimus, quae-

---

[9]) C. Barth. Adv. XV, 19.

[10]) Fabric. Bibl. Lat. I, p. 132 sqq. ed. Lips. (tom. II, p. 84 ed. Hamb.).

[11]) Libri titulus est: „Sententias M. Terentii Varronis majori ex parte ineditas ex codice MS. Bibliothecae Seminarii Patavini edidit et commentario illustravit Dr. Vincentius Devit, Academiae Lipsiensis Socius atque in Seminario Patavino Professor. Accedunt alia Varronis ejusdem fragmenta et duo M. Tullii Ciceronis, nondum inter ea, quae vulgo eduntur, descripta, et specimen quoddam operis moralis philosophiae Venerabilis Hildeberti, quod in eodem codice habetur“. Patavii typis Seminarii MDCCCXLIII. 8. 100 pag.

dam desideramus, quae adesse debebant. Fugerunt enim Devitum quae viginti quinque abhinc annos adnotata sunt a Spangenbergio in Bibliotheca Crit. Vol. I, p. 89 (Hildes. 1819.). Scilicet Spangenbergius indagasse sibi visus fontem, ex quo Casp. Barthius sententiarum Varronis syllogen suam hauserit, indicavit eum esse librum quendam nunc quidem obscuriorem Jacobi de Thessalonica sive ut alias nuncupatur, Jacobi de Cessolis, cui inscriptum: „De moribus hominum et de officiis nobilium super ludo scaccorum. Mediol. 1479.“ [12]). Hujus in capitibus „De Lanificio“ et „De Causa Inventionis“ inscriptis illae sententiae exhibentur non aliter, quam si sint desumptae ex libro aliquo Varronis „Sententiae“ inscripto: nam ubique citatur „*Varro in sententiis*“. Ejusmodi vero librum ab hoc compositum esse, parum est veri simile, quum alias ob causas, tum maxime propterea, quod apud nullum probae vetustatis scriptorem ejus fit mentio [13]). Quare, quum praesertim oratio quoque illarum

[12]) Ejus libri exemplar manu exaratum exstat in Biblioth. Univers. Gotting. Germanica ejus versio prodiit Argentorati a. 1483 sub hoc titulo: „*Diss büchlein weiset die ausslegung des schachzabelspils und menschlicher sitten. Auch von den ampten der edeln*“. Vide Spangenb. l. l.

[13]) Cui meae sententiae illud posse opponi fortasse aliquis dicat, quod illa proverbia ita fere solent citari ab iis qui servarunt scriptoribus, tanquam sint Varroniani stili. Barthii exemplari erant inscripta verba: „*M. Varro dixit*,“ quae etiam leguntur in Cod. Patav. II sententiis, quas exhibet, praefixa. Plenius inscriptum est Cod. Vicetino: „Ex libro morali, in quo multa utilia et laudabilia continentur, quem Varro scripsit *ad Atheniensem auditorem*:“ cum quibus fere congruunt verba Vincentii Bellovacensis in Spec. Hist. VII, 58: „Extant igitur sententiae Varronis ad *Atheniensem auditorem* morales atque notabiles, de quibus has paucas, quae sequuntur, excerpsi.“ Neque is aliter solet aliis locis citare illas, ubique praemittens verba: „*Varro ad Atheniensem*“ vel: „*Varro ad Atheniensem auditorem*,“ aut etiam simpliciter: „*Varro in sententiis*,“ ut in Spec. Doctr. V, 168. VI, 12. Magis absonum fert titulum sibi praefixum Cod. Patav. I. hunc: „Incipiunt Proverbia Varronis *ad Paxianum*,“ qui repetitur in indice libri in

sententiarum innumera habeat corruptissimae Latinitatis indicia, multo rectius sequioris aevi compilatorem aliquem pro

fine addito. — Atque his in inscriptionibus sat praesidii invenisse sibi visus est Devitus, ut proverbia ab ipso Varrone conscripta esse putaret, sub hoc nempe titulo: „Praecepta ad P. Axianum Atheniensem auditorem“ vel „Ad P. Axianum Ath. audit.“ sc. liber vel epistola. „Ad P. Axianum“ enim (cf. Cic. ad Att. XV, 29, 1.) pro „Ad Paxianum“ in Cod. Patav. I. restituendum esse conjecit Devitus, probante R. Klotz in Annal. philol. et paedag. 1843. tom. supplem. IX fascicc. 4, p. 590. Qua conjectura satis quidem eleganti pararunt sibi hominem ex domo Axiana Ciceroni et Varroni (cf. Gell. VII, 3. Varro de R. R. III, 2, 1. Orelli Onomast. Tull. tom. VII, p. 93, a.) admodum familiari, cui homini scilicet studiorum gratia Athenis versanti Varro librum proverbiorum suum illum inscripserit. Quod autem dicunt Varrone ab ipso esse ejusmodi librum conscriptum, ejus opinionis quam rationem attulerunt, in ea videntur parum caute esse versati. Neque enim debebant mirari, quod in tantillo proverbiorum illorum numero ne unum quidem exstet, quod idem in Varronis operum reliquiis nostrae aetate servatis reperiatur: quippe mirum omnino non est, si, tot tantisque ejus scriptoris voluminibus deperditis, paucularum sententiarum nec vola nec vestigium in eorum reliquiis exstat. Equidem, si quid conjicere licet, potius putaverim sententiarum delectum illum, cujus nunc vestigia patent, si non ex omnibus, certe ex compluribus Varronis operibus factum esse seculo fere quarto vel quinto p. Chr. n. Quod si mecum statueris, neque miraberis amplius de sermone illarum sequioris seculi faece tantopere coinquinato, ut pristinam et antiquam faciem in verbis quidem agnoscere ullam non possis. Ceterum, quod illas ad Atheniensem auditorem aliquem scriptas et concinnatas in ejus usum fuisse testatum facere videntur Codd. Mss. et Vincentius Bellovacensis, in eo fidem meam nolim illis prorsus denegare: parum quidem anxie curans, utrum auditoris nomen fuerit „Paxianus“, an „P. Axianus“, an forte neutrum; quippe constat admodum negligenter esse exaratum librum Patavinum priorem, qui illam inscriptionem „Incipiunt Proverbia Varronis ad Paxianum“ exhibet. Nihil enim refert, quum semel proverbiorum illum delectum ad sequiora secula retulimus, num prisci et sinceri nominis hominem teneamus, nec ne. Certe si quis illud nomen mutandum putaret in „Paccianum“ vel „Pacianum“, (quum constet saepissime et in libris mss. et in lapidibus incisis permutatas esse literas *x*, c et cc,) — quin etiam si aliquis Paciano Barcinonensi Episcopo p. Chr. 390. defuncto, inscripta illa fuisse hariolaretur, cujus libri, si

Varrone substituendum esse arbitror et ab eo sententiosorum locorum proverbiorumque ex illius operibus undique decerptorum corpus collectum et ad anthologiae instar concinnatum esse. Ac sane hujus anthologiae etiam apertius vestigium reperitur in libro a Spangenbergio indicato, cui inscriptum est: „*Liber moralitatum elegantissimus magnarum rerum naturalium Lumen anime dictus cum septem apparitoribus. Nec non sanctorum doctorum orthodoxe fidei professorum. Poetarum etiam ac oratorum auctoritatibus. Per modum pharetre secundum ordinem alphabeti collectus.*“ (Aug. Vindel. 1477. II. tom. fol. auctore Matthia Farinatore) [14]). In eo libro habes Varronis sententias has:

1) „Pro amico saepe mori expedit.“ [15])
2) „Iniquissimum est, bono publico derelicto amare solum se.“ [16])
3) *Varro in sententiis, libro septimo:* „Valde autem tristantur anima et corpus ad sui separationem, et hoc propter naturalem et intimam, quam ad se habent unionem.“ [17])

Barthio Adv. XLIII, 15. credimus, proverbialibus scatent sententiis, — ego sane huic vix magis adversarer quam illi: etsi ignarus sim omnino, an bonus Pacianus unquam Athenis studiis operam dederit. Superest denique monere, ut caveas, illas inscriptiones „Proverbia Varronis ad Paxianum,“ vel „Sententiae Varronis ad Ath. audit.“ ita interpreteris, tanquam genitivo illo „Varronis“ affirmetur, illas sententias revera esse ab ipso Varrone perscriptas. Si enim attentius verba inspexeris, nil tibi significabunt, nisi quod Varro illarum auctor sit. — Atque haec quum ita se habeant, non est quod nostram sententiam nunc amplius retineamus, qua statuimus Proverbiorum Varronianorum anthologiam factam esse et inscriptam Paxiano vel quocunque nomine ille Atheniensis auditor est, non quidem a Varrone, sed a sequioris aetatis quopiam compilatore. Quod quo facilius tibi persuadeas, memineris, philosophorum scholas Athenis usque floruisse ad Iustiniani aetatem. —

[14]) Plura de eo libro invenies ap. Spangenb. l. l.

[15]) Tom. I, tit. 2. init.

[16]) Tom. I, tit. 45.

[17]) Tom. II, c. 9. fin.

4) *Varro in sententiis, libro sexto:* „In nullo avarus bonus, sed in se semper pessimus.“

Vides satis amplum sententiarum Varronis delectum fuisse oportere, quippe liber sextus et septimus ejus citari poterat. Unde possis simul eorum conjecturam alioqui non malam refellere, qui Vincentium Bellovacensem, Codicem Vicetinum Patavinumque priorem secuti, in quibus inscripta sunt illa proverbia „Varronis ad Paxianum“ et „ad Atheniensem auditorem,“ putarunt opusculum ab ipso Varrone conscriptum esse in usum adolescentis amici studiorum gratia Athenis versantis, quem scilicet ille iis praeceptis eleganter et scite admoneri voluisset. Neque enim unquam veri simile est, Varronem elaborasse praeceptorum bonorum molem sex septemve libris comprehensam, qua illum prosequeretur. Sed hactenus de hac re. —

Vidimus igitur causas interitus Varronianorum operum varias fuisse ac tantas, ut vix mirandum esset, praeter libros de L. L. et de R. R., non plura de illis servata esse. Nam liber de Arithmetica, quem ex novem „Disciplinarum“ voluminibus superstitem Romae in bibliotheca Laurentii Strozzii Cardinalis sese vidisse testatur Vertranius Maurus [18]), num forte hodie quoque in Italia alicubi lateat, ignoramus. Sed iniquitas temporum tam multa nobis eripuit, ut paene omnis spes evanuerit, fore, ut de libris Varronis aliquid novi et integri adhuc reperiatur. Eripuit illa etiam lepidissimas Saturas Menippeas, juveniliorum Varronis Musarum munera, nec unam saltem ex tanto earum numero delectationi nostrae salvam esse voluit. Quid?

[18]) in Vita Varronis. Idem testatus est M. Vertranius Alciatus, V. Auson. Popm. l. l. p. 497: „Quem (sc. librum Varronis de Arithmetica) manu descriptum hodie quoque superstitem esse, et Romae in bibliothecis adservatum vidisse testatus M. Vertranius Alciatus hoc amplius se editurum pollicetur, quod tamen, credo, juris civilis professione, in qua maxime excelluit, et graviorum disciplinarum studiis impeditus non praestitit.“ —

quod ne de tempore quidem, quamdiu hae superstites fuerint, certo statui potest, quum certa indicia omnia desint. Nihilominus, quum singillatim simus de Saturis Varronis commentaturi et fragmenta earum edituri, ne forte in chronologicis quaestionibus ad illas spectantibus minus curiose versati esse insimulemur, paullo verbosius explicandum est, quid certe probabiliter statui posse de illo ex indiciis qualibuscunque visum sit.

Atque ad Gellii et Nonii Marcelli usque aetatem nequit dubitari, quin corpus Saturarum integrum exstiterit [19]. Hi enim duo Grammatici soli laudant fragmenta ex libris earum octoginta duobus, ceteri addunt aliarum titulos universi tantum quatuordecim. Etiam qui sequuntur inde ad quinti p. Chr. n. seculi usque initium Grammatici Aurelius Macrobius, Flavius Sosipater Charisius, Diomedes, Porphyrio et Junius Philargyrius, ubicunque laudant Varronis Saturas, ita semper laudant, ut ipsas ob oculos habuisse et manibus suis trivisse appareat.

Novit illas etiam Symmachus, ut facile colligas ex loco ejus L. II, Ep. 4, qui est a Carrione [20] optime ita restitutus: „Studium quidem *Menippei* Varronis imitaris, sed vincis ingenium: nam quae in nostrates viros nunc nuper condis epigrammata, puto Hebdomadon elogiis praenitere; quod haec aeque sobria, nec tamen casca sunt. Illa bono metallo cusa torno exigi nescierunt. Et duriorem mate-

---

[19]) A. Gellii bibliotheca gaudebat exemplaribus spectatae fidei. Gell. N. A. XIII, 30., quod idem de Nonii libris, quibus usus est in concinnando suo opere, affirmari nequit: ut vel ex eo colligi licet, quod inter certarum quarundam Saturarum fragmenta, ut *Bimarci*, *Κοσμοτορύνης*, *π. Φθορᾶς Κόςμου*, *Mutuum Muli Scabunt*, *π. Χωρισμοῦ*, *Modii*, aliarum, multo plura mendose exhibita reperiuntur, quam solent in reliquis. Neque acumen est Nonii, neque diligentia valde laudanda, qua interpretatus est Varronis locos. Exempla eius negligentiae invenies infra *Agath.* fr. 3 in *Sexag.* fr. 18. in *Sesqu.* fr. 8. ubi v. nos in adnott.

[20]) Carrion. Emendatt. II, 19. (Lutet. Paris. 1583.)

riam, nisi fallor, adniteris. Ille Pythagoram, qui animas in aeternitatem primus asseruit, ille Platonem, qui deos esse persuasit, ille Aristotelem, qui naturam bene loquendi in artem redegit, ille pauperem Curium sed divitibus imperantem, ille severos Catones, gentem Fabiam, decora Scipionum, totumque illum triumphalem senatum parca laude perstrinxit. Tu ruinam proximae aetatis illuminas." — Non enim verisimile est, doctum et eruditum Symmachum *Menippei* cognomento Varronem ornaturum fuisse, si non ipsas Menippeas a quibus is ita cognominatus est, perlectas ac bene cognitas habuisset.

Neque esse arbitror, quod Priscianum Caesariensem et Atilium Fortunatianum putemus locos, quos afferunt ex Saturis Varronis, aliorum Grammaticorum commentariis debere. Certe inter ea fragmenta, quae Priscianus affert, nullum est, quod apud alium ullum scriptorem reperi sciam, praeter unum ex Satura *Περὶ Αἱρέσεων*, quod primum est in nostra recensione infra subjecta. Et Atilius Fortunatianus Saturam Varronis *Κυνοδιδασκαλικόν* inscriptam laudans et afferens quaedam ex ea, haec, quamvis essent jam ante a Mario Victorino adnotata, tamen ita affert, ut quin ipso libro sit usus, dubitandi vix locus sit. Verba ejus sunt in capite de Priapeo metro p. 2676. ed. Putsch, ubi postquam de quinta hendecasyllabi divisione disseruit, pergit ita: „Nam secundum primum spondeum est insertus huic hendecasyllabo anapaestus; Jonicum Sotadeum facit sic:

Castae dociles Pierides novem sorores.

Ex quo non est mirandum, quod Varro in *Cynodidascalico* Phalaecion metrum Jonicum Trimetrum appellat." Marius quidem Victorinus de Metris p. 2446 sq. ed. Putsch., qui idem ex Varrone adnotaverat, librum tamen, unde desumpserit, non indicaverat [21]).

---

[21]) In versiculis de quinta tome hendecasyllabi:
„Et quintam breviter tomen loquemur:

Novissimus, quantum ego sciam, Saturarum Varronis meminit Johannes Sarisberiensis, olim Episcopus Carnotensis, in Policratico sive de Nugis Curialium lib. VI, cap. 26 ubi dicit: „Varro in Satyra, quae Menippea inscribitur (sic!) et *De Officio Matrimonii* (sic!) instituta est, ait: Vitium uxoris aut tollendum est, aut ferendum. Qui tollit vitium commodiorem conjugem praestat: qui fert, se ipsum efficit meliorem.“ Idem scriptor ejusdem operis libro VIII, cap. 7. affert locum ex Satura *„Nescis Quid Vesper Serus Vehat,“* suppresso tamen ejus libri titulo. Cave autem, his testimoniis aliquid tribuas: postquam compertum est, Johannem Sarisberiensem nunquam vidisse Varronis libros. Utrumque locum descripsit ex Gellio: ut reliqui quoque loci, quotquot ex Varrone affert, non ex hujus ipsius, sed ex aliorum scriptorum libris fluxerunt [22].

Spondeum si quidem inter et secundum
Quem scis dactylon hic solere poni,
Si trudas anapaestum, inserasque,
Jungas cetera, jam videbis ipsum
Consueto pede Sotadem loquutum:
Carmen Pierides dabunt sorores.
Si dicam lĕpĭdāe palam est profecto
Quod sit pes anapaestus: insero ergo
Spondeo medium atque consequenti
Hoc nomen *lepidae;* sit omne tale:
Carmen lepidae Pierides dabunt sorores.
Idcircum genus phalaeciorum
Vir doctissimus undicunque Varro
Ad legem redigens ionicorum
Hinc natos ait esse, sed minores.

deinceps in carmine de sexta tome hendecasyllabi:

„Nec mirum puto, quando Varro versus
Hos, ut diximus, et Jone natos
Distinguat numero pedum minores.“

[22]) Gell. N. A. XIII, 11 et I, 17. — Reliqui loci, quos Johannes Sarisber. ex Varrone affert, sunt Policr. II, 2, qui petitus est ex Veget. de Re Milit. V, 11; deinde Policrat I, 11 „Varro autem curiosissimus inter philosophos, quattuor species divinationis ab elementis mutuatus est, pyromantiam scilicet, aërimantiam, hydromantiam et geomantiam“ quem locum Sarisberiensis descripsit ex Isidor. Origg. VIII, 9. Etiam quod in Metalogico I, 21, narratur, scilicet grammaticam a Varrone *literationem* dictam esse, fluxit

Post instauratas quadringentos fere abhinc annos literas, primi collegerunt Varronis Saturarum fragmenta tabulasque naufragii instituerunt Robertus et Henricus Stephanus in libro, cui inscripserunt:

Fragmenta poetarum veterum Latinorum, quorum opera non exstant. Anno MDLXIIII. Excud. Henr. Stephanus illustris viri Huldr. Fuggeri typographus.

Fragmenta Varronis leguntur inde a pag. 305 sqq. [23]) —

Secutus est Antonius Riccobonus, qui ad calcem libri sui „*De Historia*", Venetiis a. 1568 editi, inter Historicorum veterum Latinorum reliquias, etiam Varronis non solum Saturarum, sed ceterorum quoque operum fragmenta undique collecta exhibuit. Cujus operis altera editio prodiit a. 1579. Basileae ex officina Petri Pernae, in qua illa leguntur inde a pag. 216 sqq. —

Duodecim annis post hanc Riccoboni alteram prodiit nova collectio Varronis fragmentorum non omnium quidem, sed Menippearum solum, Logistoricorum et De Philosophia libri, auctore Ausonio Popma, Frisio, sub hoc titulo:

Fragmenta M. Terentii Varronis Satyrarum Menippearum, Logistoricorum, Περιπλοῦ φιλοσοφίας, Promethei lib. II, De Philosophia libri. Edente et recensente Ausonio Popma, Frisio. — Franquer. Excud. Aegid. Radaeus, Ord. Fris. Typogr. in Acad. Franquer. CIↄ. Iↄ. IXC. in 8. [24])

Omnium autem longe locupletissima Varronis reliquiarum

---

ex Isidor. Origg. I, 3. — V. quae adnotata sunt a Krahnero l. l. p. 30.

[23]) Adservatur hujus operis exemplum manu Dion. et Jac. Gothofredi manu emendatum ac suppletum in Bibl. Senat. Lips. Alterum manu J. Dousae emendatum reperitur in Bibl. L. B. —

[24]) Memoratur a quibusdam (*Krebs, Handb. d. philol. Bücherkunde*, tom. I, p. 483) prior ejus libri editio a. 1589. Sed recte suspicatus est Ebertus in Lex. Bibliogr. tom. III, p. 1011 eam nunquam exstitisse. Putat Ebertus errorem ortum esse ex falsa interpretatione numeri, quem titulo libri impressum supra adscripsimus.

collectio de universis ejus operibus instituta, qua etiam innituntur quae postea sunt institutae, ejusdem Popmae opera prodiit a. 1599. Franquerae, et repetita est octodecim annis post, sub hoc titulo:

M. Terentii Varronis Operum quae extant. Edente et recensente Aus. Popma, Frisio. — Ejusdem Ausonii in eadem Notae et Coniectanea. Ex Offic. Plantiniana. Apud Christoph. Raphelengium Acad. Lugduno-Bat. Typogr. CIↃ. DC. I. —

Hunc librum excepit Varronis librorum de L. L. editio Dordracena, una complectens deperditorum operum fragmenta secundum Popmae recensionem exhibita. Operis titulus est:

M. Terentii Varronis Opera. Cum notis Jos. Scaligeri, Adr. Turnebi, P. Victorii et Augustini. Acc. tabulae naufragii seu fragmenta ejusdem auctiora. Dordrac. 1619. *II. Part. in* 8. —

Cujus libri vulgo ferunt novam editionem prodiisse Amstelodami a. 1623. Sed quae hoc nomine circumferuntur exemplaria, ab iis, quae Dordraci sunt excusa, non differunt nisi titulo: id quod indicavit jam Ebertus in Lexic. Bibliogr. tom. II, p. 1011. —

Livii editioni Francofurtensi a. 1628. in lucem emissae et Sallustii operum recensioni a J. Wasse institutae [25]) ad calcem esse subjecta Varronis fragmenta, adnotatum est ab Harlesio in Supplem. ad Brev. Notit. Lit. Rom. p. 163. Priorem quidem librum ipse nunquam vidi. Suspicor tamen esse Gruterianam tertiam, cujus priores, altera a. 1608. altera a. 1612. prodierunt.

Secuta est denique Bipontina Varronis librorum de Lingua Latina editio, continens deperditorum quoque ejus operum reliquias una cum Ausonii Popmae commentariis,

---

[25]) Prodiit Cantabrig. 1710. Varronis fragmentis additae sunt Aus. Popmae adnotationes.

ad exemplar editionis Dordracenae instituta. Prodiit a. 1788. II. tom. in 8. —

Post has justas Varronis fragmentorum editiones jam secundo loco habemus duo opera, quae duntaxat partem illorum exhibent. Unum est:

Corpus omnium veterum poetarum Latinorum profan. et ecclesiast. (Cura Mich. Maittaire). Lond. a. 1713. *II. Voll. in fol., et postea: Hag. Com. et Lond. a.* 1723. *II. Voll. in fol.* —

alterum est:

Collectio Pisaurensis omnium poematum omnium poetarum et fragmentorum Latinorum, sive ad codices sive ad lapides pertinentium. Cura Pasc. Amati. Pisauri a. 1766. *VI. tom. in* 4. —

Tomus qnartus exhibet Menippearum reliquias inde a. p. 389 sqq. —

Poeticorum fragmentorum quaedam selectiora inseruerunt suis libris qui Catalecta vel Anthologias Romanae poeseos composuerunt; ut Jos. Scaliger in Catalectis Poetarum Latinorum fecit, quae prodierunt primum a. 1573. L. B., et repetita sunt a. 1618. ibidem sub hoc titulo:

Catalecta Virgilii et aliorum poetarum veterum poematia. Cum commentar. Jos. Scaligeri, Jul. Caes. Scaligeri Filii. Apud Johannem Maire. —

Similia opera, sed multo ampliora sunt a P. Pithoeo et P. Burmanno concinnata. Illius liber inscriptus:

Epigrammata et Poematia vett. ex bibliotheca et cum emendat. P. Pithoei. Paris. a. 1590. *in* 12.; *et postea: Genev. et L. B. a.* 1596. *in* 8. —

P. Burmanni opus prodiit sub hoc titulo:

Anthologia vett. Latin. Epigrammat. et Poemat. sive Catalecta poetarum Latt. — — — Cura Petri Burmanni Secundi. Amstelod. a 1759—1773. *II. Voll. in* 4.

Burmannianam, multis locis emendatam et auctam, nuper repetitam esse ab H. Meyero, Tur., notum est. Prodiit ea novissima Anthologiae Lat. editio Lips. 1835 in II. tom.

Num forte praeterea in aliis libris editae lateant Varronis reliquiae, non cognitum nobis est. Amplas earum collectiones olim instituerunt J. Lipsius [26]), Fr. Dousa [27]) et Siegeb. Haverkampius [28]), et ad editionem habuerunt paratas: sed uni eorum opus suum perficere nulli licuit. Neque nobis compertum est, utrum horum virorum molimina in schedis asservata hodie alicubi exstent.

De Satura Varronis Menippea habemus duas commentationes, pretio minime pares. Una earum, cujus auctor est J. G. Hauptmannus quidam, inserta est Miscellan. Lips. Nov. Vol. V. tom. II.: liber futilis et nullius pretii, in quo si quae bona inveneris, statim senties eorum fontem fuisse Is. Casauboni opusculum, saepius nobis infra laudandum, quod scripsit de Satyrica Graecorum Poesi et de Romanorum Satira [29]). Multo melioris notae liber est, quae Coloniae Agripp. proximo anno prodiit commentatio de Vita scriptisque Menippi Cynici et de Satira M. Terentii Varronis,

[26]) J. Lips. Electt. l. II. c. 18. (Antv. 1575. 8.): „Fragmenta scriptorum veterum olim cum impetu et labore collegi, quae distinxeram classi quadruplici oratorum, historicorum, poetarum, miscellaneorum. Inter miscellos praecipuum Varronem posueram, atque haec non in meum solum usum, sed publicum (cf. Var. Lectt. l. III, c. 25) nisi visum aliter ἀφίλῳ cuidam φίλῳ, qui coeptum hoc omne meum turbavit non fraude, sed furto turpi. — Ille enim praeter alias fraudes partem fragmentorum eorum e domo mea abstulit mala et tagaci manu: abstulit etiam una animum in coepto opere pergendi.“ —

[27]) Krahner. l. l. p. 33. — Cf. Fr. Dousa in Dedicat. Fragmm. Lucil. (Ed. Haverk. L. B. 1743. 8.).

[28]) Haverkamp. ad Tertull. Apolog. IX, p. 96. (L. B. 1718.): „Quae quidem (sc. Varronis) fragmenta reconditae antiquitatis plena, emendata auctaque et notis illustrata, adjecto omnium verborum vocabulario, ad editionem habemus parata.“ —

[29]) Casaub. l. l. II, c. 2. p. 189 sqq. ed. Ramb. —

auctore Francisco Ley. Licet enim in ea non pauca omissa sint, quorum certe mentio aliqua fieri debebat, certe quae tractata sunt, ea et accurate ad maximam partem sunt nec sine judicii acumine tractata.

Restat nunc, ut paucis disseram, quid sit ab iis viris praestitum, quorum ingenia in illustrandis emendandisque Menippearum Varronis reliquiis operam consumpserunt. Atque Ausonii Popmae quidem in hac re ingenium parvum fere aut nullum agnoscis; tam est ille refertus conjecturis ineptis et sine judicio prolatis. Neque secus jam olim de eo judicavit Josias Mercerus in adnot. ad Nonii p. 171, 28., ubi quod legitur fragmentum ex Satura Varronis *Aborigines, περὶ Ἀνθρώπων Φύσεως* inscripta quum misere deformatum esset a Popma, ille jure vituperans eum his verbis notavit: „Nam quod vir doctus qui Varronis fragmenta edidit, ex istis ruinis effinxit, nemo probabit, qui sciet, quid sit veteres libros tractare." Paullo benignius suffragium merent commentarii Popmae ad calcem libri subjecti. Licet enim in iis quae bene et apte adnotata sunt, ea pleramque partem non ipsius Popmae sint, sed ex alienis scriptis praecipue ex Adriani Turnebi Adversariis repetita [30]), quae iste tacite compilaverat, vel tamen in eo Popma laudandus fuit, quod virorum doctorum adnotatis, quae late dispersa ante jacuerunt, non sine multo labore undique collectis et concinnatis, Varronis fragmenta primus commentariis illustranda susceperat. Varronis enim in reliquiis sedulo colligendis et illustrandis curam prae aliis scriptoribus adhibere jam diu operae pretium fuisse, nunc quidem nemo est, qui non intelligat.

Secundo loco nominamus Josephum Scaligerum, qui in Conjectaneis suis ad Varronis De L. L. [31]) libros non uno

---

[30]) Idem fere suffragium de his Popmae commentariis tulisse video Ebert. Lex. Bibl. p. 1011. —

[31]) Prodierunt primum Paris. 1565. 8. Inserta etiam sunt nonnullis Opp. Varr. editionibus.

loco versatus est etiam in Menippearum reliquiis emendandis et illustrandis. Quidam loci bene adnotati reperiuntur etiam in Catalectorum ejus commentariis. In universum tamen aestimanti et de his et de illis Jos. Scaligeri Conjectaneis, recte videtur judicatum esse ab Odofr. Müllero in Praefat. ad Varronis de L. L. libros, scilicet magis exsultavisse plerumque praeclarum viri ingenium, quam ad recte emendandum scriptorem aciem intendisse. Quo quidem judicio non ii solum loci comprehendendi sunt, quibus Scaliger libris de L. L., sed etiam ii, quibus fragmentis aliorum Varronis operum illustrandis emendandisve operam suam dicavit: eoque potius, quia in his fere plus quam in illis suo ingenio indulgere solet, parum considerans, fragmenta scriptorum recte corrigere rem esse maxime lubricam et omnium paene difficillimam. Quod verum esse olim intelligens Delrius, conjecturas suas, quibus Tragicorum reliquiis mederetur, modeste opinationes nominare quam emendationes maluit [32]. Sed confidentius est Scaliger ut multis in aliis, ita in his Varronis locis sanandis versatus, ita plerumque, ut, securus de vera sententia scriptoris, prae ingenii exsultantis pruritu quodcunque in solum, ut ajunt, conjiceret, dummodo ingenii acuminis multiplicisque scientiae, qua revera instructus erat, splendori ac nomini satisfaceret. Cujus perversi in tanto viri studii satis multa possunt documento afferri. Sed nunc ne longiorem moram interponamus, sufficiat lectoris judicium relegasse modo ad centones istos, quos ille ex Saturarum versiculis nequaquam inter se aptis mirifice consarcinatos inseruit Catalectis p. 254 sq. [33]): in quibus fere nescio an magis Scaligeri teme-

[32]) Delrius in Syntagm. Trag. P. I, p. 161. Lutet. Paris. 1620. 4. —

[33]) Poema quod ibi reperitur inscriptum „Avis Matricis" consarcinatum est ex compluribus frr. Saturae *Virgulae Divinae*; alterum, quod inscripsit Scaliger „Pueri Formosi", concinnavit

ritas et confidentia, quam illorum negligentia damnanda sit, qui ita effictos ab eo centones in suis ipsorum libris repetiverunt [34]).

Multo modestius splendet Adr. Turnebi ingenium, sobrium et salutare innumeris Varronis reliquiarum locis, quos ille in Adversariorum libris attulit. Multa ab eo acute et diligenter adnotata, multa et conjectura egregie sanata, aut ex libris veteribus summa fide restituta et juris sui facta [35]). — Digni praeterea qui hic nominentur sunt Adrianus Junius, Jos. Mercerus, Janus Gulielmus, et M. Ant. Muretus, qui in adversariis suis libris passim operam Varroni dederunt [36]). — Recentiorum J. G. Schneideri [37]) et C. J. C. Reuvensii [38]) tentamina etsi exigua sint, certe non prorsus abjicienda: sed magis laudandum ingenium Car. Lud. Rothii, qui in adnotationibus criticis ad Nonium Marcellum, quem conjunctis curis una cum Fr. Dor. Gerlachio edidit [39]), locis non paucis, de quibus paene desperandum erat, praeclara divinatione et salutem et lucem inopinatam attulit. —

---

ex aliquot frr. Sat. *Papia Papae, π. Ἐγκωμίων*; et tertium eodem modo ex frr. Sat. *Ὄνος Λύρας*. — Pagina 263. quae afferuntur poematum alterum conglutinatum est ex aliquot fragmentis duarum Saturarum, scil. *Endymionum* et *Eumenidum;* alterius „De Gentibus Caucaseis" mire inscripti membra reperies in Sat. *Promethei Liberi*" reliquiis.

[34]) Fecerunt Aus. Popma, et P. Burmannus in Anthologia.

[35]) Cf. de eo etiam Müller. in Praef. ad Varr. libros de L. L.

[36]) *Adriani Junii Animadversiones et Observationes variae.* Bas. 1559. 8. Hag. Comm. 1738. 8. Roterod. 1708 ex. bibl. C. v. Arckel. 8. Exstant etiam in Grut. Lamp. tom. IV. — *J. Gulielmi Verisimilia.* Antv. 1582. 8. et in Grut. Lamp. tom. III. *Mureti Variar. Lection. l. VIII.* Venet. 1559. 4. et postea saepius. — *J. Mercer.* in Adnott. ad Non. Marcell. Sedani (Paris.) 1614. 8. —

[37]) In adnott. ad Scriptt. R. R. passim.

[38]) In Collectan. literar. p. 2 et p. 120 sqq.

[39]) Prodiit ea Nonii editio, Basileae 1842. 8.

CAPUT PRIMUM.

De genere Saturae Menippeae Varronis.

Primam Saturae originem enarrare remque satis superque tractatam et retractatam nunc recolere piget. Praeterquam enim quod, neo perosam eam quaestionem denuo susciperemus, satis ipso monebamur praescripto hujus commentationis modo, Saturam Varronis explicaturis nec necessarium videbatur esse, ut ab Evandri regis aetate exordiremur indeque pedetentim ad Varronem usque progrederemur. Omnino sat est meminisse Saturam non a Graecis esse, sed a Romanis repetendam: quibus jure olim vindicavit Is. Casaubonus in libro suo quem scripsit de Satyrica Graecorum Poesi et de Romanorum Satira [1]. Neque minus constat inter omnes, ab Ennio poeta illam esse a pulpitis et ab scena, ubi diu steterat, revocatam [2] ac, paullo immutata specie, primum legentium delectationi accomodatam: deinde ab iis, qui Ennium secuti sunt, a C. Lucilio et a M. Terentio Varrone novo cultu esse auctam et quidem diverso modo, ut hinc denique natum sit duplex genus, alterum, quod dicitur Varronianum, facie biformi, solutae et ligatae orationis varietate mixtum; alterum, quod dicitur Lucilianum, versibus usque et quidem heroicis comprehensum.

Atque Lucilianum quidem genus jam satis est ab aliis

[1] p. 175 sqq. ed. Rambach. Hal. 1774. 8. —

[2] De Satura Romanorum dramatica vide inprimis Munkium in eleganti libro, quem conscripsit de Fabulis Atellanis (Lips. 1840. 8.) p. 14 sqq.

illustratum [3]): exstantque hodie ejus luculentissima monumenta integra Horatii, Persii, Juvenalis carmina, postquam ipsius inventoris libri ita interciderunt, ut praeter fragmentorum numerum, si pristinam operis amplitudinem spectas, perquam exiguum, reliquum quicquam nostra aetas non habeat. Sed tamen nactus ille est, qui inventum suum et colerent et excolerent; hique tam egregie sunt in ea aemulatione versati, ut suum pariter ac inventoris nomen posteritati consecrarent. Varroni contra non idem evenit. Cujus inventum qui coluisse inter veteres vulgo putantur Seneca, Petronius, alii, falso putari nec jure posse cultores generis Varronis aut imitatores dici, ex scriptis eorum vel obiter perlustratis apertum est. Licet enim orationis facies in his eadem sit, quam constat Varronis Saturis propriam fuisse, rerum tamen tractatarum tam diversa est ratio, ut causa comparationis justa ulla non adsit. Neque enim eum dicimus artem inventoris aemulatum esse, qui, dum formam inventi servavit, naturam ejus prorsus sustulit, sed eum, qui aut hanc certe, aut potius utramque retinuit.

Sicuti autem a veteribus non cultum est Varronianum genus, ita ab recentioribus accuratioribus studiis quaeri de eo fere neglectum est: necdum, quamvis amplus Saturarum Varronis fragmentorum numerus servatus apud Grammaticos Latinos exstet, adeo tractata res est, ut quales fuerint illae, et quid singulare habuerint, omnino ad liquidum sit perductum. Latissime igitur patet hic campus, in quo nunc nos sumus periclitaturi, non quasi sperantes, fore, ut omni, ut ajunt, numero, satisfaciamus, sed bene contenti, si modo capita quaestionis explicuerimus recte et illustraverimus. Sed antequam negotium nostrum aggrediamur, de Ennii Satura, quam ceterorum generum veluti

---

[3]) Egregie disputavit de eo nuperrime P. G. van Heusde in Studiis Crit. in C. Lucilium poetam. Traj. ad Rh. 8. —

matrem fuisse diximus, paucis praefari opus esse videtur: quo planius discrimen postea appareat, quod inter illas intercesserit.

De Ennii Saturis nunc quidem deperditis, quas quatuor libris comprehensas fuisse traditum est [4]), paucissima leguntur apud Grammaticos testimonia eaque admodum incerta. Cujus generis sunt illi primarii duo loci apud Diomedem Gramm. l. III. p. 483. ed. Putsch.: „*Olim carmen, quod ex variis poematibus constabat, Satyra vocabatur, quale* (sic!) *scripserunt Pacuvius et Ennius;*" et, paullo infra: „*Satyra carmina multa simul et poemata comprehenduntur.*" Offendimus in hac definitione statim illud, quod carmen Diomedes dicit, quod ex variis carminibus et poematibus constitisse una affirmat. Nam carmen appellari videtur non posse, nisi quod certi et unius argumenti est. Ejusmodi autem illam Ennii non fuisse, quum ex aliis rebus, tum ex ipsis Grammatici verbis colligi licet, qui multa et varia poemata Satura Ennii comprehensas fuisse utroque loco contendit. Deinde velim etiam illud caveas, ne putes Ennii non Saturas, sed Saturam fuisse illam quatuor libris distributam, ac memor sis, quod reliqui praeter Diomedem Grammatici omnes „Saturarum libros" vel simpliciter „Saturas" Ennii citare solent [5]). —

---

[4]) Schol. Cruqu. ad Horat. Serm. I, 10, 46. in Auctar. p. 691: „*Sermonem autem frustra tentasse Terentium Varronem Atacinum Narbonensem, qui Atacinus ab Atace fluvio dictus est: item Ennium, qui quatuor libros Satyrarum reliquit.*"

[5]) Excepto uno Quinctiliano Inst. Or. IX, 2, 36: „*Sed formas quoque fingimus saepe, ut Famam Virgilius; ut Voluptatem ac Virtutem, quemadmodum a Xenophonte traditur Prodicus; ut Mortem ac Vitam, quas contendentes in Satira tradit Ennius.*" Sed Fabius singulari numero hic usus videtur certam quandam Satiram, non vero totum opus intelligere. A. Gell. (N. A. II, 29. VII, 9. XVIII, 2.) citare solet „Ennium in Satiris". Schol. Cruqu. l. l. Macrob. Saturn. VI, 5. Servius ad Virg. Aen. XII, v. 121, et Nonius Marcellus p. 33, 7. 66, 24. 147,

Scimus aliter nuper esse judicatum a viro eruditissimo K. Fr. Hermanno, qui in disputatione sua, quam scripsit de Satirae Romanae auctore [6]), omne quantum a Diomede Ennii Saturae tribuatur proprium atque praecipuum statuit cerni in sola illa metrorum varietate, qua valde conspicuam fuisse illam tum ex ipsius reliquiis constat [7]), tum ex loco Quinctiliani, quem infra laudabimus. Quid igitur? vult tollere omnem argumenti varietatem in Saturis Ennii, solamque retinere metrorum. At vero indicavitne hoc Diomedes, affirmans Ennii Saturam carmina et poemata multa et varia comprehendisse? Immo, si recte ejus verba intelligimus, argumentorum quidem statuit illam, metrorum non exclusit. Quocirca malimus accedere sententiae a P. van Heusde nuper prolatae in Studiis Crit. ad C. Lucilium poetam, qui Ennianarum naturam ita definit, ut constiterint poematibus *„sive inventionibus poeticis modo brevioribus, modo longioribus, modo seriis, modo jocosis, modo gravibus, modo scurrilibus, modo ad laudandum, modo ad reprehendendum compositis, sed nexu et vinculis destitutis."* [8]) Sunt enim haec vere omnino judicata a viro in his rebus si quis alius et acute et diligenter versato, nec male cum iis convenit, de quo nuper ambigi coeptum, scilicet libros Ennii, qui passim apud Grammaticos adlegantur, inscriptos *Phagetica* vel *Hedyphagetica, Praecepta, Protrepticum, Sotam,* [9]) fortasse et alios quosdam, partes Satu-

---

9. 470, 16. 510, 11. ed. Merc. ubique citant Ennii „Saturarum libros".

[6]) Marburg. 1841. 4. p. 25. 27. 41. —

[7]) v. Casaub. l. l. p. 193 sq.

[8]) v. Heusde l. l. p. 279 sqq. — Argumentorum summam varietatem concesserat Ennianis etiam Casaubonus l. l. *„Tanta in opere non nimis longo metrorum diversitas; nec tantum metrorum, sed etiam argumentorum."*

[9]) Cf. Lersch. in Mus. Rhen. V, p. 430 sqq. Diar. antiqu. 1837. p. 1047. Ritter. Diar. Antiqu. 1840 p. 394. Herm. l. l. p. 26. — G. Bernhardy in Hist. Lit. Rom. p. 244. n. 466. —

rae Ennianae fuisse. Sed in hoc uno videtur nobis parum recte statuisse van Heusde, quod varia ea poemata, ex quibus constitisse Saturam Ennii dicit, omni nexu et vinculis inter se caruisse existimat. Etenim, si hoc verum est, quomodo singula carmina et poemata Saturae fuerint appellanda, equidem non bene assequor, quum meminerim Saturam vocabulum, quod proprie collectivum est, festive ab Ennio usurpatum esse propterea, quod varia et diversa in istis libris veluti in lance satura comprehendisse sibi videbatur [10]. Unde facile apparet, illum titulum ab auctore impositum fuisse non singulis carminibus vel poematibus, sed potius referendum esse ad majores operis miscelli particulas, quibus tanquam sub certis et definitis capitibus illa comprehensa fuerint atque composita ita, ut, licet singula quodammodo sine reliquis per se quidem constare viderentur, cunctorum tamen ratio una et certa appareret et quasi continuum carmen efficeret. Neque mirum potest videri, quum haec ita sint, si metra in Saturis variasse Ennium legimus. Nam singulas earum istas particulas, quippe quae ipsae per se quodammodo essent absolutae et plenae, non ita inter sese conjugari necesse erat, ut omnes una numerum lege coercerentur. Sed etiam in iis ipsis carminibus, ex quibus concinnatae Saturae erant, si Ennium variis metris usum esse constaret, hoc non tanti aestimarem, ut generis Enniani lege factum esse mihi persuaderem, quando neque in aliis carminibus, quae praeter Saturas composuit, metrorum varietate eum abstinuisse video, ut in iis, quibus olim inscriptum erat „Scipio“ et „Epicharmus.“ [11]) —

---

[10]) Nam a metrorum varietate sola appellari Saturae non potuerunt, quippe in aliis quoque carminibus numeros Ennium variasse constat, de qua re v. sequentem adnotationem.

[11]) De Epicharmo testatum faciunt fragmenta apud Columu., (Neapol. 1590.) p. 272. apud Hessel. (Amstelod. 1707.)

Quae quum ita sint, non puto temere esse iis adsentiendum, qui Ennianae Saturae metrorum, Lucilianae argumentorum varietatem propriam ac singularem adtribuerunt eoque diversas fuisse statuerunt. Argumentorum enim varietas haud dubie non minor erat in Ennio, quam in Lucilio, sed metrorum tantum in Ennio, non in Lucilio, qui jure aspernatus eam ut neque aptam satis neque commodam perfectioris carminis indoli, Saturae suae hexametrum proprium fecit a phlyacographis Tarentinis receptum, qui in simili poeseos genere eo numero usi erant [12]).

Pervenimus jam ad Varronis Saturam, quam plenius explicandum nobis proposuimus. Quo quidem labore haud dubie nunc supersedere possemus, si ipsius Varronis liber esset adhuc superstes iste, quem de „*Compositione Satura*-

---

p. 170 sq. — Ex Scipione sat est exemplo citasse locum servatum apud Macrob. Saturn. VI, 2:

„— Mundus coeli vastus constitit silentio,
Et Neptunus saevus undis asperis pausam dedit.
Sol equis iter repressit ungulis volantibus:
Constitere amnes perennes, arbores vento vacant.
Itur in antiquam silvam, stabula alta ferarum.
Procumbunt piceae, sonat icta securibus ilex
Fraxineaeque trabes: cuneis et fissile robur
Scinditur, advolvunt ingentes montibus ornos."

in quo inde a verbis „Itur in antiquam sqq." a tetrametris trochaicis transiri ad hexametros, nemo est qui non videat: et jambicum quadratum insuper ex eodem libro Ennii habes superstitem apud Gell. N. A. IV, 7. Egregie falsi sunt quidam, quum hanc metrorum carminis varietatem pro Saturae signo haberent et Scipionem partem Saturarum fuisse divinarent. Quod si revera ita fuisset, Gellius et Macrobius, qui laudant saepius Ennii Saturas, profecto juxta illas non etiam Scipionem ejusdem scriptoris laudaturi fuissent, aut certe non neglecturi indicare, eum librum ad Saturarum corpus pertinere.

[12]) V. Joann. Lydum de Magistr. P. R. I, 41. p. 153. ed. Bekk. „*Ῥίνθωνα καὶ Ἀσκήραν καὶ Βλέσον καὶ τοὺς ἄλλους τῶν Πυθαγόρων ἴσμεν οὐ μικρῶν διδαγμάτων ἐπὶ τῆς μεγάλης Ἑλλάδος γενέσθαι καθηγητάς, καὶ διαφερόντως τὸν Ῥίνθωνα, ὃς ἑξαμέτροις ἔγραψε πρῶτος κωμῳδίαν· ἐξ οὗ πρῶτος λαβὼν τὰς ἀφορμὰς Λουκίλιος ὁ Ῥωμαῖος ἡρωϊκοῖς ἔπεσιν ἐκωμῴδησε.*"

rum" conscripsisse traditum est: in quo verisimile est eum uberius disputasse tum de ratione, quam sit in suis componendis potissimum secutus, tum de iis rebus, in quibus ab Enniani Lucilianique generis legibus maxime recesserit. Sed is liber quum interierit, ut, nisi Nonius Marcellus s. v. „*Parectatae*" p. 67, v. 16. ed. Merc. memoriam ejus servasset, vel unquam exstitisse eum nesciremus, nihil jam superest, nisi ut ex aliorum scriptorum testimoniis exque ipsis reliquiis Saturarum exponere propriis viribus suscipiamus quod plenius et melius ab ipso Varrone doceri non amplius nobis licitum est. —

Facies orationis qualis fuerit in Varronis Saturis, satis aperte loquuntur tum ipsa earum fragmenta, tum veterum scriptorum testimonia: nec quemquam arbitror esse, qui nesciat, desivisse apud illum Saturam carmen esse, quale adhuc apud Ennium et apud Lucilium fuit, et paene totam in pedestris orationis nomen ac ditionem transivisse. Hoc vero ita factum est, ut, quamvis manerent pristinae naturae vestigia carmina atque poemata, haec tamen non amplius ipsa per se Saturam efficerent, id quod apud Ennium fuisse vidimus, sed magis ornatus gratia ac veluti membra solutae orationis corpori addita esse viderentur. Quam speciem ejus biformem comparans cum Enniana satis aperte significavit Quinctilianus Inst. Or. l. X, c. 1. hisce verbis: „*Alterum illud et jam prius Satirae genus, sed non sola carminum varietate mixtum condidit M. Terentius Varro* —." Nam ut Ennianis illud singulare fuisse in comperto est, quod ex poematibus quamvis miscelli generis constarent, Varro contra in suis condendis non carmina cum carminibus contexuit, sed, mox numeris mox pedestri genere usus, vel ipsum orationis tenorem variare conatus est. De qua quidem re verbum nunc addere nolo, praesertim quod gravior quaestio superest expedienda.

Traditum est enim, id quod nemo ignorat, Varronem in

Saturis imitatum esse libros Menippi Cynici, Gadareni, qui σπουδογελοίῳ suo scribendi genere olim inter Graecos floruit. De qua imitatione praeter Gellium, l. II, c. 18., etiam ipse Varro testimonium dicit in Ciceronis Academicarum l. I, c. 2., ubi, postquam de philosophicis suis studiis memoravit: *„Et tamen,* inquit, *in illis veteribus nostris, quae Menippum imitati, non interpretati, quadam hilaritate conspersimus, multa admista ex intima philosophia, multa dicta dialectice“* cett. Apertius loquitur tertius testis Probus Virgilii interpres ad Ecl. VI, v. 31: *„Varro Menippeus non a magistro, cujus aetas longe praecesserat, nominatus, sed a societati ingenii, quod is quoque omnigeno carmine Satiras suas expoliverat.“* Sed hoc verum esse infitias it Quinctilianus, condidisse Varronem genus Saturae testatus; quod scilicet verbum non poterat usurpare de eo, qui aliena scripta ita est imitatus, ut imitatum Varronem esse libros Menippi Probus indicat: nisi forte illius verba hoc modo interpretari velis, tanquam inter Romanos primum fuisse Varronem dicat, qui Saturae ei generi operam dederit. Hanc tamen sententiam nemo, opinor, Fabii verbis inculcabit, qui sciet, quid sit veterum scriptorum verba tractare. Nec magis putamus quempiam fore, qui Menippum poetam facere aut saturographum probare cum Probo vellet, quum carmina pepigisse eum neque alius veterum scriptorum quisquam tradiderit, neque indicium exstet ullum. Quin etiam libros Menippi male esse Saturas appellatas a Probo, jam olim a Casaubono demonstratum est [13]). Negamus igitur fidem isti Grammatico, quod omnigeno carmine suos libros expolivisse Menippum et Varronem imitatum in ea re eum esse contendit. Sed de utraque re nunc est accuratius demonstrandum.

De tredecim libris, quos conscripsisse Menippum Dio-

---

[13]) Cf. Casaub. l. l. p. 203 sqq. —

genes Laertius affirmat [14]), septem tantum memorantur hi:

1) Ἀρκεσίλαος. (Ap. Athen. l. XIV, p. 664.)
2) Διαθῆκαι. (Ap. Diog. Laert. l. VI, 101.) [15])
3) Διογένους Πρᾶσις. (Ap. eund. l. VI, 2.) [16])
4) Ἐπιστολαί κεκομψευμέναι ἀπὸ τοῦ τῶν θεῶν προςώπου. (Ap. Diog. Laert. l. VI. s. 101.)
5) Νεκύϊα. (Ap. eund. ibid.) [17])
6) Πρὸς τοὺς φυσικοὺς καὶ μαθηματικοὺς καὶ γραμματικοὺς, καὶ γονὰς Ἐπικούρου καὶ τὰς θρησκευομένας ὑπ' αὐτῶν εἰκάδας. (Ap. eund. ibid.)
7) Συμπόσιον. (Ap. Athen. l. XIV, p. 629.) [18])

Ex his scriptis duo tantum fragmenta majuscula ser vata sunt: alterum ex Arcesilao apud Athenaeum: „Ὁ δὲ κυνικὸς Μένιππος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ἀρκεσιλάῳ γράφει οὕτως· Πότος ἦν ἐπικωμασάντων τινῶν καί ματτύην ἐκέλευσεν εἰσφέρειν Λάκαινά τις καὶ εὐθέως περιεφέρετο περδί-

---

[14]) Diog. Laert. Vitt. Philos. l. VI. s. 101., qui vitam Menippi conscripsit.

[15]) Hunc librum Menippi Varro videtur imitatus esse in Satura, cui inscripserat: „*Testamentum*, περὶ Διαθηκῶν", ad cujus reliquias nos videsis infra.

[16]) Nisi forte hic liber Hermippi Peripatetici est, cujus nomen pro Menippo aliquot Diogenis exemplaria exhibent. Hermippo vindicat etiam Adalb. Lozynski in fragmentis ejus, p. 40 sq. cf. p. 109. quae edidit Bonn. 1832.

[17]) Ad hanc Νεκύϊαν referendum puto locum Suidae s. v. Φαιός: „Μένιππος, ὁ κυνικὸς ἐπὶ τοσοῦτον τερατείας ἤλασεν, ὡς Ἐριννύος ἀναλαβεῖν σχῆμα, λέγων ἐπίσκοπος ἀφῖχθαι τῶν ἁμαρτανομένων ἐξ ᾅδου, καὶ πάλιν κατιὼν ἀπαγγέλλειν ταῦτα τοῖς ἐκεῖ δαίμοσιν. Ἦν δὲ ἡ ἐσθὴς αὕτη· φαιὸς χιτὼν ποδήρης, περὶ αὐτὸν ζώνη Περσική, καὶ πῖλος Ἀρκαδικὸς ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἔχων ἐνυφασμένα τὰ ιβ' στοιχεῖα, ἐμβάται τραγικοί, πώγων ὑπερμεγέθης, ῥᾶβδος ἐν τῇ χειρὶ μελίνη." —

[18]) Verba Athenaei sunt: „Καλεῖται δέ τις καὶ ἄλλη ὄρχησις Κόσμου Ἐκπύρωσις, ἧς μνημονεύει Μένιππος ὁ κυνικὸς ἐν τῷ Συμποσίῳ." Qua generis cujusdam saltationis mira appellatione Menippus videtur Stoicorum dogma de mundi exustione festive traducere voluisse. — Fortasse ex eodem libro Menippi petitum est quod affert idem Athen. I, p. 59: „Ὁ γοῦν κυνικὸς Μένιππος ἁλμοπότιν τὴν Μύνδον φησίν." —

κια ὀλίγα καὶ χηνία ὀκτὰ καὶ τρέφη πλακούντων": alterum ex Diogenis Auctione apud Laertium: „Φησὶ δὲ Μένιππος ἐν τῇ Διογένους Πράσει, ὡς ἁλοὺς καὶ πωλούμενος ἠρωτήθη, τί οἶδε ποιεῖν, ἀπεκρίνατο, „Ἀνδρῶν ἄρχειν". καὶ πρὸς τὸν κήρυκα, „Κήρυσσε", ἔφη, „εἴ τις ἐθέλει δεσπότην αὑτῷ πρίασθαι". κωλυθεὶς καθίζεσθαι, „Οὐδέν", ἔφη, „διαφέρει· καὶ γὰρ τοὺς ἰχθῦς, ὅπως ἂν κέοιντο, πιπράσκεσθαι". θαυμάζειν δὲ ἔφη, εἰ χύτραν μὲν καὶ λοπάδα ὠνούμενοι κομποῦμεν, ἀνθρώπου δὲ μόνῃ τῇ ὄψει ἀρκεῖσθαι. ἔλεγε τῷ Ξενιάδῃ τῷ πριαμένῳ αὐτὸν, δεῖν πείθεσθαι αὐτῷ, εἰ καὶ δοῦλος εἴη· καὶ γὰρ ἰατρὸς ἢ κυβερνήτης, εἰ δοῦλος εἴη, πεισθῆναι δεῖν αὐτῷ." — Plura de illis non exstant.

Quae quum ita sint, si quid ex his tantis reliquiarum minutiis de genere Menippi demonstrandum susciperemus, brevi meherele essemus ad incitas redacti. Nec magis suppeditant nobis quae de Meleagri Cynici scriptis reliqua habemus, quem nimirum popularem et fere aequalem Menippo quum simili scribendi genere clarum fuisse Diogenes Laertius narret [19]), non multo a vero nos aberravisse putamus, si imitatorem et aemulum ejus generis fuisse statuerimus. Hoc enim testari videtur etiam Epigramma Anthologiae Gr. inter ἀδεσπ. 572. in illum compositum:

„Πρῶτα μοι Γαδάρων κλεινὰ πόλις ἔπλετο πάτρα,
Ἤνδρωσεν δ' ἱερὰ δεξαμένα με Τύρος.
Εἰς γῆρας δ' ὅτ' ἔβην, καὶ δῖα θρεψαμένη Κῶς
Ἀμὲ θετὸν Μερόπων ἀστὸν ἐγηροτρόφει.
Μοῦσαι δ' ἐὶν ὀλίγοις με, τὸν Εὐκράτεω Μελέαγρον
Παῖδα Μενιππείαις ἠγλάϊσαν Χάρισι."

Cum quibus compara, quae ipse de se Meleager praedicat in Epigr. 127.:

„Νᾶσος ἐμὰ θρέπτειρα Τύρος· πάτρα δ' ἐμὲ τεκνοῖ
Ἀτθὶς ἐν Ἀσσυρίοις ναιομένα Γαδάροις.
Εὐκράτεω δ' ἔβλαστον ὁ σὺν Μούσαις Μελέαγρος,
Πρῶτα Μενιππείαις συντροχάσας Χάρισιν.

Atque ex scriptorum Meleagri σπουδογελοῖον Menippi

---

[19]) L. l. — Verba ejus sunt: „τὰ δὲ βιβλία αὐτοῦ (sc. Menippi) πολλοῦ καταγέλωτος γέμει· καί τι ἴσον τοῖς Μελεάγρου, τοῦ κατ' αὐτὸν γενομένου."

genus referentium numero videntur tria illa fuisse, quorum memoriam Athenaeus servavit. Unum, quod erat Συμπόσιον inscriptum, memoratur l. XI, p. 502: „Καὶ Μελέαγρος δ' ὁ κυνικὸς ἐν τῷ Συμποσίῳ οὑτωσί γράφει· Κἂν τοσούτῳ πρόποσιν αὐτῷ βαρεῖαν διέδωκε χυτρίδια βαθέα δώδεκα“: duorum reliquorum mentio est l. IV, p. 157: „Καὶ ἡ Νίκιον ἔφη· Οὐδεὶς ὑμῶν, ἄνδρες γενειοσυλλεκτάδαι, ἰχθὺν ἐσθίει; ἢ καθάπερ ὁ πρόγονος ὑμῶν Μελέαγρος, ὁ Γαδαρεὺς, ἐν ταῖς Χάρισιν [20]) ἐπιγραφομέναις ἔφη τὸν Ὅμηρον, Σύρον ὄντα τὸ γένος, κατὰ τὰ πάτρια ἰχθύων ἀπεχομένους ποιῆσαι τοὺς ἀρχαίους δαψιλείας πολλῆς οὔσης κατὰ τὸν Ἑλλήσποντον; ἢ μόνον ἀνέγνωτε σύγγραμμα αὐτοῦ τὸ περιέχον Λεκίθου καὶ Φακῆς Σύγκρισιν; ὁρῶ γὰρ πολλὴν παρ' ὑμῖν τῆς φακῆς τὴν σκευήν“ [21]). — Sed nihil juvat, in hujuscemodi vestigiis amplius versari, quae si persequi vellemus, dubito, quin unquam ad exitum justum perveniremus. Exspectat nos alter Menippei sermonis aemulus Lucianus Samosatensis, qui locupletior nobis testis erit vel propterea, quod servata ejus opera sunt, nec manca aut lacera sed tota et integra nostris manibus versantur. Haec autem qui vel primis labris, ut ajunt, attigerunt, sciunt, quam sit frequens in iis persona Menippi quamque vivis coloribus expressa et repraesentata: ut in dialogis: Μένιππος ἢ Νεκυομαντεία et: Ἰκαρομένιππος ἢ Ὑπερνέφελος inscriptis, vel in Mortuorum Dialogis, quo-

---

[20]) Ad hoc opus Χάριτες inscriptum fortasse respexit Eustath. ad Hom. Iliad. XI p. 868, 15. Edit. Rom., ubi Homeri quaedam a Meleagro illustrata fuisse significare videtur. Ceterum parum recte sibi statuit Jacobsius in Prolegg. ad Anthol. Gr. tom. VI, p. XXVIII, totum librorum corpus, quos σπουδογέλοιον genus Menippi imitatus Meleager scripserit, hoc Χαρίτων nomine comprehensum fuisse. Quae opinio vel ipsis Athenaei verbis: „ἢ μόνον ἀνέγνωτε σύγγραμμα αὐτοῦ τὸ περιέχον Λεκίθου καὶ Φακῆς Σύγκρισιν;“ satis refellitur, cujus inscriptionis festivitas nos dubitare non sinit, quin libri generis Menippi fuerit. —

[21]) Praeterea Meleager scripsit opus Περὶ Δοξῶν, cujus e secundo Cyrenaicos physicam et dialecticam aeque aspernari probat Laertius II, 92. Sed ejus operis ratio diversa fuisse videtur.

rum in undecim primariae partes ab auctore illi sunt attributae cumque Diis cumque hominibus summa sermonis licentia ac festivitate confabulanti. Nec fugere quemquam potest, non temere tam crebro esse Lucianum nec proinde ut ceteris persona Menippi usum. Novit ille hujus libros, quibus ut alia cujusvis ordinis hominum vitia atque perversitates, ita philosophorum maxime ridicula et stolida dogmata perstrinxerat, suique dicendi generis, acris et faceti, ac nominis gloriam per totam paene antiquitatem propagaverat. Neque ille novit solum, sed etiam imitatus est. Quod ipse satis aperte indicat in dialogo, cui inscriptum est *Δὶς Κατηγορούμενος ἢ Δικαστήρια*, ubi Dialogus dignitatem suam a Luciano deminutam esse queritur sic: „— – *καὶ τὸ μὲν τραγικὸν ἐκεῖνο καὶ σωφρονικὸν προςωπεῖον ἀφεῖλέ μου, κωμικὸν δὲ ἄλλο καὶ σατυρικὸν ἐπέθηκέ μοι καὶ μικροῦ δεῖν γελοῖον. Ἐιτα μοι ἐς τὸ αὐτὸ φέρων συγκαθεῖρξέ μοι τὸ σκῶμμα καὶ τὸν ἴαμβον καὶ κυνισμόν, καὶ τὸν Εὔπολιν καὶ τὸν Ἀριστοφάνην, δεινοὺς ἄνδρας ἐπικερτομῆσαι τὰ σεμνὰ καὶ χλευάσαι τὰ καλῶς ἔχοντα· τελευταῖον δὲ καὶ Μένιππόν τινα τῶν παλαιῶν κυνῶν μάλα ὑλακτικόν, ὡς δοκεῖ, καὶ κάρχαρον ἀνόρυξας καὶ τοῦτον ἐπεισήγαγέ μοι φοβερόν τινα ὡς ἀληθῶς κύνα καὶ τὸ δῆγμα λαθραῖον, ὅσῳ καὶ γελῶν ἅμα ἔδακνε*“ [22]). Quis est, qui quando haec legit, non intelligat, apertissime significari *σπουδογελοῖον* illud genus, quo clarus Menippus fuit, idque ab hoc recepisse Lucianum et tanquam sui juris fecisse a Dialogo affimari?

---

[22]) Lucian. Bis Accus. 33. — Recte interpretatus est verba Fr. Ley in Comment. „de vita scriptisque Menippi Cynici et de satira M. Terentii Varronis Menippea.“ Colon. 1843. 4. p. 8: „Verbosior quidem videtur fuisse Dialogus, sed verba certe aliter interpretari non possumus, nisi, ut Horatius viros priscae comoediae Lucilium secutum esse dicit, sic eosdem hoc loco dici Lucianum imitatum esse. Quod autem cum coaervatione Dialogus affert, Lucianum sibi ingessisse *τὸ σκῶμμα καὶ κυνισμὸν καὶ τὸν Εὔπολιν .... τελευταῖον δὲ καὶ Μένιππον*, ea sic distingues, Lucianum ex iis, qui *τὸ κωμικὸν καὶ τὸ σκῶμμα* docerent, Eupolidem et Aristophanem sibi proposuisse imitandos, in Cynismo Menippum.“ —

Similis locus est in dialogo, qui inscribitur Ἁλιεὺς ἢ Ἀναβιοῦντες, in quo philosophi introducuntur poenas injuriae illatae a Luciano expetituri et Diogenes causam eorum persequens. post multa alia crimina contra illum prolata in fine haec addit: „καὶ τὸ πάντων δεινότατον, ὅτι ταῦτα ποιῶν καὶ ὑπὸ τὸ σὸν ὄνομα, ὦ Φιλοσοφία, ὑποδύεται, καὶ ὑπελθὼν τὸν Διάλογον ἡμέτερον οἰκέτην ὄντα, τούτῳ ξυναγωνιστῇ καὶ ὑποκριτῇ χρῆται καθ' ἡμῶν· ἔτι καὶ Μένιππον ἀναπείσας ἑταῖρον ἡμῶν ἄνδρα ξυγκωμῳδεῖν αὐτῷ τὰ πολλά, ὃς μόνος οὐ πάρεστιν, οὐδὲ καθηγορεῖ μεθ' ἡμῶν, προδοὺς τὸ κοινόν." [23]): ubi Diogenes, ut recte judicat Ley l. l. p. 7., non quod Lucianus Menippum loquentem fecisset accusare poterat, quum is quoque aliique accusatores eodem modo quo Menippus inducantur loquentes, sed scripta moresque significat Lucianum in philosophis deridendis imitatum esse. — Videtur autem Lucianus non aliter fere tuitus esse Menippi partes, quam Socratis sunt Plato, Xenophon, alii in suis dialogis; qui scilicet non solum illud studebant, ut doctrinam ac virtutis praecepta, quae vir integerrimus tradere solebat, tanquam ab ore hujus delibata animis legentium propinarent, sed ut simul totum illum ut agere, ut loqui, ut sermocinari cum amicis, ut disputare cum discipulis solebat, repraesentarent et veluti in oculos et aures lectorum producerent. Etenim scriptor, qui exemplum aliquod imitari hominisque alicujus imaginem cum aliqua verisimilitudine repraesentare studet, id quidem observet necesse est, ut sententias aptas et convenientes ingenio illius ori attribuat, sed paene multo magis, ne ipsius sermonis ejus nativum colorem negligat: quod nisi fecerit, omnis imitatio erit et sanguine et nervis privata, ne dicam, nulla. Hinc diligenter illi servabant et exprimebant Socratis εἰρωνείαν, hinc etiam Lucianus studiosus in exprimenda Menippei characteris proprietate, quae, si quid video, maxime erat posita in παῤῥησίᾳ

---

[23]) Lucian. Piscat. 26.

et stili dicacitate illa, quae per jocum seria tractare solebat [24]). — Sed haec hactenus, quia ad propositum est redeundum.

Meminimus locum Probi Virgilii interpretis illum supra a nobis adlatum, ex quo *Menippeum* Varronem ideo dictum fuisse didicimus, quod Menippus quoque suos libros omnigeno carmine expolivisset. Ac sane fuerunt non pauci, qui crederent hoc, quin etiam certissimum rei indicium sibi persuaderent deprehendisse in Luciani Necyomantia, cujus libri ad *Νεκυΐας* Menippeae imitationem fortasse compositi [25]) initio Menippus ab inferis modo ad lucem redux introducitur animi sensa non aliter quam poetarum versibus exprimens. Hunc tamen locum testimonio esse non posse, a multis postea est intellectum. Et recte hoc. Nam flosculis illis cur usus sit, ipse Menippus paullo post causam aperit, Philonidae miranti et percontanti de eo more respondens: *μὴ θαυμάσῃς, ὦ ἑταῖρε· νεωστὶ γὰρ Εὐριπίδῃ καὶ Ὁμήρῳ συγγενόμενος, οὐκ οἶδ᾽ ὅπως ἀνεπλήσθην τῶν ἐπῶν, καὶ αὐτόματά μοι τὰ μέτρα ἐπὶ τὸ στόμα ἔρχεται.* Atque hinc etiam Casaubonus erat refutandus, qui, postquam aliorum inveteratos errores cum summo ingenii acumine correxerat, novis subinde sese ipsum implicari passus, quum nimium tribueret istis Necyomantiae versiculis, orationem Menippi utroque genere mixtam fuisse contendere cum Probo non dubitavit: quin etiam discrimen aliquod, quod inter Menippi et Varronis poesin intercesserit, sibi excogitavit scilicet hoc, quod, dum hic „pulcherrimis carminibus, quae ipse composuerat, Saturas suas consperserit, ille contra meras parodias ex alienis ver-

---

[24]) Cf. Lucian. Dial. Mort. X, 9. —

[25]) Utrum genuinum sit hoc opus, necne, hic magni non refert. Cf. Mos. Solan. in adnot., qui adjudicat. — Suntne fortasse Luciani *Epistolae Saturnales* quoque ex imitatione Menippi profectae? Certe hujus supra legimus olim exstitisse *Ἐπιστολὰς κεκομψευμένας ἀπὸ τοῦ τῶν θεῶν προσώπου.* —

sibus contexuerit" [26]). Quod quidem parum caute judicatum est a viro ingenii alioqui prudentis ac sobrii: praesertim quum non alio indicio inniti videatur, quam illo uno in Necyomantia Luciani, quod falsum omnino esse jam supra ostendimus. Huic accedit, quod in reliquis ejusdem scriptoris dialogis Menippeus sermo, quotiescunque inducitur, ne semel quidem istum usum retinet: quod nequaquam neglecturum fuisse arbitror Lucianum, quippe studiosissimum alioqui in sermone et moribus Cynici repraesentandis, si hic revera parodias ac versus solutae orationi interspergere consuevisset. Sed fac cum Casaubono, eum ita loqui vel scribere solitum esse, quo, quaeso, jure hoc tam novum aut grave videri poterat, ut tanquam privum et proprium uni Menippo addiceretur? ne illud moneam, quod neminem potest fugere, scilicet nihil usitatius illa aetate apud Graecos fuisse, quam poetarum versus et memoriter dicere et scriptae orationis gravitatem eleganter iis ornare aut facete distinguere. Quem morem quum etiam posteriore aevo apud utriusque veteris populi scriptores obtinuisse exemplo sunt permulti, quorum opera hodie leguntur nostrisque manibus versantur, nihilo tamen magis hac propter Menippi Cynici aemulos eos dicere est ausus quisquam neque audebit unquam: uno nempe Casaubono excepto, qui Juliani Imperatoris Caesares et Misopogonem atque Senecae Apocolocynthosin vel inde generi Menippeo-Varroniano adjudicare velle videtur, quia orationi horum libellorum solutae, qua sunt maximam partem conscripti, versus quoque tum proprii tum alieni ingenii ab auctoribus inserti sunt, parum quidem considerans illos longe diversam et aliam materiam comprehendere, quam suis libris Menippum et Varronem comprehendisse constat, qui maxime ac fere solum in philosophis sunt eorumque ineptiis deridendis versati. Sed de hac re infra dicemus. —

---

26) Casaub. l. l. p. 206 sq.

Vidimus igitur Probum nobis fumum pro vero vendidisse, quum Menippeum Varronem dictum fuisse affirmabat a societate ingenii, quod Menippus quoque Saturas suas omnigeno carmine expolivisset. Nam neque Saturas conscripsit hic unquam, neque carmina aut parodias librorum suorum orationi interseruit ullas. Sed illud verum, quod de ingenii societate dicit Probus, quamvis pessimus sit suorum ipsius verborum interpres. Etenim si scriptores duo pluresve ingenii societatem habere dicuntur, unde cognoscis, aut qua in re potissimum apparere eam arbitraris? Num forte in iis rebus, quae pertinent ad externam librorum speciem, ut sunt orthographia, soluta aut ligata oratio, si jambis sive heroicis versibus carmen absolvatur, vel denique si oratio sit permista atque temperata ita, ut pedestre genus et alterum quod metris vinctum est invicem sese excipiant? Nemo profecto unquam in his rebus ingenii societatem scrutabitur ullam, utpote quae sola et maxima apparet in argumentorum similium simili tractatione. Ab hac igitur parte est Varro cum Menippo comparandus et ob hanc unam causam Menippeus appellatus a Saturis suis, quas aemulatus illum ipse Menippeas inscripserat [27]). Orationis vero biformis facies inventum Varronis est, neque a Graeco repetenda: id quod jam Quinctilianus significaverat loco illo, quem supra adscripsimus, dicens „alterum Saturae genus, sed non sola carminum varietate mixtum condidisse Varronem,“ et Gellius N. A. l. II, c. 18. narrans Varronem in Saturis esse libros Menippi aemulatum; quo modo mehercle nunquam locutus esset, si orationem Menippi aemulatum esse illum denotare voluisset. Quapropter

---

[27]) Gell. N. A. l. II, c. 18: „*Alii quoque non pauci servi fuerunt, qui post philosophi clari exstiterunt. Ex quibus ille Menippus fuit, cujus libros M. Varro in Satiris aemulatus est, quas alii Cynicas, ipse appellat Menippeas.*“

rectius omnino in argumentis, quibus uterque in suis libris usus est, inque sermonis salsa festivitate similes illos fuisse dixeris. Neque secus in universum judicavit Casaubonus, cujus verba hic juvat adscribere: „Ex his sequitur, Menippeas a Varrone fuisse dictas Satiras suas, non quia prosam cum versu eodem modo miscuerint, sed propter simile quoddam jucunditatis temperamentum in materia non dissimili: ut non abs re utrumque hunc auctorem σπουδογέλοιον et scripta amborum philosophiam ludentem sit aliquis nuncupaturus“ [28]). Verissime hoc, ut infra capite quarto copiosius demonstrabimus. Namque in philosophia maxime fuisse utriusque Musas occupatas, ineptis sectarum dogmatis infestissimas, de Varrone quidem testantur Saturarum ipsius reliquiae [29]), de Menippo contra inter alia documenta et locus Luciani Dialog. Mort. I., ubi Diogenes Polluci ad lucem redituro Menippi habitum describit sic: „γέρων (ἐστὶ) φαλακρὸς, τριβώνιον ἔχων πολύθυρον ἁπάντι ἀνέμῳ ἀναπεπταμένον, καὶ ταῖς ἐπιπτυχαῖς τῶν ῥακίων ποικίλον· γελᾷ δὲ ἀεὶ, καὶ τὰ πολλὰ τοὺς ἀλαζόνας τούτους φιλοσόφους“ [30]). —

[28]) Casaub. l. l. p. 208.

[29]) Vide nos infra in Cap. IV.

[30]) Praeter quod apertum testimonium, in Luciani dialogis multi alii loci reperiuntur, quibus hic uti possis. Cuncta quae huc pertinent nos infra adnotabimus Cap. IV. — Ceterum novam quandam de Menippeo genere sententiam proposuit Welckerus in prolegomenis ad Theogn. CXIII. affirmans, Menippi et Varronis libros Bioneo disputandi generi admodum similes fuisse. De Bione Diogenes Laertius l. IV, s. 52: „ἦν δὲ“ inquit „καὶ θεατρικὸς καὶ πολὺς ἐν τῷ γελοίῳ διαφορῆσαι, φορτικοῖς ὀνόμασι κατὰ τῶν πραγμάτων χρώμενος· διὰ δὴ οὖν τὸ παντὶ εἴδει λόγου κεκρᾶσθαί φασι λέγειν ἐπ' αὐτοῦ τὸν Ἐρατοσθένην, ὡς πρῶτος Βίων τὴν φιλοσοφίαν ἀνθινὰ ἐνέδυσεν· εὐφυὴς γὰρ ἦν καὶ παρῳδῆσαι κ. τ. λ.“ Locus Eratosthenis exstat apud Strabonem l. I, p. 15: „ἐγένοντο γάρ, φησιν ὁ Ἐρατοσθένης, ὡς οὐδέποτε κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν ὑφ' ἕνα περίβολον καὶ μίαν πόλιν οἱ κατ' Ἀρίστωνα καὶ Ἀρκεσίλαον ἀνθήσαντες φιλόσοφοι. Οὐχ ἱκανὸν δ' οἶμαι τοῦτο, ἀλλὰ τὸ κρίνειν καλῶς, οἷς μᾶλλον προσιτέον. Ὁ δὲ Ἀρκεσίλαον καὶ Ἀρίστωνα τῶν καθ' ἑαυτὸν ἀνθησάντων κορυφαίους τίθησιν· Ἀπελ-

Orationis facies in libris Menippi et in Varronis in universum non aliter diversa videtur fuisse, nisi hoc uno, quod

---

λῆς τε αὐτῷ πολύς ἐστι καὶ Βίων, ὅν φησι πρῶτον ἀνθινὰ περιβαλεῖν φιλοσοφίαν· ἀλλ' ὅμως πολλάκις εἰπεῖν ἄν τινα ἐπ' αὐτὸ τοῦτο (sic plurimi iique optimi libri. cf. Casaub. ad h. l. — Vulgo τινα omittitur): „Οἵην ἐκ ῥακέων ὁ Βίων;" Ἐν αὐταῖς γὰρ ταῖς ἀποφάσεσι ταύταις ἱκανὴν ἀσθένειαν ἐμφαίνει τῆς ἑαυτοῦ γνώμης· ὅς τοῦ Ζήνωνος τοῦ Κιττιέως γνώριμος γενόμενος Ἀθήνησι τὸν μὲν ἐκεῖνον διαδεξαμένων οὐδενὸς μέμνηται· τοὺς δ' ἐκείνῳ διενεχθέντας, καὶ ὧν διαδοχὴ οὐδεμία σώζεται, τούτους ἀνθῆσαί φησι κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον." De Welckeri sententia probamus omnino judicium quod tulit Ley l. l., cujus verba apponimus: „Welckerus igitur postquam vestem ἀνθινὴν Satyris propriam fuisse docuit, ab Eratosthene putat Satyrorum morem significatum esse, quibuscum libri Bionis propter jocandi et irridendi studium comparari possent. Sed ita verba Eratosthenes D. Laertium aliosque (φασί λέγειν) non accepisse, explicatio ejus docet, neque scio an minus recte Welckerus interpretatus sit corrigens ἀλλ' ὁμῶς (pariter, peraeque) πολλάκις εἰπεῖν ἂν ἐπ' αὐτοῦ (de ipso Eratosthene ejusque libris exponens) τοῦτο· οἵην ἐκ ῥακέων ὁ Βίων, quasi ipsius Strabonis aut aliena et vulgo nota imitatio dicti Eratosthenis in Bionem fuisset. Imo ἀλλ' ὅμως κ. τ. λ. non sunt verba Strabonis, sed ipsius Eratosthenis a Strabone allata et sententia est haec: Apelles ei magni est et Bion, quem primum dixit philosophiam florida veste induisse; attamen saepe futurum esse, ut aliquis diceret ad hanc rem: quam praeclaram (philosophiam exhibet) ex pannis Bion? — De particulis ἀλλ' ὅμως cf. Hoogv. ad Viger. p. 428. Ita patet, quomodo Eratosthenes ob hanc ipsam rem a Strabone reprehensus illa ἄνθεα orationis, quamquam ad dialecticam diligentiam minus convenire viderentur, in laude Bionis ponere potuerit. At quamvis Satyros recondita quadam sapientia excelluisse veteres existimaverint, num laus fuisset Bionis, si Eratosthenes eum cum Satyris contulisset, qui jocosi ipsi potissimum deridebantur? Neque jocosum fuisse Bionem puto, praeterea quum sermones eum nigro sale conditos scripsisse ex Horatio compertum habeamus. Quapropter etsi Welckero doctissimo concesserim, Bionis genus disputandi simile fuisse Menippi scriptis, cavendum tamen est, ne justo plus inde colligamus. Similes enim fuerunt, quippe quorum uterque Cynicus esset, similes etiam propter studium alios deridendi, sed neque de parodiis Menippi, neque de veste ejus florida, neque de similitudine Bionis scriptorum aut cum libris Menippi, quam certe, si de ea re constaret,

alter hic poematibus eleganter suam distinxit. Dialogo utrumque praecipue usum esse, pro comperto affirmamus. Praeterquam enim quod inde a Socratis aetate dialogi usus inter philosophos Graecos tantopere invaluit, ut hi veluti privum ac proprium sibi eum vindicare viderentur, ut mirum esset omnino, si Menippus eo genere scribendi non usus fuisset, quippe maxime idoneo jucundae ejus stili dicacitati, etiam apertius rei indicium deprehendisse nobis primum in eo visi sumus, quod Luciani quoque Necyomantia eo modo compositus est, cujus ἀρχέτυπος imago quin illa Menippi Νεκυΐα fuerit vix dubitandum est: deinde in eo, quod Συμπόσιον inter Cynici scripta laudatur. Symposiorum enim scriptorum veterum fere ea fuit ratio, id quod paene in vulgus notum est, ut homines plures introducerentur de materia quapiam proposita familiariter inter convivium disputantes et tanquam fabulam agentes. Atque sic Varronis quoque nonnullas Saturas sermonum ejusmodi convivalium more compositas fuisse certum est, quamquam ne una quidem reperitur simplici „Convivii" seu „Symposii" inscriptione insignita. At ita fuisse, clamant reliquiae Saturarum, quas inscripsit: *Endymiones* et *Est Modus Matulae, περὶ Μέθης* [81]). Sermones vero plerumque induxisse in suis Varronem, tot sunt in hujus fragmentis indicia, ut singulos locos, qui habent, enumerare facile supersedeam.

Restat, ut, antequam absolvamus caput, paucis memoremus de metris poematum, quibus Varro veluti gemmis stellantibus suum opus distinxerat. Quorum varietas egregia fuisse videtur. Nam praeter trimetros jambicos, quibus fre-

---

D. Laertius aeque adnotasset atque Meleagri, aut cum satiris Varronis quidquam traditum est. Quae igitur de Bione disputantur, ex iis neque libros Menippi illustrandos, et multo minus dijudicandum arbitror, quatenus ille auctor fuerit satirae Varronianae." —

[81]) Vide infra *Endym.* fr. 4 et 5. *Est Modus Matulae, περὶ Μέθης* frr. 1—6.

quentissime usus est, reperiuntur etiam scazontes, galliambi, tetrametri trochaici, anapaesti dimetri atque tetrametri et heroici versus. Elegiaci quoque metri usurpati aliquot exempla sunt, ut in *Eumenidum* fr. 17:

„Hospes quid miras animo curare Serapim?
Quid? quasi non curat tantĭdem Aristoteles.“

in *Μαρκοπόλεως, περὶ Ἀρχῆς*, fr. 2:

„Natura humanis omnia sunt paria.
Qui pote plus, urget: piscis ut saepe minutos
Magnu' comest, ut aves enecat accipiter.“

et in *Sexagessis* fr. 8:

„Ergo tum Romae parce pureque pudentes
Viverĕ ĭn patria, nunc sumus in rutuba.“

Sufficiunt haec certe ad confutandam opinionem Wüllneri in Comment. de Vita ac Scriptis P. Terentii Varronis Atacini [32]) p. 7. temere negantis, Varroni Reatino unquam quicquam elegiacis aut hexametris scriptum fuisse constare.

Num alia praeterea metra et inusitatiora Varro usurpaverit, in tanta harum reliquiarum mutilatione certo quidem dici nequit. Quare nec Godofredo Hermanno, metricae artis inter Germanos facile principi, in eo assentire potuimus, quod versus bacchiacos systematum perpetuitate cohaerentes restituendos esse statuit in fragm. 4. Saturae *Περὶ Ἐξαγωγῆς*. (Herm. Elem. Doctr. Metr. p. 303.) Neque illud viro summo concedere ausi sumus, Varronem versus Saturnios composuisse. Saltem ex illis duobus sententiarum frustulis, quae affert [33]) et quibus pro exemplis utitur, colligi quicquam non licitum est, praesertim in metro de quo plane illud Graecorum valet: *ξύλον ἄγκυλον οὐδέποτ' ὀρθόν.* —

[32]) Monaster. 1829. 4.
[33]) Elem. Doctr. Metr. p. 640.

CAPUT SECUNDUM.

De aetate Menippi Gadareni Cynici et de tempore quo scriptae sint Varronis Saturae.

Postquam in superiore capite semel incidimus in mentionem Menippi Cynici, ejusque vestigia secutum in Saturis esse Varronem probavimus, jam nunc de harum tempore, quo sint conscriptae quaesituris nobis videtur non abs re fore, si hic de illius aetate, de qua nondum certo exploratum est, nonnulla praefaremur.

De aetate Menippi nullum ad nos pervenit testimonium praeter unum sed admodum incertum illud a Diogene Laert. in vita ejus prolatum l. VI, s. 100: „τὰ δὲ βιβλία αὐτοῦ (sc. Menippi) πολλοῦ καταγέλωτος γέμει· καί τι ἴσον τοῖς Μελεάγρου τοῦ κατ' αὐτὸν γενομένου", quae verba simpliciter quidem affirmant Meleagrum aequalem Menippi fuisse, sed, quando hic ipse vixerit, nihil praeterea significant.

Recentiorum de Meleagri aetate variae sunt sententiae. *Burettus* eum sub primis Alexandri successoribus collocat [1]: *Martinus* sub Seleuco, Antiochi M. filio floruisse eum suspicatus est [2], quam opinionem amplexi sunt etiam *Klotzius* et *Salmasius*, hic in Prolegomenis ad Homonyma Hyles Jatr. p. 4., ille in Praefat. ad Straton. Epigr. p. 7. *J. G. Schneiderus* denique in Periculo Crit. in Anthol. Const. Ceph. contendit Meleagrum floruisse post Stratonem, tempore Augusti, si summa concesseris, celebrem [3].

---

1) Burettus in Mém. de l'Acad. des Inscr. tom. XIX, p. 441.

2) Martin. in Epist. l. IV, ep. 5. tom. I, p. 187. (Amstel. 1738.)

3) Sed Schneiderus mutavit postea sententiam, Reiskio adsentitus. Vide eum in Vit. Varr. in Scriptt. R. R. tom. I, P. II, p. 233.

Secus ab his et rectius *Vavassor* (de Epigr. c. 16.), *Reiskius* (in Notit. poet. Anthol. p. 232), et *Saxius* (Onomast. lit. I, p. 142), judicarunt Meleagrum aequalem fuisse Seleuco VI, regi Syriae ultimo, quem Ol. CLXX. 3. nactum esse imperium constat: scilicet secuti scholium Cod. Vatic., quod (p. 82) haec adfert: „*Γαδαρηνὸς ἦν* (sc. Meleager), *ὡς ἐν τοῖς ἔμπροσθεν αὐτὸς ἑαυτοῦ ἐμνημόνευσεν· ἤκμασεν ἐπὶ Σελεύκου τοῦ ἐσχάτου.*“ Cujus scholii fides explorata est a Jacobsio in Prolegom. ad Anthol. Gr. tom. VI, p. XXXIX. ita: „Inter Meleagri Epigrammata unum est (epigr. 123) in Antipatri Sidonii tumulum, quem aetatem usque ad Ol. CLX. produxisse certissimis indiciis constat [4]). Tenemus igitur hoc, Meleagrum floruisse post Ol. CLX. Tum vero primum ejus aetatem ab Antipatri Sidonii temporibus non valde remotam fuisse colligas ex Meleagri prooemio, (c. 42) ubi illius poetae carmina his verbis circumscripsit: „*Φοινισσάν τε νέαν κύπρον ἐπ' Ἀντιπάτρου·*“ *νέαν κύπρον* appellat Antipatrum, ut recentem poetam. Ad hoc argumentum aliud accedit, quod quamvis longe petitum, satis tamen ponderis et gravitatis habet. Meleagri in epigrammatis colligendis vestigia secutus est Philippus Thessalonicensis, ut ipse fatetur Epigr. I. tom. II, p. 211. Is seculo p. Chr. n. primo, et quidem sub seculi exitum, coronam contexuit ex poetis *ὁπλοτέροις*, id est, ut contextus docet, iis, qui post Meleagrum scripserunt. Inter hos Philodemum recenset poetam in hoc epigrammatum genere longe celeberrimum, Gadarensem. Hunc floruisse circa Ol. CLXXX. satis constat. Jam hinc intelligitur, ejus in Meleagri corona carmina nulla fuisse. Num vero Meleagrum hunc virum ignorasse putemus? Non probabile, civem nimirum, eumque in illo genere, cui Meleager praecipue studebat, longe nobilissimum. Nonne hinc sequi-

---

[4]) Corinthi enim excidium ut casum recentem memorat c. 50., et ex loco Cicer. de Orat. l. III, c. 50. intelligitur, eum Qu. Lut. Catulo fere aequalem fuisse.

tur, eum Philodemi florem non vidisse, ut multo junioris? Verum est igitur, quod scholium affirmat, Meleagrum sub ultimo Seleucorum vixisse. Is enim regnare coepit Ol. CLXX, 3., quo tempore Antipater defunctus erat, Philodemus nondum florebat."

Jam vero quoniam nunc de Meleagro constat, de Menippi aetate statuere non valde difficile erit. Meminimus locum nos legere in carmine Meleagri quodam supra adlato, in quo sese „πρῶτα Μενιππείαις συντροχάσαι χάρισιν" ipse poeta gloriatur. Quae verba recte interpretatus est Manso sic: „*primusque obviam factus sum Menippeis Gratiis*, vel *socium me iis adjunxi*, h. e. *juvenis, Menippum secutus, salibus et festivis sermonibus operam dedi*" [5]). Aliter Q. Septimius Florens Christianus, qui ea verba vertit: „*sumque Menippeos aemulus arte sales*" [6]). Συντροχάσαι enim verbum, quod Hesychius et Suidas per καταντῆσαι explicant, hic quidem potest utrumque significare et *obviam fieri* et *aemulari* vel *sequi*. Sed statuamus utrum hoc an illud, id saltem ex verbis istis lucide apparebit, Menippum eo tempore jam floruisse, quo scribere Meleager et libros condere primum inceperit: id quod fere intelligitur etiam ex epigrammatis Anthol. inter ἀδεσπ. 572. illis verbis „Μοῦσαι Μελέαγρον — Μενιππείαις ἠγλάϊσαν χάρισιν" [7]), quippe quum in plano sit, prius, quam Gratiae Menippeae inclaruerint, iis ornari Meleagrum nequaquam potuisse.

Quae quum ita sint, quumque aequalem Menippi Meleagrum fuisse Diogenes Laertius l. l. affirmet, reliquum est, ut ex his testimoniis apte inter sese conciliatis probabilem aliquam rationem eruamus. Haec vero simplicissima erit. Nam quum Meleagri poesis, ut indicat schol. Vaticanum, sub Seleuco VI, rege Syriae ultimo, floruit (ἤκμασεν), si illum

5) In reliquiis Meleagri p. 157. (Jen. 1789.)
6) Apud Graefe in ed. Meleagri Gad. Epigr. p. 176. (Lips. 1811.)
7) V. supra in proximo capite.

eo tempore fere sexagesimum aetatis annum egisse statuamus, — id quod omnino licere videtur, quum *πολυετέα* sese ipse nominet in c. 127. [8]) — et eum ponamus triginta circiter vel quadraginta annis ante *Μενιππείαις συντροχάσαι χάρισιν*, fit, ut Menippum circa Ol. CLX. floruisse existimemus [9]). Atque haec hactenus.

Videmus aetatem Menippi non ita procul abfuisse a juventute Varronis, quem Hieronymus in Chron. Euseb. Ol. CLXVI, 1. Romae natum esse narrat. Potuit igitur recens et celebratum a multis exemplum Menippi ejus ingenium ad aemulationem excitare, in qua tantopere excelluit, ut non dubites, quin Saturis potissimum maturam nominis celebritatem debuerit illam, quam postea innumeris aliis scriptis

---

[8]) Verba sunt:

„Πουλυετὴς δ' ἐχάραξα τάδ' ἐν δέλτοισι πρὸ τύμβου·
Γήρως γὰρ γείτων κἀγγύθεν Ἀΐδεω.
Ἀλλά με τὸν λάλιον καὶ πρεσβύτην σὺ προςειπὼν
Χαίρειν, εἰς γῆρας κἀυτὸς ἵκοιο λάλον.

[9]) Hinc confutandi sunt qui aetatem Hermippi Smyrnaei Peripatetici, qui vitam Menippi conscripsit (cf. Diog. Laert. l. VI, s. 100.), fere intra Ol. CXXX. et Ol. CXXXXVIII. collocandam esse statuerunt. Sic Vossius de Histor. Gr. p. 84., Johnsius de Scrippt. Hist. Philos. l. II, c. 9., Clinton. F. H. III, p. 518., et Adalb. Locynki in frr. Hermippi p. 2 sqq. (Bonn. 1832. 8.). Erroris ansam praebuit, primum, quod Chrysippum Stoicum, quem Ol. CXXXXIII. mortem oppetiisse constat ex Diog. Laert. l. VIII, s. 184., postremum eorum philosophorum fuisse putarunt, quorum ille vitas conscripsit: deinde, quod *Καλλιμάχειος* Hermippus saepius apud Athenaeum (cf. II, 58. V, 213. XV, 696.) dicitur. Hoc enim cognomen perperam interpretati autumarunt propterea illi inditum esse, quod Callimachi discipulus fuerit. Sed falsum et illud, et hoc si quid video. Namque dubium esse non potest, quin non alia de causa *Καλλιμάχειος* appellatus Hermippus fuerit, quam propter *Βίων* magnum illud et egregium opus, in quo Callimachi studia aemulatus est ante in hoc biographico genere longe clarissima. Scripserat enim Callimachus CXX. libros „*Πινάκων τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων καὶ ὧν συνέγραψαν.*“ — Pari modo Varronem superiore vidimus capite *Menippeum* dictum fuisse, non quia Menippi discipulus erat, sed quia libros ejus in Saturis aemulatus erat.

recondita atque multiplici scientia plenis tam egregie tuitus est. Namque maturiore aetate a Varrone Saturas conscriptas esse recte quidem collegerunt viri docti ex loco Ciceronis Acad. l. I, c. 2, ubi Varro illas „vetera sua“ ipse appellat. Quamquam, si quid me judicare par est, in eo parum recte statuerunt, quod ab adolescente eo scriptas esse dixerunt [10]. Adolescentiae enim Varronis fines etiamsi ad quadragesimum usque annum promovere velimus, quaecunque certe in ipsis Saturarum reliquiis aetatis indicia reperiuntur, eorum tamen ne uno quidem confirmatur illud spatium adsignandum fuisse. Sed de his ipsis indiciis nunc plenius dicendum est.

Inter Saturas infra sequenti capite a nobis recensendas deprehendimus *Τρικάρανον* quandam memoratam ab Appiano Bell. Civ. l. II, c. 9: „*Καὶ τρεῖς οἵδε* (sc. Pompejus, Crassus, Caesar) *τὰς χρείας ἀλλήλοις συνηράνιζον. Καί τις αὐτῶν τήνδε συμφροσύνην συγγραφεύς Βάῤῥων ἑνὶ βιβλίῳ περιλαβών ἐπέγραψε Τρικάρανον.*“ Quem librum neget fortasse aliquis Saturam fuisse, malitque historicum dicere, quo Varro triumvirorum res gestas comprehenderit. At illis revera esse accensendum *Τρικάρανον*, quum graeca inscriptio, quales plurima pars Saturarum habebat [11]), tum ipsius vocabuli ratio declarare videtur. Etenim, si triumviratus famosi res gestas eo libro serio enarrare in animo habuerat scriptor, quid, quaeso, unquam eum movere potuisset, ut tam obscurum tamque ludicrum titulum ei imponeret? — Nihil vero negotii Cerbero cum rerum scriptore: at potius cum Cynico Romano, ut Tertullianus Varronem appellat propter Saturas, quippe in quibus Menippi Cynici libros aemulatus erat. De ambobus autem de Cerbero et de Menippo commode hic memineris elegantem locum apud Lucianum Dial. Mort. XXI, init., ubi hicce alter tricipiti infernalis domus janitori cogna-

---

10) Görenz. ad Cic. Acad. l. l. Orelli in Onomast. Tull. p. 577.
11) Cf. Cap. sequ.

tum ipse praedicat esse sese „κύνα καὶ αὐτὸν ὄντα." Constat igitur Saturam fuisse Τρικάρανον. Nec minus de aetate ejus tibi constabit, si consideras, ejuscemodi libello conscribendo unice aptum fuisse tempus, quo triumvirorum conspiratio, de qua foret, ipsa facta sit [12]). Hanc vero incidere in annum a. U. 694. in vulgus notum est.

Ac fere per idem tempus, quo Τρικάρανον, suspicamur etiam Ἱπποκύνα Saturam scriptam esse: quamquam de hac quidem indicium minus certum est. Reperitur scilicet inter hujus Saturae reliquias, in qua Varro praecipue de equestris ordinis conditione disseruisse videtur [13]), fragmentum hoc: „*Apollonium ideo excuriant, quia nihil habebat*" [14]). Quinam fuerit hic Apollonius in incomperto est; sed valde verisimile est, eundem fuisse, qui in Ciceronianae Epistolae (ad Att. IV, 7.) obscuriore loco memoratur hisce verbis: „*De Apollonio quod scribis, qui illi dii irati! homini Graeco, qui conturbare quidem putat sibi licere, quod equitibus Romanis: nam Terentius suo jure.*" Quodsi hic locus a nobis recte relatus est ad illa Varronis verba, quum Ciceronis Epistola scripta sit anno a. U. 698., C. Lentulo Marcellino et L. Marcio Philippo Coss., sequitur, Ἱπποκύνα Saturam fere ad idem tempus conscriptam esse, quo Τρικάρανος. —

Tertium quod affero aetatis Saturarum indicium reperisse mihi videor inter reliquias Saturae, cui inscriptum erat *Serranus*, περὶ Ἀρχαιρεσιῶν. Citatur locus apud Nonium p. 137, 3. ed. Merc. s. v. „Macore pro macie." — — — „*Noster Atticus, rivalis homo, item lectus in curiam macore macescebat*" [15]). Quibus verbis non alium

[12]) Consentit R. Merckel in prolegg. ad Ovid. Fast. p. CX. (Berol. 1841.)

[13]) Cf. Gell. N. A. III, 18.

[14]) Servavit fragmentum Non. p. 36, 29. ed. Merc.

[15]) Sic enim legendum est. V. nos infra ad frr. Saturae *Serrani* π. Ἀρχαιρεσιῶν.

significari, quam T. Pomponium Atticum, celeberrimum Varronis et Ciceronis amicum, postquam ipse auctor per illud „noster" satis indicavit, non est, quod ego verbosius evincam: neque fore puto, qui de ea re scrupulum sibi movere possit. Legimus igitur isto loco, Atticum in curiam, hoc est, in senatum fuisse lectum; id quod fortasse alicui cum eo pugnare videatur, quod Nepos in vita Attici c. 6. affirmat, scilicet Atticum honores nullos unquam petivisse. At tamen recte utrumque se habet. Neque enim qui senator erat, honore fungi dicebatur. Quoniam autem senatores fiebant etiam qui nullo ante munere functi erant, multique velut egregii a censoribus legi solebant, si eo modo Atticus quoque in senatum pervenerit, non valde mirere, quum constet illum et natura πολιτικόν [16]) fuisse et cum summis gravissimisque sui temporis viris familiaritate conjunctum. Tum vero, si statuamus Varronis Ciceronisque aevo aetatem senatoriam fuisse triginta vel quadraginta annos, quum exploratum sit T. Pomponium Atticum natum esse anno a. U. 645., apertum fit inde, neque hunc ante annum a. U. 675. senatorem fieri, neque Varronem, cujus natales incidunt, ut diximus, in annum a. U. 638., ante trigesimum octavum aetatis annum Saturam suam *Serranum*, περὶ Ἀρχαιρεσιῶν conscribere potuisse. In quo tamen duas res velim ne omittas, primum, non verisimile esse Atticum statim, quum ad infimum senatoriae aetatis gradum pervenisset, in curiam lectum fuisse; deinde illud, quod Varro loco illo non praesente „macescit", sed praeterito „*macescebat*" usus, de re non eo, quo scripserit Saturam, tempore facta, sed de praeterita loqui videtur. Itaque rectius haud dubie statuendum est, librum *Serranum*, περὶ Ἀρχαιρεσιῶν a Varrone post quadragesimum aetatis annum compositum esse. —

Quartum superest, praecedentibus paullo obscurius nec

---

[16]) Cicer. ad Att. l. IV, ep. 6.

tamen infirmius indicium. Apud Arnobium adv. Gent. l. VI, p. 128. ed. Elmenh. (p. 203. ed. Cant.) leguntur haec: „Ubi denique Apollo divinus, cum a piratis maritimisque praedonibus et spoliatus ita est et incensus, ut ex tot auri ponderibus, quae infinita congesserant secula, nec unum quidem habuerit scripulum, quod hirundinibus hospitis, *Varro ut dicit Menippeus*, ostenderet." Quem locum ex Satura aliqua esse desumptum ab Arnobio, verissima conjectura est. Licet enim non *Menippea* Varronis, sed Varro ipse *Menippeus* citetur, tamen quin illa significata sit, non potest dubium esse, quando et alii scriptores ita passim locuti sunt. Sic Athenaeus l. IV, p. 160. de graeco proverbio Τό ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον memorans et Μενιππείου cognomine Varronem appellans, Saturam hujus significat illo proverbio inscriptam. Item Eutychius Gr. l. II, c. 2. ed. Lindem. *Catamitum* Varronis librum inscriptum quendam laudans, licet hunc non diserte Saturam appellet, libri genus hac tamen re satis aperte indicat, quod *Menippeum* Varronem eo loco appellat: et Tertullianus Apolog. c. 14. narrans „*Romanum Cynicum* trecentos Joves sive Jupiteres dicendum sine capitibus introduxisse," ipso isto cognomine, quo ornat Varronem propter Saturas, (quas ab aliis Menippeas, ab aliis *Cynicas* dictas esse meminimus ex Gell. N. A. l. II, c. 8) — velut digito nobis commonstrat, in cujusmodi libro ridicula ista Jovum vel Jupiterum cohors sit introducta. Nec aliter locutus est etiam Apollinaris Sidonius l. VIII, ep. 6: „*Varronem logistoricum*, sicut poposceras, et *Eusebium chronographum* misi:", quod idem valebat, ac si dixisset „logistoricos libros Varronis et Eusebii chronica misi:", ut recte explicavit Jos. Mercerus ad Non. Marcell. p. 776.

Sufficiunt haud dubie haec exempla ad locum illum Varronis de spoliato atque direpto Apolline Saturis vindicandum. — Sed quinam ipse ille Apollo divinus sit, primo quidem dubium est. Divinas fortasse Delphicum. Atque

Eusebius quidem sive Hieronymus in Chronicis ter ait id fanum incensum esse, primo a. a. Chr. n. 1451. a Phlegya, secunda vice anno a. Chr. n. 549., tertio denique a. a. Chr. n. 84. sive Ol. CLXXIV, 1., ad quem annum chronographus haec adnotavit: „Templum tertio apud Delphos *a Thracibus incensum* et Romae Capitolium.“ Num vero hanc tertiam Delphici templi conflagrationem arbitremur Varronem innuisse, quum memorabat, Apollinem divinum direptum et spoliatum esse *a piratis maritimisque praedonibus?* Josephus quidem Scaliger in adnot. ad Euseb. ad a. MCCCCLXVIII p. 87. sic arbitratur: et in adnot. ad a. MDCCCCXXXIV p. 139 ad verba chronographi modo laudata: „Haec,“ inquit, „historia nobis ignota est. Scimus tamen eo anno Macedoniam duce Taxile a Thracibus crudeliter divexatam et depopulatam fuisse: et credibile est, Thracas ad fines usque Phocidos pervenisse et templum succendisse.“

Ipse quidem Scaligero adsentiri valde dubito. Nam quum illic „piratae maritimique praedones“ templi direptores fuisse memorantur, apud Eusebium non de piratis maritimisque praedonibus, sed de Thracibus mentio est. Sed fac, hos eosdem cum illis fuisse, nec tamen omnis scrupulus sublatus erit. Narrat enim Plutarchus in vita Sullae c. 12, Sullam Athenas obsidentem, Caphim Delphos misisse, ut Apollinis thesauros inde tradendos sibi curaret; hosque etiam accepisse Caphim ab Amphictyonibus totos, ita ut ne dolio quidem argenteo illi parcerent, quod residuum erat ex donis regiis, sed id conciderent, quo posset facilius per jumenta Athenas pervehi. Ex qua tanta Delphici thesauri direptione ab ipsis Romanis instituta, anne verisimile est, praeter muros templi Taxilae, Mithridatis duci, aliquid reliquum fuisse, quod diriperet et spoliaret? — Hic Oedipo fortasse alicui videatur opus esse: revera tamen non est.

Nihil enim apertius, quam errasse Jos. Scaligerum tum

quod ad Eusebii locum, tum quod ad Delphici Apollinis fanum illum Varronis locum referebat. Investigandus est alius Apollo istique substituendus; fortasse Deliacus. At ne hic quidem a piratis, sed a Metrophane, Mithridatis duce spoliatus est, ut narrat Pausanias Lacon. c. 24. — Verum, opinor, offenderis inter plures, quos memorat Plutarchus in vita Pompeji c. 24., ubi scriptor postquam piratarum, quos Pompejus M. bello profligavit, insolenter facta multa et scelera enarravit, ita pergit: „*τῶν δ' ἀσύλων καὶ ἀβάτων πρότερον ἱέρων ἐξέκοψαν ἐπίοντες τὸ Κλάριον, τὸ Διδυμαῖον, τὸ Σαμοθράκιον, τὸν ἐν Ἑρμιόνῃ τῆς Χθονίας νεὼν, καὶ τὸν ἐν Ἐπιδαύρῳ τοῦ Ἀσκληπιοῦ, καὶ τὸν Ἰσθμοῖ καὶ Ταινάρῳ καὶ Καλαυρίᾳ τοῦ Ποσειδῶνος, τοῦ δ' Ἀπόλλωνος τὸν ἐν Ἀκτίῳ καὶ Λευκάδι, τῆς δ' Ἥρας τόν ἐν Σάμῳ, τὸν ἐν Ἄργει, τὸν ἐπὶ Λακινίῳ.*" Quemnam autem potissimum inter hos Apollines Varro intellexerit, num forte Clarium, an Didymaeum, id anxie quaerere nunc non refert. Sat est, unum alterumve illorum, quos nominat Plutarchus, eum intellexisse perquam verisimile esse. Nonne enim aperte significantur Apollinis divini illi direptores et incensores, quum *piratae maritimique praedones* appellantur? Sunt vere hi ipsi illi piratae, quos bello profligavit Pompejus anno a. U. 687, in quo bello Varro, quum classi esset a Pompejo praefectus, ut narrat Plin. H. N. III, 11. VII, 30., procul dubio suis ipsius oculis spectaverat direpta dirutaque multa Deorum fana impietatis insolentiaeque summae testes, qua illi praedones, litora et insulas infestantes, aliquot annos per omne mare impune grassati erant. Itaque veri non absimile esse videtur, Varronem Saturam eam, de qua testis est ille Arnobii locus, scripsisse si non postea, quam redux ex bello piratico erat, certe non multis ante annis, quam hoc gestum et profligatum a Pompejo erat.

Jam vero repetamus, quae de aetate *Τρικαράνου*, *Ἱπποκύνος*, *Serrani*, *περὶ Ἀρχαιρεσιῶν* supra placuerunt. Quarum quum duae priores ad annum a. U. 694, Serranus

περὶ Ἀρχαιρεσιῶν post annum a. U. 675. scriptae esse viderentur, Satura vero, cujus Arnobius meminit, ad annum a. U. fere 687. pertineat, non a vero, opinor, aberrabimus, si statuamus Varronem quinquagesimum circiter aetatis annum agentem Saturis condendis operam dedisse. Multo priorem autem quominus aetatem concedamus, prohibet inprimis illud, quod, quum certe de tempore, quo Τρικάρανος scripta sit, constet, eaque in annum a. U. 694. incidat, nequaquam credibile est, Varronem jam antea per longiorem annorum seriem ejusmodi opusculis contexendis operam impendisse. — Atque sic vere locutus erat Varro apud Ciceronem Acad. I, 2, Saturas „vetera sua" appellans. Nam eo tempore, quo Academica scripta et edita sunt a Cicerone, Varro supra septuaginta annos natus erat. —

CAPUT TERTIUM.

De indiciis quibus Saturae agnoscantur.

Communis fere Grammaticorum locos ex Varronis Saturis citantium haec est consuetudo, ut eos ex *Saturis* citare sese dicere plerumque supersedeant, sat egisse sibi visi, si librorum duntaxat inscriptiones memorent. Quam quidem negligentiam quod aegre ferremus nequaquam esset, si catalogus scriptorum Varronis hodie aliquis exstaret, in quo illarum recensio fieret, aut saltem, quum temporum injuria talem nobis invidit [1]), si tantus de Varronis operibus reliquiarum numerus superstes esset, ut de singulorum si non ratione certe de oratione, qualis fuerit explorari posset. Meministi enim quae in primo hujus commentationis capite de mixto genere orationis disseruimus, quo Varro in Saturis usus sit: unde nunc patet, non certius Saturae signum fore, quam si versus pedestri orationi intermixti in libri alicujus reliquiis deprehendantur. Sed eo indicio, ut nunc res est,

---

[1]) Catalogum scriptorum Varronis quondam confecerat Hieronymus. V. Hieron. Ep. ad Dextr. (Vol. I, p. 184. ed. Erasm.): *Καὶ ἐπειδὴ τὸν ἔλεγχον τῶν αὐτοῦ* (sc. Origenis) *συνταγμάτων ἐν τῷ τεύχει τῶν Ἐπιστολῶν τῶν πρὸς Παύλαν παρ' ἡμῶν γραφεισῶν ἐν μιᾷ ἐπιστολῇ συγκρίνων τοῖς Βάῤῥωνος ἔργοις τέθεικα* — cett. Sed infelicissimo casu factum est, ut ea Hieronymi epistola maximam partem interiret. Quae hodie de ea exstant, sane paucissima sunt: „M. Terentium Varronem admiratur antiquitas, quod apud Latinos — innumeros libros scripsit, — — scripsit itaque Varro haec:

XLI. libros Antiquitatum
IV. libros de Vita Populi Romani" ...

Reliqua desiderantur.

non ita frequenter licet uti, postquam tantum librorum Varronis naufragium factum est, ut de multis nihil supersit praeter paucula verba, quae utrum numeris fuerint adstricta, nec ne, dijudicari non potest, de aliis contra quamquam sunt integrae sententiae et quidem complures servatae, in his tamen metri ullius nec vola nec vestigium exstet, cujus nomine Saturis asseri possint [2]).

Quae quum ita sint, ne fere dimidia Saturarum pars, quarum fragmenta infra exhibebimus, de civitate sua periclitetur, alia indicia usurpanda sunt, quae inesse putamus in ipsis inscriptionibus Saturarum libris inditis. Haec autem indicia cujusmodi sint, jamjam demonstrandi periculum faciemus ex iis Saturarum inscriptionibus, quas Saturarum esse disertis scriptorum testimoniis traditum est: et earum analogiam sequentes deinde in hac quaestione ita versabimur, ut recensionem librorum paulatim instituamus omnium, quotquot ad nomen Saturarum pertinere censendi sint.

Atque ex nonaginta sex Saturis, quarum servata memoria est, sub generis quidem nomine tantum octodecim adlegantur a scriptoribus. Earum vero inscriptiones hae sunt:

1) *Age Modo.* (Ap. Sosip. Charis. Gr. l. I, c. 21. p. 67. ed. Lindem.)

2) *Ἄλλος Οὗτος Ἡρακλῆς.* (Ap. Macrob. Saturn. l. III, c. 12. et ap. Priscian. Gr. l. VI, c. 8. p. 248. ed. Kr.)

3) *Catamitus.* (Ap. Eutych. Gr. l. II, c. 1. ed. Lindem. — V. nos supra in cap. II.)

4) *De Officio Mariti.* (Ap. Gell. l. I, c. 17. Cf. Joh. Sarisber. Policrat. l. VI, c. 26.)

[2]) Quo accedit, quod Grammatici locos ex Saturis Varronis in suos commentarios transcribentes non solum non vocabulorum ordinem ubique servabant, sed etiam omittebant, quae inutilia esse viderentur. Unde factum est, ut nunc illarum aliquammulta fragmenta, quae poetica esse certa indicia sunt, ad numeros tamen suos revocari non possint.

5) *De Salute.* (Ap. Jun. Philargyr. in Virg. Georg. l. II, v. 336.)
6) *Δὶς Παῖδες Οἱ Γέροντες.* (Ap. Gell. l. VI, c. 5.)
7) *Dolium aut Seria.* (Ap. Valer. Prob. in Virg. Ecl. VI, v. 31.)
8) *Exdemetricus.* (Ap. Gell. l. XIX, c. 8.)
9) *Flaxtabulae,* [περὶ Ἐπαρχιῶν.] (Ap. Plin. in Praefat. ad Hist. Natur.)
10) *Ἱπποκύων.* (Ap. Gell. l. III, c. 18.)
11) *Nescis Quid Vesper Serus Vehat.* (Ap. Gell. l. I, c. 22. et l. XIII, c. 11., et ap. Macrob. Saturn. l. I, c. 7. et l. II, c. 8.)
12) *Περὶ Ἐδεσμάτων.* (Ap. Gell. l. VII, c. 16. et l. XV, c. 19.)
13) *Περὶ Κεραυνοῦ.* (Ap. Macrob. Saturn. l. III, c. 12.)
14) *Sesquiulixes.* (Ap. Plin. l. l.)
15) *Σκιαμαχία,* [περὶ Τύφου.] (Ap. Gell. l. XIII, c. 22.)
16) *Testamentum,* [περὶ Διαθηκῶν.] (Ap. Gell. l. III, c. 16.)
17) *Τὸ Ἐπὶ Τῇ Φακῇ Μύρον,* [περὶ Εὐετηρίας.] (Ap. Gell. l. XIII, c. 28. — Cf. Athen. Deipnosoph. l. IV, p. 160.)
18) *Ὑδροκύων.* (Ap. Gell. l. XIII, c. 30.)

Videmus in his inscriptionibus fere omnibus haud vulgarem leporem inesse quendam et facetum colorem, qui qualis sit, facilius sentiri potest, quam verbis explicari. Et jam Plinius in Praefatione ad libros Hist. Natur. miram Graecorum in libris facete inscribendis felicitatem praedicans et comparans eam cum crassiore Romanorum ingenio, Varronis certe nomen de popularium scriptorum numero in hac causa eximere non dubitavit, exemplo prolatis Saturarum ejus inscriptionibus *Flaxtabulis* et *Sesquiulixe* [3]). Quoniam

[3]) Plin. in Praef. ad Hist. Nat.: „Inscriptionis mira apud Graecos felicitas. *Κηρίον* inscripsere quod volebant intelligi *Favum:* alii *Κέρας Ἀμαλθείας* quod *Copiae Cornu,* ut vel lactis gallinacii sperare possis in volumine haustum. Jam *Musae, Πανδέκ-*

igitur certissima documenta sunt facetum et elegantem in libris Saturarum inscribendis Varronem fuisse probantia, quumque sit exploratum, ei similis jucunditatis ac festivitatis librorum genus praeter illas non conditum fuisse, nemo non concedet, perquam verisimile esse, eos Varronis libros Saturae nomini esse vindicandos, quicunque sub faceta aliqua et lectioris speciei inscriptione memorentur.

Ejusmodi autem inscriptionum unum genus habemus, si in ipsis vocabulis lepidus aliquis et facetus color cernitur, qualia supra erant *Flaxtabulae*, *Sesquiulixes*, Ἱπποκύων, Ὑδροκύων. Unde non dubitandum esse putavimus, inter Saturas referre fere hos libros: 1) *Bimarcum*. 2) Κοσμοτορύνην, [περὶ Φθορᾶς Κόσμου]. 3) *Marciporem*. 4) Μαρκόπολιν, [περὶ Ἀρχῆς]. 5) *Papia Papae*, [περὶ Ἐγκωμίων]. 6) *Sexagessem*. 7) Ἀνθρωπόπολιν, [περὶ Γενεθλιακῆς]. 8) Τριοδίτην Τριπόλιον, [περὶ Ἀρετῆς Κτήσεως]. 9) Λογομαχίαν. 10) *Octogessem*, [περὶ Νομισμάτων]. 11) Γεροντοδιδάσκαλον. 12) *Epitaphiones*, [περὶ Τάφων] [4]. 13) Πλουτορίνον. 14) *Oedipothyestem*. 15) Σεραπαρήκτην [5]. 16) Τρίφαλλον, [περὶ Ἀῤῥενότητος]. 17) *Pseudaenean*. 18) Τρικάρανον. 19) Κυνίστορα. 20) Κυνορήτορα. 21) Κυνοδιδασκαλικόν. De his singulis singillatim disserere longum est. Septem priores libros inter Saturas habendos esse inde quoque indicium est, quod poetica eorum fragmenta

ται, Ἐγχειρίδιον, Λείμων, Πινακίδιον inscriptiones, propter quas vadimonium deseri possit. At cum intraveris, dii deaeque! quam nihil in medio invenies! Nostri crassiores: *Antiquitatum*, *Exemplorum*, *Artium*que quam facetissimi. *Lucubrationem* puto, qui Antias civis erat et vocabatur Valerius primus asserit. Varro in Satiris suis *Sesquiulixem* et *Flaxtabulas*."

[4]) Sic enim restituendus est libri titulus, qui vulgo mendose exhibetur Ἐπιτάφιον ἢ βοῦς περὶ τάφων. Vide nos infra ad ipsius frr.

[5]) Hujus Saturae inscriptio restituta est ex Non. p. 104, 28., s. v. *Expulsim.*, ubi libri tam scripti quam editi inepte et mendose praebent „*Sera parecte*". V. nos infra ad ipsius fr.

reperiuntur inter alia quae soluta sunt oratione concepta: de *Τρικαράνῳ* jam supra in proximo capite diximus; et *Κυνίστωρ*, *Κυνορήτωρ* atque *Κυνοδιδασκαλικὸν* cujus generis sint vel ipsis vocabulis significatum esse intelliges, quum memineris Varronem *Cynici* libros in Saturis aemulatum esse, unde scilicet fieri non potuisse, quin multum in his libris cum ea secta sibi negotium faceret.

Alterum inscriptionis indicium, ex quo Saturarum libri agnoscuntur, idque certissimum est, si proverbia sunt inscripta: cujus generis exempla supra habuimus *Ἄλλος Οὗτος Ἡρακλῆς*, *Δὶς Παῖδες Οἱ Γέροντες*, *Τὸ Ἐπὶ Τῇ Φακῇ Μύρον*, et Nescis Quid Vesper Serus Vehat. Quod quidem indicium secuti Saturis vindicamus hos quindecim libros, omnes apud Nonium, qui inde fragmenta servavit, memoratos: 1) *Ἄμμον Μετρεῖς*, [περὶ Φιλαργυρίας]. 2) *Cave Canem.* 3) *Cras Credo Hodie Nihil.* 4) *Est Modus Matulae*, [περὶ Μέθης]. 5) *Εὗρεν Ἡ Λόπας Τὸ Πῶμα*, [περὶ Γεγαμηκότων]. 6) *Ἔχω Σε*, [περὶ Τύχης]. 7) *Ἕως Πότε*, [περὶ Ὡρῶν]. 8) *Γνῶθι Σαυτόν.* 9) *Idem Acci Quod Titi.* 10) *Longe Fugit Qui Suos Fugit.* 11) *Mutuum Muli Scabunt*, [περὶ Χωρισμοῦ]. 12) *Ὄνος Λύρας.* 13) *Pransus Paratus.* 14) *Sardi Venales.* 15) *Τοῦ Πατρὸς Τὸ Παιδίον*, [περὶ Παιδοποιΐας]. Et his poterant multo plures libri addi, sed quorum in inscriptionibus proverbialis vis paulo obscurior conspicua est. Quo pertinent *Endymiones*, *Armorum Judicium*, *Andabatae*, *Γεροντοδιδάσκαλος*, *Bajae*, *Magnum Talentum*, *Meleagri*, *Virgula Divina*, aliae. Namque si verbi causa aliquem dicimus *γέροντα διδάσκειν*, quum constet, senes eruditu difficiles esse, commode eam locutionem usurpamus de eo, qui laborem gravem ac fere inutilem suscipit: item, si Endymionem vel Andabatam aliquem vocas, altero vocabulo proverbiali sensu notas hominem somniculosum perpetuoque veluti sopore pressum, altero hominem caecis quasi oculis et frustra circum sese digladiantem. Quibus cum exemplis non inepte

possis comparare quos supra habuimus Saturarum titulos *Sesquiulixem* et Σκιαμαχίαν. Illud enim nomen proverbiali et faceto sensu usurpamus de homine versuto ac pervafro aut certe talem se esse opinante supraque vires sese gerente: et pari modo, quum σκιαμαχεῖν vel σκιαμαχεῖσθαι teste Suida s. v. dicatur de labore inutili viribusque nostris impari, σκιαμαχίας substantivi ab illo verbo deducti in eadem re justus locus erit.

Tertium indicium in inscriptionibus, quo Saturarum esse significentur, arbitramur esse, si bini tituli singulis libris inditi reperiuntur: cujus generis qui exempla flagitat, modo proximas pagellas adeat, ubi habuimus *Flaxtabulas*, περὶ Ἐπαρχιῶν, Σκιαμαχίαν, περὶ Τύφου, *Testamentum*, περὶ Διαθηκῶν, Τὸ Ἐπὶ Τῇ Φακῇ Μύρον, περὶ Εὐετηρίας, alias permultas. Sed hoc indicium ne fallax subinde alicubi videri possit, non temere est nec sine exceptione statuendum, quia constat, non paucos Varronis libros a scriptoribus citari, qui binis quidem inscripti sunt, neque tamen unquam ad Saturarum corpus pertinuerunt. Genus horum librorum, quod illud indicium singulare sibi et commune cum multis Saturis habet, sunt *Logistorici* illi communi appellatione ab auctore comprehensi, in quibus, si quid ex fragmentis eorum et ex ipso vocabulo colligi licet, virorum gravissimorum dicta factaque Varro retulisse videtur optimisque exemplis propositis illud potissimum studuisse, ut aequalium mores in quodvis vitium indies magis pronos antiquitatis probae et simplicis memoriae ope emendaret ac retineret.

Jam vero, ut intelligamus, quatenus retinendum illud tertium indicium sit et ad Saturas agnoscendas admittendum, enumerandi sunt primum quidem ipsi illi Logistorici Varronis libri, deinde videndum, quidnam eorum inscriptiones a Saturarum titulis differant [6]).

---

[6]) Logistoricos libros a Saturis etiam hac re diversos fuisse,

Sub Logistoricorum nomine adlegantur a Grammaticis hi quatuor libri: 1) *Catus, de Liberis Educandis.* (Ap. Gell. l. IV, c. 19. et l. XX, c. 11. 2) *Marius, de Fortuna.* (Ap. Macrob. Saturn. l. II, c. 14. et ap. Interpr. Virg. ab Angelo Maio edit. in Aen. l. VII, v. 681. p. 320. ed. Lion.) 3) *Messala, de Valetudine.* (Ap. Prob. in Virg. Ecl. VI, v. 31.) 4) *Tubero, de Origine Humana.* (Ap. eund. ibid.) Quorum librorum inscriptiones qui vel obiter examinaverit, eum non latebit, omnes in his rebus inter se convenire, primum, quod mere Latinae sunt nec Graeca vocabula admixta habent, ex quibus certe ad partem constare permultos Saturarum titulos vidimus; deinde, quod prior inscriptionis pars constanter per nomen aliquod proprium efficitur [7]): et haec quidem duo indicia tam certa esse videntur, ut ea secuti Logistoricis adnumerandos esse affirmare audeamus libros Varronis omnes, quotquot sub ejusdem speciei inscriptionibus adlegentur. Vindicamus ergo eorum nomini primum sex hos: 1) *Atticum, de Numeris.* (Ap. Censorin. de Die Nat. c. 2. Alii, ut Augustin. de Grammat. p. 183. tom. I, ed. Erasm., et Rufin. in Antiqu. Rhetor. ed. Pith. p. 318, simpliciter „*De Numeris*" citant, priore titulo omisso. 2) *Curio, de Cultu Deorum.* (Ap. Pompon. Sabinum in Virg. Aen. l. I, teste Casp. Barthio in Advers. l. VI, c. 6.) [8]).

quod soluta oratione scripti erant, jam indicavit Mercerus ad Non. p. 775 sq.: „Varronis libri omnes Logistorici aut Menippeae, exceptis illis operibus justis et magnis Antiquitatum, de Re Rustica, de Lingua Latina et si quae ejusmodi. Menippeae magnam partem versibus scriptae, Logistorici soluta oratione."

7) Logistoricorum inscriptionum altera, quae nomen proprium continebat, exterior, altera, quae libri argumentum indicaret, interior erat. Censorin. de Die Nat. c. 9: „Hac Chaldaeorum sententia explicata transeo ad opinionem Pythagoricam Varroni tractatam in libro, qui vocatur *Tubero* et intus inscribitur *de Origine Humana.*"

8) Augustinus de Civ. D. l. VII, c. 9. hunc librum simpliciter „*De Cultu Deorum*" effert.

3) *Gallus* vel *Fundanius*, *de Admirandis*. (Apud Nonium, Priscianum et Interprr. Virgilii passim.) 4) *Pius*, *de Pace*. (Ap. Gell. l. XVII, c. 18.) 5) *Scaurus*, *de Scenici Originibus*. (Ap. Serv. in Virg. Georg. l. I, v. 19. et ap. Sosip. Charis. Gr. l. I, p. 67. 82. et 105. ed. Putsch. Sed is simpliciter „*Scaurum*" citat, altero titulo omisso [9]). 6) *Sisenna*, *de Historia*. (Ap. Gell. l. XVI, c. 9.)

Orestes, *de Insania* Varronis liber memoratus a Gell. l. XIII, c. 4, num Logistoricis adnumerandus sit, primo quidem dubii eramus, praecipue eam ob causam, quia reliquos Logistoricos ad unum omnes Romanis nominibus inscriptos esse videbamus, nec Graeco heroi inter tot Romanorum mortales viros justus locus videbatur esse. Hallucinatus enim est Casp. Barthius in Advers. l. VI, c. 6., affirmans, Logistoricos Varronis heroum nominibus fuisse inscriptos: ad quod tam pravae confidentiae commentum Barthium non aliam ob causam perductum esse putamus, nisi quod *Antidamantem*, *de Moralibus* illum prorsus fabulosum Logistoricum, quem scilicet conjectura eruendum esse putavit ex loco Fulgentii Planc. p. 566, v. 19. s. v. *fabre*, aliqua certe virisimilitudinis specie induere vellet, qua alias plane in digeret [10]). Nihilominus statuimus privilegium de Oreste

[9]) Hic liber bene discernendus est a majore Varronis opere quod item erat *De Scenicis Originibus* inscriptum, cujus tertium librum laudant Sosip. Charis. Gr. l. I, p. 83. ed. Putsch. et Non. p. 196, 8. ed. Merc. Logistorici enim, perinde ac Saturae, singuli singulis libris absoluti erant: neque profecto Charisius, si *Scaurus* cum illis de *Scenicis Originibus* libris unum idemque opus erat, in ejus inscriptione citanda variare sibi indulgere potuisset.

[10]) Locus Fulgentii hic est: *Fabre* perfecte dicitur. Antidamas in Moralibus libris: „*Fabre compactum animal hominem quis ferat sic ire pecuatum*, *et averruncassit igitur* (*Juppiter* cj. Barth.) *tum Aricinas* (*arietinas* cj. Barth. et explicat: procaces, libidinosas) *hominum mentes?*" Ad quae verba Barthius haec adnotat: „Haec verba quin Varronis sint, et quin statim quivis paullum saltem veterum literarum gnarior quam ludimagistri de trivio (!), ea pro iis agniturus, ubi judicium audiverit, ego minime dubito.

ferendum et inter Logistoricos eum recipiendum esse, et hoc quidem duas ob causas. Una est, quod Saturarum inscriptiones, quotquot novimus, si duplices sunt, ad alteram certe partem constanter Graecae esse solent, quod indicium in illa quidem inscriptione observari non licet: altera, quod Gellius, qui unus libri meminit, non „Saturam“ eum, sed simpliciter „librum“ appellat, quippe quum constet, hunc scriptorem, quotiescunque Saturas Varronis laudet, non solas inscriptiones librorum laudare, sed etiam diserte „Saturas“ appellare eos solere, dum contra ex tribus Logistoricis, quorum meminit, unum tantum *Catum, de Liberis Educandis* „Logistoricum“ appellare, in duobus vero, scilicet in *Pio, de Pace* et *Sisenna, de Historia* citandis eum hoc sibi indulsisse observamus, quod non „Logistoricos“ eos sed simpliciter „libros“ appellavit.

Praeter *Orestem de Insania* denique etiam alios quosdam Varronis libros Logistoricorum nomini asserendos esse arbitramur, qui quidem simplices inscriptiones, non duplices habent, qualibus illi, quotquot recensuimus, insignes erant. Sunt quinque hi: 1) *Calenus.* (Ap. Serv. in Virg. Aen. l. IX, v. 53.) 2) *Laterensis.* (Ap. Diomed. Gr. l. I, p. 365. et ap. Priscian. Gr. l. X, c. 3. p. 887. ed. Putsch.) 3) *Nepos.* (Ap. Sosip. Charis. Gr. l. I, p. 44. ed. P.) 4) *De Pudicitia.* (Ap. Serv. in Virg. Aen. l. IV, v. 45.) 5) *De Moribus.* (Ap. Macrob. Saturn. l. III, c. 8.). — Neque enim

---

Sive igitur Fulgentius sive exscriptor peccaverit, nemo mihi persuadebit, Antidamantem illum non exigendum esse auctorum syllabo. Ut autem, quid mihi videatur, proponere non differam: scripsit Varro libros insignes Logistoricorum nomine, quibus singulis titulos dedit de heroibus, ut videre est in iis, quae docti fragmenta constipare potuerunt. Eorum unum aliquem de Moralibus Antidamantem inscriptum fuisse existimo, hoc autem loco auctoris nomen Varronis excidisse, aut ab indocto sed arrogante Grammatico omissum esse, ut remotos ab usu vulgari libros tractare videretur.“

dubium nobis est, quin hi libri alteras suarum inscriptionum partes per Grammaticorum negligentiam perdiderint, qui, nimirum quum breves esse studerent, integras illas laudare noluerint.

Haec hactenus de Logistoricis. Quorum singulos binas inscriptiones easque Latinas habuisse postquam vidimus et ita comparatas, ut prior constanter nomen proprium idque plerumque Romanum esset, altera libri argumentum, de quo esset, indicaret, jam porro non difficile negotium futurum esse speramus, si quos binis inscriptionibus libros Varronis conspicuos offendamus, dijudicare, utrum Logistoricis sint, an Saturis adjudicandi. Saturae enim omnes ii erunt, qui aut utramque aut saltem posteriorem inscriptionem Graecam habent. Quam regulam veram esse probant Saturarum inscriptiones, quotquot supra habuimus, praeter unam *Dolium aut Seria* inscriptam, quam tamen ab Logistoricorum titulorum ratione prorsus abhorrere, nemo est qui non videat. Similis est inscriptio libri cujusdam Varronis ab Nonio memorati *Pappus aut Indigena* [11]), quem perperam nonnulli inter Logistoricos habuerunt, quum rectius inter Saturas habere debebant, et reputare, Pappo, Oscae scenae ridiculo seni nullum locum concedendum esse inter gravissima Logistoricorum nomina scilicet inter Tuberones, Scauros, Messalas, Atticos, Sisennas, alios. — Sed ne diutius lectores moremur, enumerabimus jam eos libros, quos ex regula nostra Saturae vindicandos esse censemus. Sunt quidem hi quatuordecim: 1) *Ἑκατόμβη, περὶ Θυσιῶν.* 2) *Περίπλους, περὶ Φιλοσοφίας* [12]). 3) *Συνέφηβος, περὶ Ἐμμονῆς.* 1) *Aborigines, περὶ Ἀνθρώπων*

---

[11]) Sic restituimus libri nomen, pro eo quod vulgo est: *Pappus aut Iudex* vel *Pappus aut Indiges.* Vide nos infra ad ipsius fr.

[12]) *Περίπλου* tantum liber II. *περὶ Φιλοσοφίας* citatur; prioris est simplex inscriptio in Nonii libris.

Φύσεως. 2) *Caprinum Proelium*, περὶ Ἡδονῆς. 3) *Cycnus*, περὶ Ταφῆς. 4) *Desultorius*, περὶ Τοῦ Γράφειν. 5) *Gloria*, περὶ Φθόνου. 6) *Devicti*, περὶ Φιλονικίας [13]). 7) *Pseudulus Apollo*, περὶ Θεῶν Ἀναγνώσεως. 8) *Serranus*, περὶ Ἀρχαιρεσιῶν. 9) *Tithonus*, περὶ Γήρως. 10) *Vinalia*, περὶ Ἀφροδισίων. 11) *Columna Herculis*, περὶ Δόξης. —

Vindicavimus hactenus Saturae Varronis libros unum et sexaginta, restant vindicandi viginti septem, quorum hic inscriptiones sequuntur: 1) Ἐκκλησία. 2) Περὶ Αἱρέσεων. 3) Περὶ Ἐξαγωγῆς. 4) Ταφὴ Μενίππου. 5) *Cynicus*. 6) *Agatho*. 7) *Andabatae*. 8) *Endymiones*. 9) *Eumenides*. 10) *Hercules Tuam Fidem*. 11) *Lex Maenia*. 12) *Meleagri*. 13) *Modius*. 14) *Mysteria*. 15) *Parmeno*. 16) *Prometheus Liber* [14]). 17) *Quinquatria*. 18) *Virgula Divina*. 19) *Erratio*. 20) *Tanaquil*. 21) *Ajax Stramenticius*. 22) *Armorum Judicium*. 23) *Bajae*. 24) *Hercules Socraticus*. 25) *Magnum Talentum*. 26) *Manius*. 27) *Mystagogi*. — Atque priorum quidem quatuor librorum genus quale sit, etiamsi ipse color fragmentorum de iis superstitum non satis per se manifestare videretur, dubium tamen te esse nequaquam sinit Graecarum inscriptionum analogia, cujusmodi supra habuimus Ἱπποκύνα, Λογομαχίαν, Περὶ Κεραυνοῦ, Τρικάρανον, alias, et Ταφῇ Μενίππου insuper et *Cynico* quoque civitatem suam vindicat Menippeum et Cynicum nomen inscriptum, propter quod in Saturarum numerum jam supra recepimus Κυνίστορα, Κυνορήτορα et Κυνοδιδασκαλικόν. — Qui inde sequuntur libri *Agatho*, *Andabatae*, *Endymiones*, *Eumenides*, *Hercules Tuam Fidem*, *Lex*

---

[13]) Male hanc Saturam alii appellant *Vae Victis*, περὶ Φιλονεικίας. Sed Codd. Mss. quorum fidem novissimi Nonii editores secuti sunt omnes et quidem constanter praebent *Devictis*, περὶ Φιλονικίας. Cf. nos infra ad libri frr.

[14]) Liber a prioribus Varronis fragmentorum editoribus inter Saturas non habitus. Vide de ejus inscriptione nos infra ad frr.

Maenia, *Meleagri*, *Modius*, *Mysteria*, *Parmeno*, *Prometheus Liber*, *Quinquatria*, *Virgula Divina*, *Erratio*, eos si Saturas fuisse affirmamus, nemo, opinor, repugnabit, qui fragmenta perlustraverit, inter quae frequenter versus occurunt. Versus enim solutae orationi interspersos certissimum ex quo Saturae agnoscantur indicium esse, supra est significatum. — *Tanaquilem* librum, cujus unum tantum idque perminutum fragmentum apud Nonium servatum exstat, utrum Logistoricis, an Saturis addiceremus aliquantisper dubii haesitabamus. At tamen tandem non potuimus facere, quin locum inter viros Messalas, Scauros, Tuberones, Atticos occupare mulieri quamvis prudentissimae denegaremus, et quidem hanc potissimum ob causam, quod *Tanaquilis* libri simplex est inscriptio, quum Logistoricorum librorum, ut vidimus, omnium duplices erant. Binos autem titulos ejus olim fuisse alterumque per Grammatici laudantis incuriam interiisse, propterea non verisimilis conjectura est, quod Nonium in Logistoricorum et Saturarum titulis plene referendis omnium Grammaticorum longe diligentissimum esse constat [15]). — Jam qui reliqui sunt libri *Ajax Stramenticius*, *Armorum Judicium*, *Bajae*, *Hercules Socraticus*, *Magnum Talentum*, *Manius*, *Mystagogi*, eorum jura quo fortiter tueri possimus, non habemus. At tamen quum videamus horum inscriptiones a Saturarum inscriptionum faceto et eleganti colore minime abhorrere quinimo simillimas iis esse, quumque non aliud sit genus scriptorum Varronis, cui potiore jure adjudicari possint, si igitur etiam illos Saturas fuisse

---

[15]) Multa possunt ejus diligentiae testimonia afferri. Saturae *Testamentum*, περὶ Θιαθηκῶν Gellius priorem tantum, Nonius utramque inscriptionem laudat; item quas Gellius et Plinius simpliciter Σκιαμαχίαν, Τὸ Ἐπὶ Τῇ Φακῇ Μύρον, *Flaxtabulas* citant, Nonius plene effert Σκιαμαχίαν, περὶ Τύρου, Τὸ Ἐπὶ Τῇ Φακῇ Μύρον, περὶ Ἐυετηρίας, *Flaxtabulas*, περὶ Ἐπαρχιῶν.

adseverarimus, a vero aberravisse nos neminem insimulaturum esse arbitramur. —

Dum jam in eo eramus, ut finem huic capiti imponeremus, incidimus in Catalogum librorum Logistoricorum et Saturarum Varronis a Fabricio confectum et insertum in Bibl. Lat. tom. I, lib. 1. cap. 8. p. 82 sqq. (ed. Hamb. 1721.) [16]), in quo praeter illos libros, quos supra enumeravimus, hi septem memorantur: 1) *Ephemeris Navalis.* 2) *Chorographia.* 3) *Caei lib. II.* 4) *Praetoriana.* 5) *Mensurales.* 6) *Salaria.* 7) *Polyandria.* Et de his juvat hic paucis disputare.

Atque *Ephemeridem* Varronis *Navalem* hodie quidem nemo est, qui cum Lipsio (Var. Lectt. l. III, c. 21.) et Fabricio inter Saturas aut Logistoricos referat. Libri rationem prorsus diversam ab illis esse indicant verba Itinerarii Alex. M. ab A. Maio editi cap. VI.: „Igitur si Terentius Varro Cn. Pompejo olim per Hispanias militaturo librum illum *Ephemeridos* sub nomine elaboravit, ut inhabiles res eidem gesturo scire esset ex facili inclinatione oceani, atque omnes reliquos motus aerios praescientiae fide peteret, ut declinaret, cur ego Tibi — non facem praeferam, quoniam quantum ingenio minor, tantum hoc voto Varrone sum potior." — Plura qui cupit de Ephemeride Navali legere, adeat Krahnerum l. l. p. 18 sqq., qui docte et accurate de eo libro disputat [17]).

Chorographiam non Reatini esse, sed Atacini Varronis

---

[16]) Inde repetitus exstat etiam in Varr. Opp. ed. Bip. tom. I, p. XX sqq.

[17]) Hujus *Ephemeridos* nomen male corruptum latet in loco quodam Servii a Lione plenius editi. Locus est ad Virg. Georg. l. I, v. 397. tom. II, p. 222 in adnot.: „Tenuia nebula dicuntur, quae imminente tempestate ob nimiam levitatem in aere vento jactantur: item vellera nubes dixit tenuia arenarum, quae imminente tempestate per aera raptantur. Varro in *Epimenide: Nubes vellera lanae stabunt.*" Sic et Aratus.

hodie quidem in vulgus notum est. Vid. Wüllner. Comment. de P. Terentii Varronis Atacini Vita et Scriptis p. 21 sqq. et Ruhnken. Epist. Crit. II. p. 240. (ed. Lips.), cujus haud improbabilis conjectura est, *Europam*, librum a Festo s. v. *Tutum* memoratum, partem illius Chorographiae fuisse.

Caei vel *Cei lib. II.* mentio est apud Nonium p. 195, 30. s. v. „*Carra.* — — Masculini — — Varro *Caei lib. II.*: Gallica porta carros adcurat usque politos.“ Sed hunc locum Nonii corruptum esse, et alium librum Varronis sub illa inscriptione latere, jam olim judicatum est. Quamquam Jos. Scaligeri temerariam conjecturam probare non possumus, qui, quum videret permultas Varronis Saturas proverbialibus et Graecis inscriptionibus conspicuas apud Nonium laudari, pro *Caei lib. II.* divinavit Ἀεὶ Λιβύη (sc. φέρει τι κακόν) restituendum esse, et hoc pro Saturae alicujus titulo vendere nobis conatus est. Hoc sane est confidenter agere, nimirum ex corruptissimo loco libri vestigium eruere velle, cujus in tota antiquitate neque vola neque vestigium exstat. — Rectius fortasse, certe cautius, cum nobis statueris, inscriptionem libri non novi, sed saepius apud Nonium memorati alicujus sub istis literis „*Caei lib. II.*“ latere, fortasse Logistorici *Cati, de Liberis Educandis*, vel potius Saturae *Promethei Liberi.* Literarum enim ductibus attentius examinatis, quum meminimus *Promethei* vocabulum per facile compendium *Prōthei* calamo exarari solitum esse, intelligimus, facile fieri potuisse, ut prior ejus pars per antecedens vocabulum *Varro* absorberetur indeque primum *thei*, paulatim per novum errorem *Cei* vel *Caei* efficeretur, quae lectio deinde in omnibus libris insedit. Neque exemplum deest, quo nostram conjecturam aliquomodo firmare possimus, si quidem simile quid in alio Nonii loco accidisse videmus, scilicet p. 71, 22. s. v. „Aritudinem pro ariditate:“, ubi Codd. Mss. mendose partim: *Varro metho an libro*, partim: *Varro Metheo in libro I.*, partim: *Varro meteoris lib. I.* exhi-

5

bent pro eo quod olim fuit: *Varro Prometheo Libero.* Quod vero ad illud „*lib. II.*“ in illa prodigiosa inscriptione attinet, id per errorem ex altero inscriptionis *Promethei Liberi* vocabulo ortum esse, quod per compendium *lib'* scribi solebat, testimonio sunt fere omnes Nonii loci, in quibus ejus libri Varronis mentio fit [18]).

Neque *Praetorianam* inscriptum aliquem librum Varronis fuisse videtur, licet indubitata ejus memoria sit apud Diomedem Gr. l. I, p. 372. ed. Putsch: „Deleor, delitus et deletus. Cicero ad filium: Ceris deletis. Varro in *Praetoriana:* Delitae literae.“ Sed suspicionem nobis movet primum, quod ejus *Praetorianae* non alius scriptor ullus mentionem fecit, deinde quod in tot tamque variis Varronianorum librorum inscriptionibus ne unam quidem exstare videmus, quae illi ἀνάλογος sit. Quo quum accedat quod inter Saturas Varronis, ut vidimus, quaedam fuit *Flaxtabulae,* περὶ Ἐπαρχιῶν h. e. de Praeturis inscripta, admodum probabilis conjectura esse videtur, si statuamus *Praetorianam* et *Flaxtabulas,* περὶ Επαρχιῶν non diversos libros fuisse: unde etiam fragmentum illud quod Diomedes ex *Praetoriana* citat, Saturae illius reliquiis infra inserendum esse putavimus.

Mensuralium librum, sive potius dicendum sit *Mensurales libros* Varronis inter Saturas nequaquam esse admittendas, vel ipsa inscriptio docere videtur. Meminit ejus operis Priscianus Gr. l. VIII, c. 11. p. 403. ed Kr. his verbis: „Sunt verba, quibus desunt et tempora et personae, ut forem, fores, foret, forent, fore; cedo; infit, cujus Varro in *Mensuralibus* primam ponit personam.“ Rectius fortasse Logistoricis adnumeres, si quidem liber idem esse videtur, quem Boethius „*De Mensuris*“ laudat [19]); quum memineris etiam „*De Numeris*“ Varroni Logistoricum scriptum fuisse. *De*

[18]) Vide nos infra ad hanc Saturam.

[19]) Boeth. p. 1542. ed. Basil. 1570. fol.

Mensuris autem quam *Mensuralia* vel *Mensurales*, operis titulum fuisse vel ideo credere malimus, quia Priscianus in citandis Varronis libris non admodum accuratus esse solet. Negligentiae reum eum faciunt non pauci loci, ut l. VI, c. 4. p. 230. ed. Kr., ubi non *de Numismatis* et *Andabatam*, sed justas Saturarum inscriptiones *Octogessem*, περὶ Νομισμάτων et *Andabatas* citare debebat. Quibus exemplis hic plura addere non opus est. —

Salariam inscriptum Varronis librum unquam exstitisse negandum est. Erroris nempe fons videtur fuisse scholion ad Pers. Sat. II. v. 35. Ibi quum Persius Licini campos memorat, scholiasta haec adfert: „Licinius Crassus inter Romanos locupletissimus, ideo Dives cognominatus. Alii volunt Licinium (sic!) tonsorem et libertum Augusti Caesaris significari praedivitem, cujus monimentum est pretiosi operis via *Salaria* prope urbem ad lapidem secundum. De hoc non invenustum *Varronis* Epigramma fertur:

Marmoreo Licinus tumulo jacet, at Cato parvo,
Pompejus nullo: quis putet esse Deos?"

Wüllnerii rationes l. l. p. 7. explicatae, quibus Jos. Scaligerum et Petr. Burmannum secutus hoc epigramma T. Terentii Varronis Atacini esse statuit, scilicet „et propter colorem versum, et quia M. Varronem hexametris vel distichis quidquam conscripsisse non constet," hae, dico, rationes pro nihilo sunt habendae. Quod enim de versuum colore dicit, in eo nimis argutus et subtilis esse videtur, et quod M. Varronem hexametris vel distichis quidquam conscripsisse constare negat, hoc falsum esse jam alio loco ostendimus. Imo rectius statuendum esse arbitramur illud epigramma a M. Varrone profectum et petitum esse ex ejus *Hebdomadon* sive *de Imaginibus* libris, in quibus septingentorum virorum illustrium imagines repraesentatas et epigrammatis appositis illustratas fuisse testis est Plinius Hist. Nat. l. XXXV, c. 2. In quo opere utrum imago Licini

tonsoris, quem Julii Caesaris libertum fuisse rectius affirmat schol. Cruqu. ad Horat. A. P. v. 301. [20]), cum epigrammate illo exstiterit, an hoc potius sub Catonis vel Pompeji imaginibus subscriptum fuerit, dijudicare noluerim. Sed non valde credibile est Licino, nimirum tonsori et obscurioris famae homini inter tot illustrium virorum imagines locum a Varrone concessum esse.

Pervenimus tandem ad *Polyandria:* cujus inscriptionis librum Varronis nullum fuisse pro comperto habemus. Audias modo Arnobii locum, unde hic error manavit: „Infinitum est et immensum, quibus quique in fanis toto sint in orbe describere: nec exactam desiderat curam, quam poenam constituerit Aegyptus in eum, qui publicasset, quibus Apis jaceat absconditus: *polyandria* illa Varronis quibus templis contegantur, quasque in se habeant superlati ponderis moles" [21]). Intelligis, operis non veram, quae ab ipso auctore indita sit, inscriptionem laudari ab Africano, sed impropriam fingi, qua res illo comprehensas facete perstringat. Non enim aliud opus Varronis intelligit, quam Rerum Divinarum libros, quorum in amplis voluminibus innumeram Deorum nobilium et ignobilium gregem introductam fuisse ex Augustini, Arnobii et Tertulliani scriptis satis notum est. Arnobius autem quum eos libros *Polyandria* appellat, quae Latine sunt communia sepulcra [22]), hoc vocabulo non solum profanam veterum superstitionem tangit, quae mortales homines pro diis colere consueverit, sed etiam Varronis ipsius quam in rebus divinis explicandis inierit rationem, apte significat: de qua apertius Augustin. de Consensu Evang.

---

[20]) p. 632, b. ad vocem *Licino:* „Nomen tonsoris famati, qui postea dicitur factus senator a Caesare, quod odisset Pompejum, de quo hoc scriptum est epitaphium: Marmoreo sqq."

[21]) Arnob. adv. Gent. l. VI, p. 189. ed. Cant.

[22]) V. Suidam s. v. et quae ibi affert Bernhardy. — Fr. Creuzer. in Diar. Antiqu. 1843. fasc. 12, p. 1086.

l. I, c. 22.: „Numquid et Varro vel tanquam poeta fingit, vel tanquam Academicus dubie ponit, quod dicit talium deorum sacra ex cujusque eorum vita vel morte, qua inter homines vixerunt vel obierunt esse composita?“ [23]) —

---

[23]) Aliter statuit Popma in Biblioth. Varroniana in ed. Opp. Varr. (L. B. 1601.) p. 505: „Polyandria liber singularis, in quo deorum heroumve sepulcra descripsit, id est, ut Arnobii verbis utar, quibus templis contegantur, quasque in se habeant superlati ponderis moles. Quem librum videri potest Cicero significare voluisse cum Attico (Cic. ad Att. l. XVI, ep. 11.) rescripsit, se non moleste ferre, πεπλογραφίαν Varronis ipsi probari. Fortassis enim Varro suum (sic!) Polyandria fecit ad imitationem Aristotelici Pepli, in quo ille et genealogias principum Homericorum, et navium a singulis ad Trojam advectarum numerum, tum ubi quisque sit sepultus, et quid sepulcro sit inscriptum, tradidit. Nisi si forte Cicero intellexit *Hebdomadon* vel *de Imaginibus lib. IX.*, in quibus fere septingentorum illustrium imagines expressas dedit, et ipsis apposuit epigrammata sqq.“ Utrumque, et *Polyandria* et *Peplographiam* pro *Hebdomadon* opere intelligendum esse statuit Fr. Creuzer l. l. p. 1089. sq., sed parum recte, si quid video. Quo enim minus de hac altera dubitandum est quin vera virorum doctorum conjectura sit, tanto graviora obstant, quominus de illis adsentiamur. Repetamus Arnobii locum: „Infinitum est, inquit, et immensum quibus quique in fanis toto sint in orbe describere, nec exactam desiderat curam — polyandria illa Varronis quibus templis contigantur, quasque in se habeant superlati ponderis moles.“ Polyandria dicere eum heroum sepulcra, tum ex hoc ipso loco, tum ex antecedentium ratione satis intelligitur, in quibus mentio est sepulcrorum Cecropis, Acrisii, Erichthonii, Celei filiarum, Immari et Dairae, Hyperoches et Laodices, Cleochi, Leucophrynes, Telmissi, Cinyrae. Jam quum hoc constat, proponimus tibi Symmachi locum jam alias nobis laudatum, in quo cujusnam sortis homines in suis Hebdomadon libris Varro perstrinxerit, aperte indicatum est. Locus est in Symmach. l. II, ep. 4.: „Studium quidem Menippei Varronis imitaris, sed vincis ingenium. Nam quae in nostrates viros nunc nuper condis epigrammata, puto Hebdomadon elogiis praenitere, quod haec aeque sobria nec tamen casca sunt. Illa bono metallo cusa torno exigi nescierunt. Et duriorem materiem, nisi fallor, adniteris. Ille *Pythagoram*, qui animas in aeternitatem primus asseruit, ille *Plato*-

nem, qui deos esse persuasit, ille *Aristotelem*, qui naturam bene loquendi in artem redegit, ille pauperem *Curium* sed divitibus imperantem, ille severos *Catones*, gentem *Fabiam*, decora *Scipionum*, *totumque illum triumphalem senatum* parca laude perstrinxit." Jam, quaeso, habes herois nomen in his memoratum? Ne unum quidem. Nec qui praeter illos in Hebdomadon libris memorati esse a scriptoribus diserte traduntur, scilicet *Homerus* (Gell. l. III, c. 11.), *Demetrius Phalereus* (Non. p. 528, 26. ed. Merc.), *Menecrates*, *Ictinus*, *Dinochares* (Auson. Mosell. v. 305 sqq.), *Pompejus* (v. nos supra p. 68), neque hi unquam inter heroes relati fuerunt: — unus inter philosophorum, oratorum, poetarum ducumque clarorum decurias et tanquam desolatus stat *Aeneas* heros, de quo in Hebdomadon libris relatum fuisse narrat Johann. Lydus de Magistr. l. I, c. 12. p. 130. ed. Has. — Quae quum ita sint, quumque satis manifestum esse videatur, in illis libris maxime ac solum fere hominum nobilium, non Deorum heroumve laudes celebratas fuisse, apparet ineptum esse, Polyandria pro eodem opere cum iis habere velle. Itaque verisimilius est quod nos supra conjecimus, scilicet in loco Arnobii per Polyandria Varronis libros Rerum Divinarum significari. In qua sententia mecum stare video etiam Rud. Merckel. in prolegom. ad Fast. Ovid. p. CLXXXIX., qui tamen cavere debebat, ne accusativum „polyandriam" formaret.

CAPUT QUARTUM.

De charactere Varroniano.

Varronis Saturae facies quatenus cum altero genere discrepuerit, satis explicatum esse arbitror in primo hujus commentationis capite. Accedimus nunc ad alteram quaestionis partem et disseremus, quodnam potissimum consilium Varro in libris Saturarum conscribendis secutus esse videatur, simul omnia ea complectemur, quae ad earum rationem illustrandam praeterea in medium proferri possunt.

Notum ex iis, quae supra disputata sunt, Varronem in Saturis imitatum esse Menippum Cynicum, σπουδογελοίῳ suo scribendi genere inter Graecos quondam clarissimum. Negavimus eam imitationem ullam quaerendam esse in mixto genere orationis, quo scilicet illius quoque libros insignes fuisse Probus commentus erat, et accessimus Is. Casauboni sententiae statuentis, „Menippeas a Varrone dictas fuisse Saturas suas propter simile quoddam jucunditatis temperamentum in materia non dissimili, unde non abs re uterque hic scriptor σπουδογέλοιος et scripta amborum *philosophia ludens* possint nuncupare.“ Neque falsum hoc; quippe librorum utriusque argumenta maxime ex philosophia petita fuisse certum est. De Menippo quidem id comprobat Lucianus, quippe qui profecto in dialogis suis Cynicum non ubique dogmatum philosophicorum tanquam irrisorem introduxisset, nisi si in ejus ipsius libris similia et haec quidem similiter tractata fuissent. Quin etiam ipsorum Menippi scriptorum partim tituli et fragmenta pro testimonio sunt, si quidem Athenaeus l. XIV., p. 664. unum laudat ab

Arcesilao, Academiae secundae conditore, inscriptum, et ejusdem libri p. 629. in altero, cujus *Συμπόσιον* inscriptio fuerit, saltationis quoddam genus *κόσμου ἐκπύρωσιν* lepide dictum fuisse refert, — qua quidem appellatione Stoicorum dogma de mundi exustione perstringi in plano est —, tertius denique liber, cujus Diogenes Laertius l. VI, p. 101. meminit, aperte et inscriptus et scriptus fuit *Πρὸς τοὺς φυσικοὺς καὶ μαθηματικοὺς καὶ γραμματικοὺς καὶ γονὰς Ἐπικούρου καὶ τὰς θρησκευομένας ὑπ' αὐτῶν εἰκάδας.*

Non autem aliter Menippus in suis libris disputasse videtur, quam fere apud Lucianum solet, in cujus dialogis ubique talis est, qui variarum sectarum ridicula placita et metaphysicas subtilitates illas tam secum ipsis quam cum omni probabilitatis specie pugnantes ad ludicrum examen vocet, partim etiam ipsos earum auctores, si qui fuerunt arrogantiores aut qui virtutis praeceptis a se constitutis parum convenienter vixerunt, vituperio suo *σπουδογελοίῳ* mox acriter exagitet, mox facete perstringat [1]). Simile quid conati sunt

[1]) In Necyomantia Menippus narrat Tiresiam sibi ab inferis redituro haec impertivisse: „*Ὁ τῶν ἰδιωτῶν ἄριστος βίος καὶ σωφρονέστερος· ὡς τῆς ἀφροσύνης παυσάμενος τοῦ μετεωρολογεῖν, καὶ τέλη καὶ ἀρχὰς ἐπισκοπεῖν, καὶ καταπτύσας τῶν σοφῶν τούτων συλλογισμοὺς καὶ τὰ τοιαῦτα λῆρον ἡγησάμενος, τοῦτο μόνον ἐξ ἅπαντος θηράσῃ, ὅπως, τὸ παρὸν εὖ θέμενος, παραδράμῃς γελῶν τὰ πολλὰ, καὶ περὶ μηδὲν ἐσπουδακώς.*“ Inprimis autem legenda sunt verba ex Jovis concione coram diis habita in Icaromenippo §. 29 sq. a Menippo relata: *Γένος γάρ τι ἀνθρώπων ἐστὶν, οὐ πρὸ πολλοῦ τῷ βίῳ ἐπιπολάζον, ἀργὸν, φιλόνεικον, κενόδοξον, ὀξύχολον, ὑπόλιχνον, ὑπόμωρον, τετυφωμένον, ὕβρεως ἀνάπλεων, καὶ ἵνα καθ' Ομηρον ἔιπω, ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης. Οὗτοι τοίνον εἰς συστήματα διαιρεθέντες, καὶ διαφόρους λόγων λαβυρίνθους ἐπινοήσαντες, οἱ μὲν Στωϊκοὺς ὠνομάκασιν, οἱ δὲ Ἀκαδημαϊκοὺς, οἱ δὲ Ἐπικουρείους, οἱ δὲ Περιπατητικοὺς, καὶ ἄλλα πολλῷ γελοιότερα τούτων. Ἔπειτα δὲ ὄνομα σεμνὸν τὴν ἀρετην περιθέμενοι, καὶ τὰς ὀφρῦς ἐπάραντες, καὶ πώγωνας ἐπισπασάμενοι, περιέρχονται ἐπιπλάστῳ σχήματι κατάπτυστα ἤθη περιστέλλοντες, ἐοικότες μάλιστα τοῖς τραγικοῖς ἐκείνοις ὑποκριταῖς, ὧν ἢν ἀφέλῃς τὰ προσωπεῖα καὶ τὴν χρυσόπαστον ἐκείνην στολὴν, τὸ καταλειπόμενόν ἐστι γελοῖον, ἀν-*

comoediae Atticae scriptores: sicut Aristophanes in Nubibus philosophorum sophistarumque subtilitates metaphysicas sub Socratis, integerrimi viri, persona deridendas in scena proposuit, et in Ecclesiazusis Platonis nonnulla in libris de Republica placita, quae sunt de bonorum, deque uxorum liberorumque consortio, facete et petulanter traduxit [2]); et aliorum philosophorum praecepta alii poetae perstrinxerunt. Nihilo minus tamen vereor, ut horum studium et consilium recte comparari queat cum eo genere, quod Menippus in suis expressit. Nulla enim in illis fides, nulla veritas, nulla justitia: modo risum et plausum sibi cierent, bene securi de dignitate, quidvis de quovis admittebant. Quid enim veritas ad populum, qui delectari vult non erudiri? Aliter,

---

θρώπιον ἑπτὰ δραχμῶν ἐς τὸν ἀγῶνα μεμισθωμένον. Τοιοῦτοι δὲ ὄντες, ἀνθρώπων μὲν ἁπάντων καταφρονοῦσι, περὶ θεῶν δὲ ἀλλόκοτα διεξέρχονται, καὶ συνάγοντες εὐεξαπάτητα μειράκια, τήν τε πολυθρύλλητον ἀρετὴν τραγῳδοῦσι, καὶ τὰς τῶν λόγων ἀπορίας ἐκδιδάσκουσι· καὶ πρὸς μὲν τοὺς μαθητὰς καρτερίαν ἀεὶ καὶ σωφροσύνην ἀπαινοῦσι, καὶ πλούτου καὶ ἡδονὴς καταπτύουσι, μόνον δὲ καὶ καθ' ἑαυτοὺς γενόμενοι, τί ἄν λέγοι τις, ὅσα μεν ἐσθίουσιν, ὅσα δὲ ἀφροδισιάζουσιν, ὅπως δὲ περιλείχουσι τῶν ὀβολῶν τὸν ῥύπον; τὸ δὲ πάντων δεινότατον, ὅτι μηδὲν αὐτοὶ μήτε κοινὸν, μήτε ἴδιον ἐπιτελοῦντες, ἀλλ' ἀχρεῖοι καὶ περίττοι καθεστῶτες Οὔτε ποτ' ἐν πολέμῳ ἐναρίθμιοι, οὔτ' ἐνὶ βουλῇ· ὅμως τῶν ἄλλων κατηγοροῦσι καὶ λόγους τινὰς ἐκμεμελετηκότες, ἐπιτιμῶσι, καὶ λοιδοροῦσι τοῖς πλησίον." In Dial. Mort. I. Diogenes Polluci ad lucem redituro haec dicit: „*Ὦ Πολύδευκες, ἐντέλλομαί σοι — — — ἤν που ἴδῃς Μένιππον τὸν κύνα (εὕροις δ' ἂν αὐτὸν ἐν Κορίνθῳ κατὰ τὸ Κράνειον, ἢ ἐν Λυκείω, τῶν ἐριζόντων πρὸς ἀλλήλους φιλοσόφων καταγελῶντα) εἰπεῖν πρὸς αὐτὸν κτλ.*" et paulo post Menippi habitus et mores ab eodem ita describuntur: „*Γέρων (ἐστὶ), φαλακρὸς, τριβώνιον ἔχων πολύθυρον, ἅπαντι ἀνέμῳ ἀναπεπταμένον καὶ ταῖς ἐπιπτυχαὶς τῶν ῥακίων ποικίλον· γελᾷ δ' ἀεὶ, καὶ τὰ πολλὰ τοὺς ἀλαζόνας τούτους φιλοσόφους ἐπισκώπτει.*" Plura testimonia coacervare hic piget. Cf. Dial. Mort. X. et XX. Bis Accus. §. 33. Piscat. §. 26. et inprimis Icaromen. §. 5 sqq.

2) Vide Mémoire sur le vrai dessein d'Aristophane dans la comédie intitulée *Ἐκκλησιάζουσαι* par *Le Beau*, in Mém. de l'Acad. des Inscr. Vol. XXX, p. 29.

opinor, Menippus, qui, quum ipse quodammodo sub philosophiae vexillis militaret, tantum aberat, ut eam despicere, ut ejus partes defendere vellet contra inepta plebeculae philosophae somnia, eamque omnibus artificiis et fucis repurgatam ad utilem quondam simplicitatem reducere, unde etiam ad minus doctorum animos et mores posset redundare. Non enim philosophis, sed philosophiae, non umbraticis artium sophisticarum doctoribus, sed omnibus iis volebat scribere, quorum his elegantioribus studiis aliquam operam dare interesset. Quare devitanda erat tractandarum rerum omnis gravitatis species, abstinendum ab omni quaestionis difficultate, quae a legendo deterrere posset, deponenda denique omnis generis scribendi austeritas, idque solum studendum erat, ut rerum gravitate stili festivitate suaviter temperata, genus quoddam efficeretur, quod nec sine fructu percipi, nec legi sine delectatione posset. Atque hinc natum est σπουδογέλοιον illud genus, quod quum imitaretur inter Latinos Varro, ab ratione, quam Menippus inierat, minime recessit: ut ipse docet in Ciceronis Acad. l. I, c. 2., ubi postquam rationem attulit, cur philosophiam lucubrationibus suis illustrandam ex professo non susceperit: „Et tamen," inquit „in illis veteribus nostris, quae Menippum imitati, non interpretati, quadam hilaritate conspersimus, *multa admista ex intima philosophia, multa dicta dialectice, quae quo facilius minus docti intelligerent jucunditate quadam ad legendum invitati, in laudationibus, in his ipsis antiquitatum prooemiis philosophiae scribere voluimus,* si modo consecuti sumus." [3])

[3]) Male hunc locum habuerunt editores atque interpretes, cujus structura licet paulo incommodior sit, tamen satis apertam sententiam praebet hanc: „— — quae quo facilius minus docti intelligerent et jucunditate quadam ad legendum invitarentur, inter laudationes, (h. e. dictorum factorumque memorabilium frequente mentione illata,) quae ipsae tanquam prooemia antiquatum appellari possunt, (h. e. quibus ipsis antiquaria studia nituntur), philo-

Neque facile profecto negotium erat, incultis Romanorum ingeniis et in his elegantioribus studiis parum versatis ita de philosophia scribere, ut libri a quovis literarum non prorsus rudi non solum sine taedio intelligi, sed etiam cum fructu et oblectatione tractari possent. Nondum valida erant Graecarum literarum praesertim philosophiae incrementa in Latio, neque a multis fovebantur: et, si qui fuerant, qui illam Latiari coelo assuescendam et patrio sermone illustrandam susceperant, eorum labores, quominus fructuosiores forent, prohibuerat partim ipsorum operum, quae divulgabant, inexpedita gravitas Romano et ingenio et sermoni maxime incommoda, partim materiae in illis tractatae difficultas, qua quidem necesse erat ii summo taedio afficerentur, qui nondum satis his studiis imbuti erant [4]). Quae quum ita essent, Varro non feliciorem poterat in componendis Saturarum libris rationem inire, quam quod non per graves aut longas dissertationes, sed, Menippi Gadarensis σπουδογέλοιον stilum disputandique modum imitatus, per faciles et facetos sermones cives literis philosophicis initiare experiebatur, hoc quidem modo, ut singularum sectarum inprimis Stoicorum et Epicureorum, qui tum maxime Romae florebant, singula placita sub examen vocaret, eaque non sine cavillatione illustraret simul et facete perstringeret [5]). Cujus rationis exempla, quae ex ipsis Saturarum reliquiis eruimus, in promtu sunt.

Erat Satura *Κοσμοτορύνη, περὶ Φθορᾶς Κόσμου* inscripta, quam ad Stoicorum mirificum illud de mundi inte-

---

sophiae h. e. ad illustrandam philosophiam et ad studia ejus commendanda) scribere voluimus" cett. — Inepte Krahner. l. l. p. 13 sq., qui putat per **prooemia** hic significari librum singularem nescio quem prooemii instar libris Antiquitatum Rerum Humanarum additum.

4) Cf. Bernhardy Grundrifs der Röm. Literat. p. 311.

5) *Eumenid.* fr. 30.:

„Postremo nemo aegrotus quicquam somniat
Tam infandum, quod non aliquis dicat philosophus."

ritu dogma pertinuisse veri eo similius est, quippe hoc idem jam a Menippo in Symposio traductum fuisse in comperto est. Alia Varronis Satura inscripta erat *Longe Fugit Qui Suos Fugit,* quam item in Stoicos fuisse vel solus titulus indicat. Neque sane ea verba de ulla philosophiae veteris schola rectius usurpanda sunt, quam de illis, quippe quos opinione sua arrogante et inepta quam sibi de beatae vitae ratione finxerant, adeo delectatos esse constat, ut jactarent, se omnes vincere tam animi quam corporis et fortunae bonis: se solos sapientes, formosos et beatos esse, reliquos dementes vel miseros [6]). In quas ineptias Stoici delapsi quum sese tanquam de alieno ligno, quam ceteri homines, fabricatos esse sibi persuaderent, eaque arrogantia non solum se segregare ab his sed eos etiam fugere quodammodo viderentur, non aptius profecto nec justius poterat vituperabilis is error a Varrone denotari, quam illo proverbio: Longe Fugit Qui Suos Fugit. Et plures Saturae fuerunt, in quibus Stoicorum perversitates perstringebantur, ut illa Περὶ Ἐξαγωγῆς inscripta, quae erat de morte ex scholae istius lege ultro sibi consciscenda, et *Eumenides,* quas in paradoxo illo Ὅτι πάντες μωροὶ μαίνονται, quod etiam Horatius in Damasippo suo perstrinxit, summa festivitate cavillatas esse vel hodie reliquiae testantur.

Sed sicuti Horatius non Stoicorum modo verum etiam aliarum sectarum placita in Sermonibus suis traduxit, ita nec Varro illos solos salsis suis facetiis petebat, sed ubique aequus „canae Veritatis, Atticae Philosophiae alumnae“ [7]) vindex cujusvis disciplinae ridicula aut perversa carpere solebat. Perelegantes sunt in *Eumenidibus* [8]) versiculi illi:

---

[6]) *Longe Fugit Qui Suos Fugit* fr. 2.: „Solus rex, solus rhetor, solus formosus, fortis, aequus vel ad aedilicium modium, purus, putus — si ad hunc charactera Cleophantus conveniet, cave, attigeris hominem.“

[7]) V. *Eumenid.* fr. 29.

[8]) *Eumenid.* fr. 22., ubi vide adnat.

Quid dubitatis, utrum nunc sitis cercopitheci,
An colubrae, an beluae, an de Albuci subus Athenis?

quos in Pythagoraeorum metempsychosin et in Empedoclis et Heracliti dogma de rerum sempiterno fluxu et perpetua immutatione cadere, cuivis statim quum legerit in plano erit. Epicuri quoque nominis saepius mentio est [9]): et ex *Modio* locus servatus est, ex quo patet in hac Satura disputatum esse, quid vera ejus disciplinae ratio differat ab eorum perversitate, qui rejecto omni divinorum metu ac religione, omni honestioris et gravioris vitae studio neglecto, in corporis voluptatibus solum esse et summum bonum collocatum rati modo sibi suaeque gulae vivere gaudebant [10]). Quo genere hominum tum nihil frequentius Romae quum Varro Saturas scripsit, ut non mireris saepius eum in ingentis luxuriae vituperium incidisse, qua tota urbs diffluebat: sicuti in *Bajis* [11]), in *Bimarco* [12]), et inprimis in *Modio* [13]) et in libro *Περὶ Ἐδεσμάτων* [14]), ex quo Gellius locum servavit dignum sane, qui hic a nobis repetatur: „Si“ inquit „quantum operae sumpsisti, ut tuus pistor bonum faceret panem, ejus duodecimam philosophiae dedisses, ipse bonus jam pridem esses factus. Nunc illum qui norunt volunt emere milibus centum, te qui novit nemo centussis.“ Haec verba sunt pro exemplo, qua via et ratione in suis scriptis Varro ad philosophiam excitare ejusque studium commendare sit solitus: nimirum, ut diximus, non gravi aut difficili eloquio usus, sed lepide festiveque et ta-

---

9) Ut in *Περὶ Αἱρέσεων* fr. 1.

10) *Mod.* fr. 13.: „Et hoc interest inter ganeones nostros, quibus modulus est vitae culina.“

11) *Bajas* de luxuria fuisse et titulus et fragmentum indicat: „Quod non solum innubae fiunt communes, sed etiam veteres puellascunt, et multi pueri puellascunt.“

12) V. *Bimarc.* fr. 2—7.

13) V. *Mod.* fr. 4—13.

14) V. *Περὶ Ἐδεσμάτ.* fr. 1 et 2.

men graviter dictis et exemplis e propinquo prolatis, quae quo delectare magis quam admonere viderentur, eo mollius sese in hominum animos insinuarent pectoribusque inhaererent. Nec quid aliud fere in his libris sibi volebant ridicula illa philosophorum placita, quae frequenter cavillatum esse Varronem supra vidimus, quippe nihil aptius hac commemoratione poterat esse ad rudiora ingenia liberalioribus studiis concilianda et ad gravissimarum rerum cognitionem tanquam praeparanda. Quo judicio ne ii quidem loci excludendi sunt, ubi leviora memorantur, velut in Satura *Cycno, περὶ Ταφῆς*: „Quare Heraclides Ponticus plus sapit, qui praecepit, ut comburerent (sc. mortuos), quam Democritus, qui ut in melle servarent. Quem si vulgus secutus esset, peream, si centum denariis calicem mulsi emere possis.", aut in *Eumenidibus:* „Empedocles natos homines ex terra ait ut blitum." Sunt enim ipsae hae laudationes illae, inter quas Varro philosophiae in Menippeis scribere voluit, quo facilius minus docti intelligerent simul jucunditate quadam ad legendum invitarentur, ut ipse profitebatur in Ciceronis Academ. l. l. Quamquam multum, ni fallor, a vero aberraveris, si, quas „laudationes" Varro dicit, modo philosophicas res memoratu dignas comprehendisse putaveris. Imo hae laudationes, quas esse antiquitatum tanquam prooemia judicat, pervarii erant et multiplicis generis, quippe quae pertinebant etiam ad instituta veterum tam Romanorum quam alienorum populorum, ad clariorum virorum strenue facta aut graviter dicta, ad historiam, ad mythologiam, ad cultus et sacros ritus, denique ad omnia ea, quae memorabiliora in tota antiquitate occurrunt. Quarum rerum varietatem jucundissimam a Saturis non alienam fuisse testimonia aliquammulta in promptu sunt. In libri ejus, qui inscribitur *Ἄλλος Οὗτος Ἡρακλῆς*, fragmento quodam a Macrobio servato memoratur de Martis cum Hercule cognatione: ex Satura *Hercules Tuam Fidem* inscripta aliquot ver-

siculi de Tutano et Tutilina superstites sunt: in Satura, quae erat Περὶ Ἐξαγωγῆς, fuit Andromedae, in *Marcipore* fuit Medeae fabula narrata et in fragmentis *Promethei Liberi* ipse heros, a quo liber inscriptus est, introducitur a Caucasi rupibus, quibus affixum fuisse eum antiqua fama ferebat, de iniquissima sua sorte conquerens. Haec ad mythologiam. Historici generis aliquot fragmenta exstant in reliquiis Saturarum Γεροντοδιδασκάλου, Περὶ Ἐξαγωγῆς, Τοῦ Πατρὸς Τὸ Παιδίον, περὶ Παιδοποιΐας, *Serrani*, περὶ Ἀρχαιρεσιῶν, quarum in prima M'. Curii Dentati quoddam facinus, in altera de Hannibalis morte, in tertia de Sp. Carvilii divortio memoratur, et, *Serranus*, περὶ Ἀρχαιρεσιῶν ad quem pertinuerit, ipsa inscriptio indicat. Denique in rituum quoque sacrorum veterumque institutorum memoriam Varronem haud raro incidisse quum aliarum, tum earum Saturarum reliquiae hodie exemplo sunt, quae inscribuntur Ἱπποκύων, Περὶ Κεραυνοῦ, *Pseudulus Apollo*, περὶ Θεῶν Ἀναγνώσεως, *Sexagessis*.

Neque autem hujusmodi laudationibus solum, sed delectabili etiam aliarum rerum varietate Varro jucundum suum opus reddere studuit. Quo pertinet, quod Grammaticam passim illustrabat [15]), poetarum censuras instituebat [16]), et ipsius quoque poeseos artiumque liberaliorum cultum suavissimo eloquio commendabat. Quemadmodum in *Parmenone* fecit, dicens: „Dimittis acres pectore curas cantu castaque poesi.“, qua laude Musarum quid dulcius est? aut quid festivius illis versiculis in Satura Ὄνος Λύρας, quibus Musarum contemptores arcet:

---

[15]) V. fr. *Pappi aut Indigenae.* In *Parmenonis* fr. 15. explicatur, quid differant Poema, Poesis et Poetice. Cf. fr. *Κυνοδιδασκ.*

[16]) V. *Bimarc.* fr. 25. de Cn. Lentulo Clodiano inepto comoediarum scriptore. *Parmen.* fr. 14.: „In quibus partibus in argumentis Caecilius poscit palmam, in ἤθεσιν Terentius, in sermonibus Plautus.“

„Si quis *μελῳδεῖν* est *ὄνος λύρας*
Praesepibus se retineat forensibus,
Quibus suam delectet ipse amusiam
Et aviditatem speribus lactet suis.“

Et tamen nescio an haec jucunditas delectabilior aut gratior Romano ingenio fuerit, quam si conjuncta esset cum gravitate illa sententiosa, qua Varro ut alias ita praecipue in his Menippeis excelluisse videtur. Quanta sententiarum in eo ubertas! quae copia dictorum gravissimorum et ad vitam utilissimorum, quibus tota oratio est irrigata! Quemadmodum si in Satura, quam *de Officio Mariti* scripsit, ait: „Vitium uxoris aut tollendum aut ferendum est. Qui tollit vitium, uxorem commodiorem praestat, qui fert, sese meliorem facit.“: vel in *Ἔχω Σε, περὶ Τύχης*: Sapiens et bonum ferre potest modice, et malum fortiter aut leviter.“ Quam praeclare illud in *Manio* de sortis humanae necessitate:

„Natura humanis omnia sunt paria.
Qui pote plus, urget: piscis ut saepe minutos
Magnu' comest, ut aves enecat accipiter.“

Quam graviter et sapienter in *Ἀνθρωποπόλει, περὶ Γενεθλιακῆς* illud in avaros praeceptum:

„Non fit thesauris, non auro pectu' solutum,
Non demunt animis curas ac religiones
Persarum montes, non atria diviti Crassi.“

item in *Eumenidibus*:

„— — — — — Denique avarus
Quis sanu' 'st? Cui si stet terra et traditus orbis,
Furando tamen ac morbo stimulatur eodem,
Ex sese ipse aliquid quaerat cogatque peculi.“ [17]

---

[17]) Alia sententiosi stili Varronis exempla habes in *Aborigin. π. Ἀνθρώπων Χύσεως* fr. 3. *Ἄμμον Μετρεῖς, π. Φιλαργ.* fr. 3. *Caprin. Proel., π. Ἡδονῆς* fr. 2. *Endymion.* fr. 6. *Eumenid.* fr. 12.: „Patella esurienti posita provocat Neapolitanas piscinas.“ *Leg. Maenia* fr. 7. et fr. 8.: „Neque in bona segete nullum est spicum nequam, neque in mala non aliquod bonum.“ *Man.* fr. 17. *Μαρκοπόλ., π. Ἀρχῆς* fr. 3. *Mod.* fr. 4.: „Non eos optume vixisse, qui

Praeter luxuriam [18]) enim nullum vitium videtur fuisse, quod acrius castigaret Varro, aut in cujus reprehensionem saepius incideret, quam avaritia, quae una cum illa, quam sibi tanquam cognatam habebat, peste tunc temporis indies magis per totam rempublicam grassari coepit [19]). Sublata prisca morum simplicitate et severitate, quavis undique corruptela impune irruente, labari respublica ac, veluti morbo communi correpta, turbari conquassarique coepit. Evanuerunt antiquae virtutes, veteris Latii decus, et in earum locum subierunt inquilinae impietas, perfidia, impudicitia [20]), alia scelerum et flagitiorum genera. Quid igitur mirum, si Varro luxuriam et avaritiam primarias communium malorum caussas jure esse ratus eas prae ceteris vitiis incessit, harumque potissimum abominatione Fabriciorum degeneratam prolem ad priscam victus cultusque simplicitatem revocare studet? Hinc frequens etiam illa praeteritorum temporum recordatio et sincerae probitatis avorum atavorumque, qui, „quamquam allium ac cepe eorum verba olerent, tamen optime animati erant.“ [21]) Nunc contra mutata omnia. Nulla pudicitia, nulla liberorum erga parentes pietas [22]), nulla judiciorum sanctimonia, nulla legum re-

---

diutissime vixent, sed qui modestissime.“ *Papia Papae* fr. 5.: Imperito nonnunquam concha videtur margarita, putamen smaragdos.“ *Virgul. Divin.* fr. 6. — Cf. nos supra p. 5 sqq.

[18]) V. quae supra adnotavimus ex Sat. *Bimarc.*, *Baj.*, *Mod.*, et ex *Περὶ Ἐδεσμάτων*. Quibus locis nunc addimus *Marcipor.* fr. 1., *Man.* fr. 11., *Quinquatr.* fr. 2 et 3., *Τὸ Ἐπὶ Τῇ Φακῇ Μύρον*, *π. Ἐυετηρ.* fr. 2.

[19]) Ad avaritiam pertinēbat Satura *Ἄμμον Μετρεῖς, π. Φιλαργυρίας.* — Cf. *Andabat.* fr. 1. „Non mirum si caecutis: aurum enim non minus praestringit oculos, quam *ὁ πολὺς ἄκρατος*. *Ἀνθρωπόπ., π. Γενεθλιακῆς* fr. 1.

[20]) Sunt verba ipsius Varronis in Sat. *Sexag.* fr. 13.

[21]) Sunt verba Varronis in Sat. *Bimarc.* fr. 4. — V. *Γεροντοδιδασκ.* fr. 14., *Sesquiul.* fr. 3 et 4.

[22]) *Sexag.* fr. 14.: „Nunc quis patrem decem annorum natus

ligio [23]), nulla comitiorum dignitas [24]), nulla denique foederum fides aut sanctitas [25]). Altero quasi Lucilio opus erat, qui stricto veluti ense populum dissecaret et urbem, cuilibet generi corruptelae patentem. Et tamen, an aetas tulisset eum, dubitari potest, si reputemus, non quaevis vulnera ferro nec quovis tempore posse sanari.

Quare nescio fere, an mitius Varronis Saturae genus illi aevo multo accomodatius fuisse dicam, quippe quod per lenia philosophiae fomenta in tanta et communi morum lue medelam adferre malebat, et, acerbioris vituperii via relicta, hoc potius studebat, ut eruditionis rerumque gravissimarum cognitionis beneficio civium animos et mentes a pravis et perversis, quibus semet tradiderant, studiis avocaret simul et emendaret. Eruditionem enim et morum et temporum unicam emendatricem esse Varro si quis alius persuasum habuit, et ab hoc consilio sese in Menippeis quoque conscribendis esse profectum varia ratione probavit. Quo ejus inprimis pertinet studium, quo vanas sui aevi et superstitiosas de rebus divinis opiniones lacessit, praestigiosorum peregrinorumque cultuum acris ubique oppugnator [26]). Qua-

---

non modo aufert, sed tollit, nisi veneno?“ — Cf. quae adnotata sunt ad frr. Sat. *Legis Maeniae.*

[23]) *Sexag.* fr. 4.: Avidus judex reum ducebat esse κοινὸν Ἑρμῆν.“ ibid. fr. 5.: „Quod leges jubent, non faciunt: δὸς καὶ λάβε fervit animo.“ *Papia Papae*, π. Ἐγκωμίων fr. 4.: „Praetor vester eripuit mihi pecuniam. De ea questum ad annum veniam ad novum magistratum, cum hic rapo umbram quoque spei devorasset.“

[24]) *Sexag.* fr. 3.: „Ubi tum comitia habebant, ibi nunc fit mercatus.“

[25]) Ad hanc materiam pertinebat fortasse Sat. *Flaxtabulae*, π. Ἐπαρχιῶν. — *Bimarc.* fr. 18.: „Socius es hostibus: sociis bellum ita geris, ut bella omnia domum auferas.“ Cf. ejusd. Sat. frr. 17. et 19.

[26]) Quod vidit jam olim D. Heinsius in libr. I. de Satyra Horatiana (LB. 1629. 12.) p. 109 sq.: „Neque secus antiquissimi sanctissimique Patres furiosum idolorum cultum oppugnarunt: etiam

lem se praebuit in *Eumenidibus*, in quibus non pauca de Phrygiae Deae sacris, et de Serapidis numine ab Alexandria invecto et summa superstitione Romae tunc temporis coli coepto [27]). Cujus in dei artes veteratorias, quae non poterant nisi nummis redimi, cadunt lepidi illi versiculi:

„Hospes quid miras animo curare Serapim?
Quid? quasi non curat tantidem Aristoteles."

et alter locus: „Ego medicina Serapi utor! quotidie precantur. Recte intelligo scriptum esse Delphis: Θεῷ Ἥρα." [28])

Sed de his hactenus. Superest, ut, priusquam finem capiti imponamus, de Varronis stili colore et de poetica ejus facultate judicium subjiciamus. Hanc autem non de trivio, imo egregiam fuisse non melius arbitror tibi probatum iri, quam si exempla aliquot hic proponam, quae peto ex Saturis *Marcipore* et *Prometheo Libero*. Quorum in altero quis non admiratur imaginem tempestatis tam vivis coloribus expressam, ut audire ventorum fremitus et tanquam oculis nostris subjectos esse nobis videamur eos, qui illa occupantur dum peregre sunt:

„Repente noctis circiter meridie,
Cum pictus aer fervidis late ignibus

---

quorundam paganorum, qui praeiverant, judicio. Inter quos et Noster. Cujus locum de Priapo, qui, nisi fabro aliter fuisset visum, scamnum esse poterat, Lactantius et alii adducunt. Senecam vero libros ea de re integros scripsisse, iidem Ecclesiae doctores monent. Cujus in hanc rem praeclara apud Augustinum exstant hodie fragmenta. Quemadmodum et Varro festivissime, ut ceteros omittam, non uno loco id egisse in Satyris videtur." — Vide quae disputavit Rud. Merckel. in proleg. ad Ovid. Fast. p. CLXXXVIII sq. — Erat Satura Varronis inscripta *Pseudulus Apollo, περὶ Θεῶν Ἀναγνώσεως*.

[27]) Servius in Virgil. Aen. l. VIII, v. 698: „Varro dedignatur Alexandrinos deos Romae coli. Zonaras p. 606. et Suidas s. v. Ἐγκατέσκηψαν: — — „Τὰ Αἰγυπτίων κακὰ τὰ ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ πόλει ἐγκατέσκηψε καὶ τῇ Ῥώμῃ· Οὐάῤῥων φησίν." — Serapidis cultum Varro illusit in Sat. Σεραπαρήκτη, ut ipsum hoc nomen indicare videtur.

[28]) Uterque locus exstat inter *Eumenidum* frr.

Coeli chorean ἀστρικὴν ostenderet,
Nubes aquali frigido velo leves
Coeli cavernas aureas subduxerant,
Aquam vomentes inferam mortalibus:
Ventique frigido se ab axe eruperant
Phrenetici Septentrionum filii,
Secum ferentes tegulas, ramos, syros.
At nos caduci, naufragi, ut ciconiae
Quarum bipennis fulminis plumas vapor
Perussit, alte moesti in terram cecidimus."

Pari ingenii spiritu prolata sunt verba Promethei, Caucasi rupibus vinculis ferreis affixi lateque plangorem fundentis:

„Mortalis nemo exaudit, sed late incolens
Scytharum inhospitalis campis vastitas.
— — — — — — — — — — — —
Levis mens nunquam somnurnas imagines
Adfatur, non umbrantur somno papulae."

En divinum orationis flatum ad nos adspirantem, quo nihil dulcius, nihil facundius aut sublimius Latiares Musae unquam cecinerunt! Tam suavis verborum modulatio, ut vel hi pauci versiculi nomen Varronis aeternitati assererent, etiamsi nihil praeterea scripsisset, quo ei consuleret. Utinam adhuc haberemus Ἑβδομάδων libros, quorum epigrammatis virorum illustrium cujusvis aetatis in quavis arte excellentium laudes celebratae erant! Utinam superstes esset carmen de *Rerum Natura,* cujus nunc memoria ita est obliterata, ut nunquam scriptum fuisse nuper quidam asseverare auderent! [29]) Et haec Saturarum Menippearum bellissima

[29]) V. H. C. A. Eichstädt de T. Lucretii Cari Vita et Carmine p. LXXXXVI, n. 50. (in ed. Lucret. tom. I.), qui M. Terentium Reatinum et P. Terentium Atacinum subinde confundens in hac causa mirum quantum hallucinatus est. Memoria carminis Varroniani nititur praecipue loco Lactantii Instit. Divin. l. II, c. 13, ubi leguntur haec: „Empedocles, quem nescias, utrumne inter poetas an inter philosophos numeres, quod de Rerum Natura versibus scripsit, ut apud Romanos Lucretius et Varro — —." Quo cum loco compara verba Quinctiliani Instit. Orat. l. I, c. 4.

fragmenta, quibus fortuna parcere voluit, quotusquisque est, qui novit aut legit? praesertim quum temporum aerugine tantopere sint obsita ac paene obesa, ut legi vix queant. In quibus emendandis illustrandisque si nostra opera non prorsus incassum fuerit, laetabimur in hac parte ad Varronis nomen pristino suo splendori restituendum aliquid contribuere nobis contigisse. Quod enim vulgo et ab antiquioribus et ab recentioribus de eo judicari solet, scilicet scientiae multiplici, qua in omni literarum parte instructus erat, stili virtutes haud pares fuisse, hoc certe ad Saturas referre non debebant [30]. Sermo earum, quoad ex

§. 4.: „Nec ignara philosophiae (grammatice potest esse perfecta) quum propter plurimos in omnibus fere carminibus locos ex intima quaestionum naturalium subtilitate repetitos, tum vel propter Empedoclem in Graecis, Varronem ac Lucretium in Latinis, qui praecepta sapientiae versibus tradiderunt.“ Spalding. quoque ad h. l. negat Varroni carmen de Rerum Natura scriptum fuisse, statuens, Fabii verba „qui praecepta sapientiae versibus tradiderunt“ referenda esse ad Saturas Menippeas, in quibus pedestri orationi videlicet versus quoque intertextos esse non minus constet, quam in iis maxime de ethicis disputatum fuisse. Sed neglexit vir doctus, in Quinctiliani loco non de ethicis dici, sed de quaestionibus naturalibus, in quibus illustrandis tres illos, scilicet Empedoclem in Graecis, Varronem ac Lucretium in Romanos versatos esse. Firmatur sententia etiam Ciceronis verbis Academ. I, c. 3, quibus Varronem compellat sic: „*Atque ipse varium et elegans omni fere numero poema fecisti: philosophiamque multis locis inchoasti* —.“ Scio quidem hunc locum a plerisque referri ad Saturas Menippeas: sed perperam hoc. Saturas enim Menippeas maximam partem soluta oratione scriptas fuisse, hodie ex fragmentis patet; ut non recte intelligatur, quo jure aut quo nomine Cicero eas „poema“ appellare potuerit, praesertim quum permagna earum multitudo esset eaque summa materiae varietate disposita. Quod autem putant, illud „elegans omni fere numero“ non posse explicari, nisi intelligatur de variis metris, quibus Varro in Saturarum poematiis concinnandis usus sit, hoc quidem minime moror, quum constet, locutionem „omni numero“ saepius valere apud Latinos scriptores idem atque „ab omni parte“ vel „omnino“.

30) Bernhardy. l. l. p. 246. n. 469.: „Wie weit diese Satiren

reliquiis colligi licet, jucundus et facilis in universum, concitatus plerumque [31]), dicax, frequens imaginibus et salibus [32]); toto vero operi superfusus singularis quidam ille festivitatis color, qui sentiri magis quam verbis explicari potest. Quod judicium ut tibi exemplis hic probem ne exigas: sponte se offerunt fere quaque in pagina tam multa, ut singula exhibere jure supersedere possim.

(sc. Varronis), die man schon wegen ihrer praktischen Sentenzen schätzte, benutzt wurden, ist ungewifs; sicher zeigten sie aber den sonst schwerfälligen Varro in einem glänzenden Lichte."

[31]) Varro frequenter et personas loquentes in Saturis induxit, et dialogica disserendi forma haud raro usus videtur esse. Cf. *Bimarc.* fr. 14. et 17. *Prometh. Lib.* fr. 1—5. 8. 13. *Τριφάλλ.*, π. Ἀῤῥενότητος fr. *Vinal.*, π. Ἀφροδισίων fr. *Devict.* π. Φιλονικίας fr. 1—4. *Sexag.* fr. 2. 8. 15—18. Quibus exemplis multa alia addi poterant.

[32]) Idem suffragium tulit Reuvens. in Collect. Liter. c. IX. s. 2. p. 129.

M. TERENTII VARRONIS

SATURARUM MENIPPEARUM

RELIQUIAE.

Κρᾶσιν τινα παράδοξον κέκραμαι καὶ οὔτε πεζὸς εἰμι, οὔτε ἐπὶ τῶν μέτρων βέβηκα, ἀλλὰ ἱπποκενταύρου δίκην, σύνθετόν τι καὶ ξένον φάσμα τοῖς ἀκούουσι δοκῶ.

LUCIAN. Bis. Acc.

I. ABORIGINES, *ΠΕΡΙ ΑΝΘΡΩΠΩΝ ΦΥΣΕΩΣ.*

Argumentum Saturae, quod inscriptione simpliciter indicatum est, plenius sibi aliquod excogitavit Auson. Popma, cujus hic verba sequuntur: „Hac Satura Varro videtur disseruisse, naturam hominis esse quidem illam participem rationis et ingenii, sed inhorrescere et efferari sine cultura virtutis. Eo pertinet titulus *Aborigines:* qui populi antiquissimi Italiae primum in montibus vagabantur, nullis civilibus institutis aut domesticis moribus exculti, post in iisdem moenibus cum Trojanis advenis inclusi et ad omnem humanitatem fuerunt informati.“ Quae conjectura etsi per se quidem non prorsus improbabilis sit, nullis certe reliquiarum certis indiciis firmatur. Acquievit ei tamen Reuvens. Coll. lit. p. 120. — Ceterum meminerint lectores, Zenoni quoque Cittieo, Stoa conditori, librum περὶ ἀνθρώπου φύσεως scriptum fuisse, quem laudat Diog. Laert. l. VII, s. 4.

1. Grundit tepido lacte satur mola mactatus porcus.

2. Mugit bovis, ovis balat, equi hinniunt, gallina pipat.

3. Sed neque vetulus canterius quam novellus melior, nec canitudini comes virtus.

4. Itaque brevi tempore magna pars in desiderium puparum et sigillorum veniebat.

5. Ita
Sublimis speribus jacta te nomine
Nati volitantis, altos in deos trudito!

1. Ap. Non. p. 114, 26. ed. Merc. v. Grunnire dicuntur porci. — *Grundit* dedimus novissimam Nonii edit. secuti. Laurenberg. in Antiquario (Lugd. 1622. 4.) s. v., Popm. et priores Non. edd. praebent *grunnit.* — Diomed. Gr. I, p. 379. ed. Putsch.: „*Grunnit* porcus dicimus; veteres *grundire* dicebant, ut sit instans *grundio*“.

2. Ap. Non. p. 156, 24. v. Pipare. *Mug. bos* ante Merc. Servandam esse putavimus antiquiorum vocabuli formam, qua usus etiam est Petron. Sat. 62, 13.: „Jacebat miles meus in lecto tanquam *bovis*“. Varro de L. L. VIII, 74.: Nunc in consuetudine aliter dicere, pro Jovis Juppiter, pro *bovis* bos, pro strus strues“.

3. Ap. Non. p. 82, 23. v. Canitudinem pro canitie.

4. Ap. Non. p. 156, 19. v. Pupae et Pupi. — Gloss. vet.:

„Puppae, πλαγγόνες, αἱ τῶν παιδίων νύμφαι". — Videtur senum puerilitas denotari.

5. Ap. Non. p. 171, 27. v. Sperem veteres spem dixerunt. — Locum misere corruptum sic conjectura restituere conatus sum. Ed. 1842 exhibet: *ita sublimis sp. jactato nominativo (nominatuo* praebet Cod. Lugd. et mg. Jun.) *volitantis altos nitens trudito*". Item Merc. Inepte Popma: *Sublimes sp. natato maria, Volitantes a. montes trudito*". Felicius Reuvens. Coll. lit. p. 120 sqq.: *Ita sublimis s. Jactato nomine tuo, volitanteis alto nido extrudito*", quae ita explicat: „Hic memoria repeti velim Saturae *Aboriginum* argumentum, hominum ajo educationem et ingeniorum culturam. Nonne tunc planum fit, sermonem esse de liberis? Ecquid aliud, quam conversio ad civem superbum, qui liberos suos quamvis tenellae aetatis tamen nomine paterno jam insolescentes, ad ambitiosum vitae genus instruit, quasi avis pullos vix aut ne vix quidem volantes nido expellit". Facilior nostra emendatio videtur esse. Arbritramur his versiculis notari patrem spe nimia et ambitiosa in filii virtutibus sese jactantem. *Volitantis* sc. ambitione et honorum cupiditate; *in d. trudito* h. e. usque ad ipsos deos effer natum. Verbum trudere commode hic verti potest per nostrum *poussiren*. Cf. Cic. ad Att. I, ep. 16, 12.

II. AGATHO.

Saturae, in qua de amoris natura disputaret, Varro Agathonis nomine potissimum inscribendum esse putavit, quippe qui de hac ipsa materia in Platonis Symposio tam praeclare disserit, docens Amorem juvenem esse mollem, tenerum, floridum, esse omnis pravitatis et deformitatis acerrimum inimicum, esse fortiorem omni vi atque potentia, esse Deorum hominumque gubernatorem, et ad omnes denique artes et disciplinas ducem certissimum. V. Plat. Sympos. c. 17—19. — Quaenam Varronis fuerit in hac materia ratio, ex his reliquiarum minutiis colligi nequit. Inepta enim est Popmae conjectura statuentis, scriptorem hac Satura inanes adolescentiae cupiditates acerbe insectatum esse „et hoc gravissime monuisse, decere teneros et molles animos juvenum, studiis doctrinae ad virtutem percipiendam imbui et praeparari."

1. Pueri obscenis verbis novae nuptulae aures returant.
2. Virgo de convivio abdicatur ideo, quod majores nostri virginis acerbae auris Veneris vocabulis imbui noluerunt.
3. Et pueri in aedibus saepius pedibus offensant, dum recentes musteos in carnario fluitantes suspiciunt.
4. Quid tristiorem video te esse quam antidhac

Lampadio? Numquid familiaris filius?
Amat, nec spes est auxili argentaria,
Ideoque scapulae metuunt virgindemiam.
5. Quid multa? Factus sum vespertilio, neque
In muribus plane, neque in volucribu' sum.
6. Neque auro aut genere aut multiplici scientia
Sufflatus quaerit Socratis vestigia.
7. Numnam caelatus in manu dextra scyphus
Caelo dolitus artem ostentat Mentoris?
8. Δουλοπρεπῶς qui meritat, hominem et servum facit.
9. Haec postquam dixit, cedit citu' celsu' tolutim.

1. Ap. Non. p. 167, 5. v. Returare, aperire, et p. 357, 2. v. Obscenum, quo in altero loco Codd. constanter exhibent *nuptae* pro *nuptulae*, quod tenent in priore, et quod recepi cum Popm. et Adr. Turneb. Adv. XXVIII, 12. — „Novum maritum" et „novam nuptam" dixit Plaut. Cas. IV, 2, 4. V, 1, 5. — *obturant* Popm. Returare proprie esse retusare, ideoque „obscenis verbis" non dativo, sed ablativo casu explicandum esse statuit Döderl. Synon. et Etym. III, p. 167 sq., improbante Od. Müllero ad Fest. p. 184, qui recte monet illud S, quod ex litera D similibusque ortum sit, nunquam transiisse in R literam.

2. Ap. Non. p. 247, 18. v. Acerbum, incoctum, et p. 521, 23. v. Imbuere, maculare, polluere. — *abdicatur* dedimus secuti edd. Ald. Jun. et Merc., Laur. et Popm. *abducatur* Turn. Adv. XXIX, 20. et ed. 1842. — De Veneris vocabulis v. Dacier. ad Fest. v. praetextatum, p. 606. ed. Lindem., et Taubm. ad Plaut. p. 1447. (ed. 1621). — Tertull. de Vel. Virg. c. 11: „Igitur si tamdiu virgo est, quamdiu acerba est, desinit virgo esse, cum matura cognoscitur". Funus acerbum (θάνατος ἄωρος, Eurip. Orest. v. 1030) dixerunt Cic. Dom. 16., Senec. Ep. 122. Cf. Taubm. ad Plaut. Amphitr. I, 1, 35. „acerbos partus edere" Ovid. Fast. IV, 647.

3. Ap. Non. p. 400, 14. v. Suspicere est susum adspicere. — *fluitantes* restituimus cum Laurenb. pro vulg. *fluitare*, qui infinitivus pugnat cum verbi suspicere significatu. — Musteos explicant Laur. et Turn. Adv. XXVIII, 12. per caseolos molles et teneros. Forcellin. in lex. rectius intelligit petasones, sed errat, dum *recentes* pro glossemate habet. Mustei enim petasones non semper iidem sunt et recentes, sed simpliciter sunt succo abundantes. Cf. Martial. l. XIII, ep. 55. — De carnario v. Schneid. ad. Cat. de R. R. c. 12.

4. Ap. Non. p. 187, 10. v. Virgindemiam, ut vindemiam. — „*argentarii*“ maluerunt Gifan. et. Popma. Inepte. „Argentariam inopiam“ dixit Plaut. Pseud. I, 1, 103. I, 3, 65. et „spem coenaticam“ id. Capt. III, 1, 35. — „Familiaris filius“: v. Lindem. ad Plaut. Capt. II, 2, 23. — *virgindemiam* scripsimus Codd. secuti, et propter soni cum vindemia similitudinem; *virgidemiam* corr. Scalig., quam vocabuli formam Codd. tenent in loco Plaut. Rud. III, 2, 22.

5. Ap. Non. p. 47, 3. v. Vespertilio.

6. Ap. Non. p. 46, 30. v. Sufflatum dicitur proprie tumidum, erectum et quasi vento quodam elatius factum. — Non male conjecerunt viri docti, de Alcibiade hos versiculos esse intelligendos.

7. Ap. Non. p. 99, 17. v. Dolitum, quod dolatum usu dicitur, et p. 436, 15. v. Caelare. — *dolitus*, quod Codd. Mss. utroque loco constanter tenent et Nonii autoritas tuetur, secundam habet productam et est a dolire, non a dolĕre: quemadmodum ab impetrare est *impetratus* et *impetritus*. Similia verba sunt artare et artire, furare et furire, pipare et pipire, mintrare et mintrire. — De Mentore, sculptore celeberrimo adeas Plin. H. N. VII, 38. et inprimis XXXIII, 11 et 12.

8. Ap. Non. p. 345, 7. v. Meret — humillimum et sordidissimum quaestum capit. — Sic conjectura facillima locum sanavimus, quem Codd. Mss. exhibent sic: „Varro Agathone Duloreste: *qui merita hom. et serv. f.*“, tanquam libri titulus sit Agatho Dulorestes. Alii (Catal. Bonn. 1822.) statuerunt, post vocabulum „Agathone“ excidisse Varronis verba et post ea nomen Pacuvii, cujus videlicet ex fabula *Duloreste* illa petita sint. Sed haec conjectura vel eo infringitur, quod Nonius statim post aliam Varronis Saturam laudans, ipsius nomen per „Idem“ expressit, quod mehercle facere non potuisset, si proximus locus Pacuvii fuisset. — *homo, se* cj. Faber. *hominem se* Cat. Bonn. Aliorum conjecturas afferre nihil juvat. *et* particulam hic idem valere atque etiam, in plano est.

9. Ap. Non. p. 4, 18. v. „Tolutim dicitur quasi volutim vel volubiliter.

III. AGE MODO.

Proverbialis inscriptio, qua moneri videtur, sua cuique incepta gnaviter esse et cum solertia persequenda. Hinc fortasse in fragmentis exempla de Aeneae et Argonautarum expeditionibus illis laborum periculorumque gravissimorum cujusvis generis plenis, et tamen feliciter tandem ad finem perductis.

1. Argo citiremem.

2. Aenea.
3. Terra culturae causa attributa olim particulatim hominibus, ut Etruria Tuscis, Samnium Sabellis.

1. Ap. Charis. Gr. I, 21, 5. ed. Lindem.: „Antiphonem Terentius, quod quidem rectae rationis est: „Apud Antiphonem uterque mater et pater", ut leonis, draconis, leonem, draconem: nec enim nominativus Graecis par est. Alcon, Alconis adaeque facit, nam et Maro sic declinavit. Argo, hanc Argo, Varro Menippea [satyra] *Age modo:* „Argo citiremem".

2. Ap. Charis. Gr. I, 16, 26. et 21, 23.: „Aenea, hic Aenea sine *s* Varro dixit in *Age modo*".

3. Ap. Philarg. in Virg. Georg. II, 167. p. 329. ed. Lion.

IV. AJAX STRAMENTICIUS.

Inscriptio difficilis explicatu. Turneb. Adv. XXVIII, 12. hallucinatur de Ajace aut milite in stramentis jacente, morboque affecto et aegrotante. Melius Scaliger ad Fest. v. Pilae p. 599. ed. Lindem., qui refert ad homines foeneos (Cic. pr. Cornel. init. ibique Ascon.), quibus objectis tauri in ludis irritabantur. Cf. Martial. Lib. de Spect. Ep. 22. — Ajax Stramenticius Varroni fortasse est homo Ajaci tam similis, quam sunt foenei et stramenticii illi hortorum agrorumque custodes, feris et avibus perinde terribiles ac pecudi olim fuit Ajax μαινόμενος. — Ψευδαίαντα fabulam scripsit Apollodorus Gelous, Menandro aequalis, teste Suida, et Polluce X, 31.

1. Hac re aeger medicos exquisitim convocabas ut convalesceret.

1. Ap. Non. p. 513, 28. v. Exquisitim. *Hac re* dedi ex conj. Turn. et Gulielm. pro vulg. *Acre.* Hujus enim adjectivi pro adverbio „acriter" positi, perrara exempla sunt (Sallust. ap. Non. p. 132, 23. Pers. Sat. IV, 34.), eaque non satis accomodata huic loco. Popma conj. ἀκρὴς (quod vocabulum Hesych. interpretatur: ὁ διά τινα ἔκπληξιν ἄφωνος γενόμενος), et explicat: Homo meticulosus visa Ajacis facie ex stramento, perculsus subito terrore, factus est mutus et amens.

V. *ΑΛΛΟΣ ΟΥΤΟΣ ΗΡΑΚΛΗΣ.*

Proverbium explicatum apud Gaisford. (Paroemiogr. Gr. — Oxon. 1836) p. 6, 46.; Ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς: Ἐπὶ τῶν ἰσχυρῶν καὶ καρτερῶν. Φασὶ δὲ ὅτι ἐπὶ Θησεῖ ἐλέγετο δι' ἅπερ καὶ αὐτὸς κατώρθωσεν. Eadem fere affert Diogenian. I, 63. p. 161, ubi Gaisfordius adire nos jubet Plutarch. Thes. tom. I, p. 14 sqq. et Eustath. ad Il. V, p. 589, 41.

1. *Saltos autem Herculi ubertate doctrinae altioris assignat*

(sc. Maro), quia is deus et apud pontifices idem qui et Mars habetur. Et sane ita Menippea Varronis affirmat, quae inscribitur Ἄλλος Οὗτος Ἡρακλῆς, in qua quum de Hercule multa loqueretur, eundem esse ac Martem probavit.

2. Gravidaque mater peperit Jovi puellum.

1. Ap. Macrob. Saturn. III, 12. — De re v. Hartung, Relig. der Römer, tom. II, p. 22. Cf. Serv. in Virg. Aen. VIII, 275. 285. Plin. H. N. II, 8. Hygin. Astron. I. ad fin.

2. Ap. Prisc. VI, 8. p. 248. ed. Kr.

VI. *ΑΜΜΟΝ ΜΕΤΡΕΙΣ, ΠΕΡΙ ΦΙΛΑΡΓΥΡΙΑΣ.*

Titulus Adr. Junii conjectura elegantissima restitutus. Nonii Codd. omnes corrupte partim *ἀλλουμελλειcρεριαο*, partim *Αμουμεμεις* vel *Αμουμενεισε περὶ μαρτυρίας*, partim *Αμουμεμειο περι φιλαρτυραν* vel *Αμοιμεμεῖς περὶ φιλαργυρία* exhibent. Turneb. Adv. XIX, 2. scripsit *ἄλλοις μέλεις*, et in loco Non. p. 552, 29. vestigia in vetustis libris rimatus eruisse sibi visus est, scribendum esse: *ἀλλ' ὅν μοι ἔνευσε, περὶ μαρτυρίας*, quod (Adv. XXI, 20) hac explicatione tueri studet: „Solent interdum nutu homines testium fidem et religionem sollicitare, dum superciliis tacitis ad assentiendum vel dissentiendum impellunt.“ Rothius denique voluit *ἀμοῦ μενεῖς*. Sed non dubium est, quin recte emendaverit Junius; probarunt ejus conjecturam Popma, Mercerus et Laurenberg. Proverbialis locutionis *ἄμμον μετρεῖν*, (quam memorant Zenob. I, 80., Diogenian II, 27. et Proverb. Bodl. 108, p. 11 ed. Gaisf., et explicant: *Ἐπὶ τῶν ἀδυνάτων*), in avaritiam insatiabilem aptissimum usum esse, in plano est.

1. Nos barbari, quod innocentes in gabalum suffigimus: vos non barbari, qui noxios consuestis?

2. Quaero te, utrum hoc adduxerit coeli temperatura, an terrae bonitas?

3. Etenim, quibus seges praebeat domum, escam, potionem, quid desideremus?

4. Quem secuntur cúm rotundis vélites levés parmis,
Antesignaní quadratis múltis insignı́bu' tecti.

1. Ap. Non. p. 117, 13. v. Gabalum crucem dici veteres volunt. — *consuestis* nostra conjectura est. Codd. praebent *quid non obvestis*, pro quo Jun. et ed. 1526. *quod non absolvitis*, et Merc. *quod non solvistis* conjecerunt. — De gabalo antiquissimo Romanorum supplicio v. Lips. de Cruce I, 2. et Casaub. in Capitol. Opil. Macrin. c. 11.

2. Ap. Non. p. 179, 11. v. Temperatura pro temperie. — *quaero ex te* Jun., Popma.

3. Ap. Non. p. 395, 29. v. Segetem etiam ipsam terram dicimus.

4. Ap. Non. p. 552, 29. v. Veles, et p. 553, 9. v. Antesignanorum proprietas aperta est. — Versus tetram. troch. claudi sive Hipponactei. — Significatur his verbis prima acies. Antesignani Varronis temporibus erant, qui ante aciem collocabantur, ut signis propugnarent, gravis armaturae milites, qui utebantur scutis, quae abusive h. l. quadrata insignia appellantur. Non enim nuda hostibus objiciebantur signa militaria sed vallo virorum fortissimorum circummuniebantur. V. Lips. de Milit. Rom. IV, 3. Velites quoque, quorum armaturae parma erat, quum ante signa pugnare solerent, Caesaris temporibus antesignani dicebantur. V. Salmas. de Milit. Rom. c. 17.

VII. ANDABATAE.

Andabatae erant gladiatores, quorum caput tectum erat casside sine apertura ante oculos, ita ut veluti caeci depugnarent eoque risum moverent spectatoribus. Orell. Inscr. II, p. 451. Inde vulgari proverbio sic dicuntur qui tanquam caecos se gerunt, aut qui temeraria et ridicula contentione in rem quampiam incumbunt ac veluti caecis oculis de ea acerrime contendunt inter se atque digladiantur. Hieronym. Apol. adv. Rufin. p. 150, tom. II. ed. Erasm.: „In quo duos andabatas digladiantes inter se spectasse me fateor.“ Id. adv. Helvid. 3.: „More andabatarum gladium in tenebris ventilans.“ Id. adv. Jovin. I, 36.: „Melius est clausis, quod dicitur, oculis andabatarum more pugnare, quam directa spicula clypeo non repellere veritatis.“ Cf. Cic. VII, ep. 10. ad Trebatium: „Sed tu in re militari multo es cautior, quam in advocationibus: qui neque in oceano natare volueris, studiosissimus homo natandi, neque spectare essedarios; quem antea ne andabatam quidem defraudare poteramus.“ — De vocabuli *andabata* veriloquio adeas Döderl. Etym. tom. VI. p. 20, s. v. cf. Turneb. Adv. XIX, 8. Ceterum quinam sint ἀνδραβάται illi inter legionarios memorati ab Joh. Lydo de Magistr. I, 46., qui explicat per κατάφρακτοι, nescire me fateor: dubito tamen quin recte suspicatus sit Fussius, ἀνδαβάται eo loco restituendum esse.

1. Non mirum si caecutis: aurum enim non minus praestringit oculos, quam ὁ πολὺς ἄκρατος.
2. Edepol idem caecus non lusciosus est.
3. Nec manus visco tenaci tinxerat auri casta.
4. Et me Juppiter Olympiae, Minerva Athenis suis mystagogis vindicassent.
5. Mortales multi rursus ac prorsus meant.
6. Sed quod haec loca aliquid genunt.

7. Idque alterum appellamus a calendo calorem, alterum a fervore febrim.
8. Sed quidvis potius homo quam caruncula nostra.
9. Anima ut conclusa in vesica quando est arte ligata, si pertuderis, aera reddit.
10. In reliquo corpore ab hoc fonte diffusa est anima, hinc animus ad intelligendum tributus.
11. Candidum lacte e papilla cum fluit, signum putant Partuis, quod hic sequatur mulierem e partu liquor.

1. Ap. Non. p. 35, 4. v. Praestringere. — *Nec mirum* Turn. Adv. XXIX, 17. *coecutis; minus aurum enim non pr. o. qu.* τὸ σοῦ κράνος Popma, Lips. *qu.* τὸ σοῦ κράτος Laurenb.

2. Ap. Non. p. 135, 13. v. Lusciosi, qui ad lucernam non vident et μύωπες vocantur a Graecis. — Plaut. Mil. Gl. II, 3, 51.: „Verbero edepol tu quidem Caecus non luscitiosus", ubi cf. Lindem. adnot. Vocabulum *lusciosum* explicat Varro ap. Non. l. l.: „vesperi non videre, quos appellant lusciosos", aliter Fest-Paull. s. v. „Luscitio, vitium oculorum, quod clarius vesperi quam meridie cernit.

3. Ap. Non. p. 367, 11. v. Castum furtis et rapinis abstinens. — *auri* ex conjectura dedimus, ut flagitabat Nonii voc. *Castum* explicatio et loci sententia. Codd. et edd. praebent *viri*. — *castas* in libr. var. lect. ed. Non. 1583; non male. — Viscatas manus dixit etiam Lucil. Sat. l. XXVIII, p. 401. ed. Haverk.: „Omnia viscatis manibus leget, omnia sumet, Crede mihi presse res auferet omnes".

4. Ap. Non. p. 419, 9. v. Vindicare — liberare.

5. Ap. Non. p. 384, 32. v. Rursus, retro.

6. Ap. Prisc. Gr. X, 7. p. 499 Kr. Respexit hunc locum Gramm. in Analect. Gr. ab Endlicher. et Eichenf. ed. (Vindob. 1837.) p. 176, 13.: „Genuit ex quo themate veniat, nullus expressit, licet Varro aliique veterum dixerint *genunt*". (Macrob. de Diff. et Soc. Gr. Latinique verbi p. 754 ed. Zeune.)

7. Ap. Non. p. 46, 21. v. Febris. — Pro *idque,* quod Popma omisit, Roth. non male conj. *ideoque*.

8. Ap. Prisc. Gr. VI, 3. p. 230 Kr.: „Itaque ejus, quod est caro, diminutivum caruncula est, ut virgo virguncula, ratio ratiuncula". — *o homo* Popm.

9. Ap. Non. p. 241, 26. v. Aer, sonus. — *pertuderis* dedimus cum Cod. Lugd., Bern. b. et cum Gesnero. *perfuderis* Codd.

Guelf. et Genev., Codd. Merc., Bern. a., mg. Jun. *percuderis* Ald. *perculeris* Jun., Laurenb., Popma. *arcte* Laurenb., Popma.

10. Ap. Non. p. 426, 13. v. Animus et anima. — Intelligere verbum absolute positum, ut apud Cic. Orat. c. 10 et 17. — Refer locum ad Empedoclis placitum, de quo Plut. de Placit. Philos. IV, 5. Cic. Tusc. I, 9, 19. et 17, 41.

11. Ap. Non. p. 483, 6. v. Lacte nominativo casu ab eo, quod est lac; et p. 486, 6. v. Partuis pro partus. *lacte pap.* Codd. et edd. *Cand. pap. lacte cum fl.* Laurenb. *a partu* cj. Carrio. — De nominativo lacte pro lac cf. Cledon. p. 1904., Valer. Prob. p. 1445., Fl. Capr. p. 2241., Prisc. VII, p. 756. ed. Putsch.

VIII. *ΑΝΘΡΩΠΟΠΟΛΙΣ, ΠΕΡΙ ΓΕΝΕΘΛΙΑΚΗΣ.*

Ἀνθρωπόπολιν puto mundum Varroni dici. Cujus quum tanquam cives flamus quum nascimur, verisimile est, hoc libro eleganter de gravitate ejus dici disputatum esse, quae futurae hominis sorti et condicioni non sine jure potest fatalissima dici.

1. Vulgoque avarus fenerator spe lucri
Rem scriptione duplicarat.

2. Non fit thesauris, non auro pectu' solutum,
Non demunt animis curas ac religiones
Persarum montes, non atria diviti' Crassi.

3. Dotis dato insulam Chrysam, agrum Caecubum,
Seplasia Capuae, macellum Romuli.

4. Et Hymenaeus, qui primo lavere alvum marsupio solet.

5. Ne dares, ne polliceres quid: datum est.

6. Non modo vinum dare, sed etiam, ut Plautus ait, murrhinam, passum, defrutum.

1. Ap. Non. p. 174, 15. v. Scriptione pro scriptura. — Gisb. Cuper. Observ. l. II, c. 6.: „Foenerator hic, homo plane sordidus et avarus, quo meliorem filiis et filiabus quaereret conditionem, multo plura se habere in bonis apud censores professus est, immo fortunas suas duplo majores in tabulas censuales jussit referri. — — Scriptio autem vocatur census aestimatis et descriptis in tabulis censualibus bonis, secundum quas opes in publicum conferebant: factumque imitatione Graecorum, qui censum vocant *ἀπογραφὴν οὐσίας καὶ ἀποτίμησιν*, descriptionem substantiae, ut explicant glossae“. Simplicius Freund in lex. s. v. scriptionem explicat per Schuldverschreibung.

2. Ap. Non. p. 379, 9. v. Religio — metus vel sollicitudo. — Inter vocabula *Non* et *demunt* Codd. inserunt *auris*, quod superioris vocabuli *thesauris* syllabis posterioribus per errorem repetitis in hunc versum irrepsisse puto; nisi fortasse potius pro glossa habendum sit, si quidem aliquot edd. pro *auris* praebent *avaris*. Scalig. scripsit: *Non anim. d. c. a. r.* — Pro *Crassi* esse *Croesi* reponendum, censuerunt Camerar., Lips., Heins., sine justa causa. — *Pers. montes*. Plaut. Stich. I, 1, 25: „Neque ille sibi mereat Persarum montes qui aurei esse perhibentur". — Ad sententiam cf. Tibull. III, 3, 21. sq. Horat. Epist. I, 2, 47. Od. II, 16, 9. Juvenal. Sat. XIV, 328.

3. Ap. Non. p. 226, 14. v. Seplasium generis neutri. — *doti* Ald., Jun., Laur. — De Chrysa insula Plin. H. N. VI, 21.: „Extraque ostium Indi Chryse et Argyre, fertilis metallis, ut credo. Nam quod aliqui tradidere, aureum argenteumque iis solum esse, haud facile crediderim". — De agro Caecubo, generosissimis vinis fertili Plin. III, 5. — De Seplasia vel Seplasiis, Capuae foro, in quo delicatissimae merces venibant, v. Fest. s. v. Plin. H. N. XVI, 10. Ascon. in Cic. in Pison. 11. — De macello Romuli h. e. mac. urbis Romuleae v. Donat. ad Terent. Eun. II, 2, 25. Varr. de L. L. IV, 147. Fest. s. v. Plut. Qu. R. 59. Nardin. Rom. Vet. III, 7.

4. Ap. Non. p. 504, 10. v. Lavere. — *lavere a.* h. e. ciere vel laxare alv. Turn. Adv. XXI, 20.: „*Lavare* (sic) *alvum marsupio* pereleganter a Varrone dictum est, pro marsupium exhaurire. Quae enim eluuntur, ea mera inaniaque relinquuntur, cum alioqui eluere pro consumere solerent frequentare veteres. — — Hic significat sumptuosas esse nuptias, maritosque earum primo statim auspicio impendiis inaniri".

5. Ap. Non. p. 471, 11. v. Pollicere pro polliceri; ubi videnda est Rothii adnot. — *quod d. e.* cj. Jun., Merc., Voss. Legendum fortasse: „*N. dare te p. quid* vel *quod d. e.*". Videtur dicere velle, rem semel datam non denuo dari aut promitti debere.

6. Ap. Non. p. 551, 7. v. Murrhina, potio confecta. — Plauti locus est Pseud. II, 4, 51. De murrhina v. Plin. XIV, 13. De defruto v. Colum. XII, 20. sqq. Gloss. Boxh.: „Uva passa est siccata. Passum est quicquid ex uva passa compressa defluxerit. Dicitur autem passum a patiendo vel pandendo. Uva enim tempore suo ad solem expanditur, et dum sicca fuerit, percutitur atque decoquitur. Inde fit passum vinum, quod defrutum id est coctum dicimus". Serv. in Virg. Georg. II, 93.

IX. ARMORUM JUDICIUM.

Graecorum ducum super armis Achillis contentio ab Attio et Pacuvio tragoediis celebrata erat. Ab his mutuatus titulum Varro Saturae inscribere voluit, in qua philosophorum, ut videtur, contentiosa magis quam frugifera certamina festive perstringeret.

1. Ut in litore cancri digitulis primoribus stare.
2. Illic viros hortari, ut rixarent praeclari philosophi.

1. Ap. Non. p. 427, 29. v. Priores et primores. — *digitibus* Codd. et ed. princ. *digitis* Ald., Jun., prob. Merc. *digitulis* ded. ex nostra conjectura. — Popma apte confert Graecorum ἐπ' ἄκρων ὀνύχων βαδίζειν, quod item dicitur de superbo incessu. Lucil. Sat. VIII, fr. 1. p. 317. ed. Haverk.: „Gallinaceu' quum victor se gallus honesti Sustulit in digitos primoresque erigit ungues". Cf. Plaut. Poen. III, 1, 63. Seneca Ep. ad Lucil. CXI: „Quibus (sc. cavillationibus) quisquis se tradidit, quaestiunculas quidem vafras nectit, ceterum ad vitam nihil proficit, neque fortior fit, neque temperantior, neque elatior. At ille qui philosophiam in remedium suum exercuit, ingens fit animo, plenus fiduciae, inexsuperabilis et major adeunti. — — — In edito stat admirabilis, celsus, magnitudinis verae. Non exsurgit in plantas nec summis ambulat digitis, eorum more, qui mendacio staturam adjuvant, longioresque quam sunt videri volunt".

2. Ap. Non. p. 477, 21. v. Rixat pro rixatur. — *Ille* Popma.

X. BAJAE.

Hujus Saturae materiam luxuriam fuisse et inscriptio et fragmentum indicat. — De Bajis, celeberrimo Campaniae oppido, et cujusvis generis „vitiorum diversorio", ut Senec. ep. 51. appellat, vide interprr. ad Cicer. pro Cael. c. 11 sqq. et ad Propert. I, 11.

1. Quod non solum innubae fiunt communes, sed etiam veteres puellascunt, et multi pueri puellascunt.

1. Ap. Non. p. 154, 7. v. Puellascere, ecfeminari. — Communes h. e. communis usus. Senec. Controv. I, 2. „in communi loco stetisti" h. e. in lupanari. — Dicit Bajas tam profundae libidinis locum esse, ut ibi non solum puellae, sed etiam vetulae lascive se gerere et pueri muliebria pati discant.

XI. BIMARCUS.

Codd. et edd. variant in scribendo hoc titulo. Mercer. et ed. 1842. bis et vicies exhibent *Vimarcum*, sexies *Bimarcum*, semel *Vimargum*, Ald. et Laurenb. ubique reposuerunt *Bimargum* (sc. a *bis* et μάργος),

quod Popma recepit. Sed perperam hoc: codicum fides servanda est, et, quum *Vimarcus* vox non habeat, unde commode derivari possit, quumque et in lapidibus incisis et in membranis manuscriptis nihil frequentius sit literarum V et B permutatione, non amplius dubitari licet, quin *Bimarcus* Saturae genuina inscriptio fuerit. Quaeritur jam quid significet Bimarcus. Nimirum hominem, qui bis aut duplici modo Marcus est, nomine scilicet et patria. Qui enim nostrae aetatis festivus mos est, populos nominibus appellare, quae in singulis prae ceteris usitata sunt, ut exempli causa Germanus audit Michel, Americae septentrionalis incola Jonathan, Anglus John vel John Bull, Hibernus Padd vel Paddy, — ita Romani quoque, inter quos Marci nomen si quod aliud frequentissimum erat, per jocum et festive *Marci* sunt appellati. Hinc Saturarum inscriptiones *Bimarcus*, *Marcipor*, *Μαρκόπολις*. Auctoritatem, qua firmem meam conjecturam, habeo in Senecae Apocolocynthosi, ubi Claudius Caesar interrogatus ab Hercule, cujas sit, postquam ex Homero respondit: Ἰλιόθεν με φέρων ἄνεμος Κικόνεσσι πέλασσεν, Febris dea ad Herculem conversus illum his verbis confutat: „Iste“ inquit „mera mendacia narrat. Ego tibi dico, quae cum ipso tot annos vixi: Lugduni natus est. Marci municipem vides: quod tibi narro, ad sextum decimum lapidem a Vienna natus est. Gallus germanus.“ Quem locum recte interpretatur Turneb. Adv. XXIV, 46: „Ego existimo significari Claudium non verum germanumque Romanum esse, sed inquilinum.“ — Ceterum cf. nos infra ad Sat. *Marciporem* et *Μαρκόπολιν, περὶ Ἀρχῆς*. — De argumento *Bimarci* Turn. Adv. XVII, 24 conjicit haec: „*Bimarcus* nomen Satyrae Varronis fuit, in qua fastum et arrogantiam stolidam et ineptam Romanorum incessebat, quod e Romano praenomine, quo sibi placebant, duplicato judicatur: quasi quis non semel sed *bis Marcus* sit.“ Verisimilius Popma: „Haec Satyra est in imperatores et duces bellorum, qui magnis imperiis et provinciis praesunt, magna bella gerunt, statuuntque excelsa tropaea, at serviunt interim cupiditatibus et deliciis, magnifica aedificia exstruunt et exornant signis, tabulis atque Corinthiis operibus, lautitias ciborum toto orbe terrarum exquirunt.“

1. Tunc repente caelitum altum tonitribus templum tonescit

2. Et pater
Divum trisulcum fulmen igni fervido
Actutum mittat in tholum macelli.

3. Magna ut tremescat Roma et magnae mandonum gulae.

4. Cohortes cocorum atque hamiotarum aucupumque.

5. Cum novissime computaret, quantum sumptu fecerit.

6. Avi et atavi nostri, cum alium ac cepe eorum verba olerent, tamen optume animati erant.

7. Non Hercules potest, qui Augiae agebat κόπρον.

8. Ipsís istis dicíte labdae, et vivós contemnite vívi,
Antícipate atque addíte calcar, stultós contemnite dócti!

9. Nos ergo nihil egimus, quod legem [Lucanicam], luci claro latam, sustulimus?

10. Quod utrum sit magnum an parvum, facile an difficul.
11. Ut novum cribrum novo paxillo pendeat.
12. . Ut levis
Tippula lymphōn frigidos transit lacus.
13. Nautae remivagam movent celocem.
14. Ebrius es, Marce! Odyssian enim Homeri ruminari incipis cum περὶ τρόπων scripturum te, scio, receperis.
15. Nec me pedatus versuum tardor refrenet; tarde enim perit ῥυθμῶν sertum.
16. Mihique civi, dum stilo nostro papyri inlevi scapos, capitis novum partum poeticon.
17. Non te pudet, Mani, cum domi tuae vides commilitonum tuorum cohortes servis tuis ministrare caementa?
18. Socius es
Hostibu', sociis bellum ita geris, ut bella omnia
Domum auferas.
19. In invidiam veniant in hoc ipso rapinatores.
20. Scena quem senem Latina vidit derisissimum.
21. Ideo fuga hostium Graece vocatur τροπή: hinc spolia capta fixa in stipitibus appellantur τρόπαια.
22. Τρόπων τρόπους qui non modo ignorare me clamat, sed omnino omnis heroas negat nescisse.
23. Κατάχρησις est enim vera, si in candelabro pendet strigile.
24. Ipsum protervi liberti semiatrati exsequiantur.
25. Cum Quintipor Clodi[an]us tot comoedias sine ulla fecerit Musa, ego unum libellum non edolem? ut ait Ennius.
26. Vulcanum eccum novae lagenae ollarum figura ter precantur.

1. Ap. Non. p. 180, 13. v. Tonescit pro tonat.

2. Ap. Non. p. 448, 22. v. Sulcus omne, quidquid in longitudinem aculeatum est. — *acutum* ms. Basil. — Tholus quid sit docet Serv. ad Virg. Aen. IX, 407. De macello, quod tholo instructum fuisse etiam ex numis aliquot Neronis constat, vide quos supra laudavimus ad Ἀνθρωπ. fr. 3.

3. Ap. Non. p. 17, 17. v. Manducones — — et mandones, edaces. — Lucil. fr. p. 221.: „Atque omnes mandonum gulae".

4. Ap. Non. p. 25, 9. v. Hamiotas, piscatores ab hamis.

5. Ap. Non. p. 485, 2. v. Sumpti pro sumptus. — *computaret* ex nostra conjectura dedimus pro *mutaret*, quod Codd. praebent. *mitteret* Ald., Jun., Laur., Popma. *mutitaret* cj. Lips., Palmer.

6. Ap. Non. p. 201, 5. v. Cepe generis neutri. — Adverte bellum verborum lusum in locutione animatum esse.

7. Ap. Non. p. 242, 15. v. Agere, gerere. — Codd. praebent mendose *Augebes sed conpron.* — *qui Augiae agebat copron* Turn. Adv. XXIX, 20. et Scriver. Anecd. philolog. (Traj. ad. Rh. 1737.) LVI, p. 26. *Augiae egessit copron* cj. Merc., male; quia non s. v. *egerere*, sed s. v. *agere* fr. citatur. Ceterum non dubium est, quin in Nonii loco restituendum sit: „agere, egerere". — Virg. Georg. II, 130.: „Auxilium venit ac membris agit atra venena".

8. Ap. Non. p. 70, 10. v. Anticipare posuerunt veteres praevenire h. e. antecapere. *Ipse fistis* Codd. *Depsistis* Scal., Laurenb. *Sensistis* Ald., Jun. *Persensistis* cj. Herm. Elem. Doctr. Metr. p. 411. *victos cont.* Laurenb. s. v. labdae. — De sententia fragmenti nihil statui potest.

9. Ap. Non. p. 210, 10. v. Lux masculino. — Locus desperatus. *l. Lucaniam l. cl. l. scutulans* Codd. praeter unum Lugd., qui praebet *legem·lucani claro. Lucaniam* om. Ald., prob. Roth. *latam* om. Laur. An forte *Lucanicam* (Aelian. V. H. IV, 1.) vel *Liciniam* (Macrob. Sat. II, 13. Gell. II, 24.) emendandum sit? — Pro *scutulans* Popma dedit *scutulavimus*, explicans per obscuravimus. Nec ineptum hoc, quum antitheton *luci claro* (h. e. palam et publice) antecedat: licet verbum *scutulare* (a σκυτάλη = literae reconditae, mandata arcana) apud neminem veterum scriptorum lectum sit. Sed utitur Varro passim verbis nove formatis et compositis, ut *Sesquiul* fr. 8. desubulare. *Sexag.* fr. 17. depontare. Nihilominus certius videbatur, in Varronis loco *sustulimus* reponendum esse.

10. Ap. Non. p. 111, 25, v. Facul pro faciliter. — *facul an* Laurenb.

11. Ap. Non. p. 153, 8. v. Paxillus, deminutivum a palo. — Cf. *Eumenid.* fr. 23: „Ubi dicatur primus Zenon novam haeresim novo paxillo suspendisse". Proverbialis locutio de rebus praeter necessitatem susceptis. Cf. Graecorum πασσάλῳ ἀνακρεμάσαι (i. e. ἀμελῆσαι) et ἀπὸ πασσάλου λαβεῖν (i. e. ἐπιμεληθῆναι).

12. Ap. Non. p. 180, 10. v. Tippula animal levissimum, quod aquas non nando, sed gradiendo transeat. — Est araneus aquatilis. V. Fest. s. v. ibique Scalig., et Od. Müller., qui Varronis versus male pro tetram. troch. habet, quum sint senarii. — *lym-*

fῶν Scal. *lympharum* Jun. *Ut tipp. lev. lympharum frig. tr. l.* Laurenb. Syllaba secunda in voce tippula producta est. Plaut. Pers. II, 2, 62.

13. Ap. Non. p. 533, 8. v. Celox est navigium breve, dictum a celeritudine.

14. Ap. Non. p. 480, 24. v. Ruminatur; et p. 383, 26. v. Recipere, promittere, polliceri. — *Odyssian* Merc. et ed. 1842. in altero loco; in priore praebet Merc. *Odyssean*, ed. 1842. *Odyssiam. Odysseam* Laurenb., Popma. — *scio* Merc. *Scio* ed. 1842. *serio* cj. Popma.

15. Ap. Non. p. 229, 23. v. Tarditas — Masculino. — *ne prenet tarde* Codd. *refrenet arte* Popma. *cum pritymon certum* Codd. mendose. *cum ἐρίτυμον certum* vel *rhytmion certum* Popma inepte. Quod supra dedimus, nostra conjectura est. Pedatus versuum tardor est hypallage. — Dicit sese, quominus carmina pangat, minime pati prohiberi ingenio suo, paullo tardiore in versibus numeris suis adstringendis: versuum enim serta non aeque mature perire quam florum.

16. Ap. Non. p. 168, 13. v. Scapum. — *mihique divi, d. st. p. papiri nolevii sc., capitio novo partu poeticon* Codd. — *inlevi* cj. Roth. Cetera ex nostra conjectura dedimus.

17. Ap. Non. p. 92, 5. v. Caementa, lapides non magni modi, quibus aedificia consurgunt; et p. 196, 26. s. eodem voc.

18. Ap. Non. p. 248, 17. v. Bellum. — *socius bell.* Codd. Sed recte conj. Merc. *sociis* legendum esse, qui dativus incommodi est. Popma narrat in antiquis libris nescio quibus esse *cum sociis*.

19. Ap. Non. p. 167, 20. v. Rapinatores. — Malim legere *invid. inveniant in h. i. r.* Popma legit *ven. h. i.* omisso *τῷ in.;* item Laurenb.

20. Ap. Non. p. 100, 29. v. Dirissisimum (sic). Sine omni dubitatione *derissisimum* corrigendum erat. mg. Cod. Guelf. et edd. vulg. praebent *dirissimum*. Per senem hunc Latinae scenae derisissimum significatum esse puto Pappum, Atellanarum fabularum ridiculam personam, de qua v. Reuvens. Collect. lit. Cap. IX, sect. 3, §. 3, p. 149., et Munk. de Fabul. Atellan. p. 32. sqq. — Fragmentum fortasse poeticum est, quum jambi insint.

21. Ap. Non. p. 55, 10. v. Tropaei —.

22. Ap. Non. p. 530, 21. v. Negativas duas negativam significantiam nove habere. — *quae non* Jun. Merc. Laurenb. — Verba τρόπων τρόπους Merc. mutavit in περὶ τρόπων, tanquam alterum Saturae titulum efficiant, fortasse respiciens fr. 14. — *Τρόπων τρόποι* videntur esse morum per tempora mutationes, quibus luxuriosi homines interdum se excusare solent.

23. Ap. Non. p. 223, 6. v. Strigilis — neutri. — *Κατάχρησις* i. e. abusus, vel nostrum *„verkehrte Welt"*. Strigilis enim locus in balneis est, non in candelabro.

24. Ap. Non. p. 107, 4. v. Exequiantur ab exequiis. — *propter vix l.* Merc. et ed. 1842. ex suis codd. — Nos exhibuimus locum ut scriptus est in Turneb. Adv. XXVIII, 12. — *liberi* Laur.

25. Ap. Non. p. 448, 15. v. Edolare fabrorum est verum verbum cum materiarum complanatur asperitas. — *Clodius* ed. 1842. ex suis codd., Scalig. ad Manil. Astron. IV, 430, p. 227. *Clodianus* cj. Carrio., Merc. Orelli in Onom. Tull. p. 504. s. v. hunc Quintiporem Clodianum statuit esse Cn. Lentulum Clodianum memoratum Ciceroni Brut. c. 66. — Eundem Quintiporem Clodianum propter eandem causam lacerat Varro in fr. ex Epist. ad Fuf. ap. Non. p. 117, 5. v. Gargaridiare: „Quintiporis Clodiani foria ac poemata ejus gargaridians dices: O fortuna, o fors fortuna!"

26. Ap. Non. p. 543, 13. v. Aula et olla — est capicissimum vas. — *Vulcanum nec cum* Codd. *necdum* Popma. — *novem* ed. princ. — *figurantur ter* ms. Palat. prob. Gebh. Antiqu. Lect. II, 19., qui corrigebat *nec non cum novae l. o. figurantur, ter precatur* sc. singulus. Inepte. — *precatur* Merc. — Popma apte comparat verba Arnob. IV, p. 129. ed. Cant.: „Lateranus, ut dicitis, deus est focorum et genius, adauctusque hoc nomine, quod ex laterculis crudis ab hominibus caminorum istud aedificetur genus. Quid ergo si argilla, aut materia fuerint quacunque alia fabricati foci? Genios non habebunt, et ab officio tutelae, quisquis iste est Lateranus, abscedet, quod regni sui possessio non luteis constructa est formis? Et quid, quaeso, ut faciat praesidatum, focorum deus iste sortitus est? Per humani generis coquinas currit, inspiciens et explorans, quibusnam lignorum generibus suis ardor in foculis excitetur: habitudinem contribuit fictilibus vasculis, ne flammarum dissiliant vi victa" sqq.

XII. CAPRINUM PROELIUM, *ΠΕΡΙ ΗΔΟΝΗΣ.*

Liber fortasse adversus Epicureos scriptus: cui scholae summum bonum in voluptate collocatum fuisse, in vulgus notum est. Et exstabat olim ipsius Epicuri liber *Περὶ Ἡδονῆς*, memoratus Ciceroni de Divin. II, 27. — Inscriptio facetissima a caprorum pugnis, cujus pecudis petulantia fere in proverbio est.

1. Ne vobis censeam, si ad me referretis.

2. Unam virtutem propriam mortalibu' fecit,
Cetera promiscue voluit communia habere.

3. Non posses eam amplius perferre, tamen suadet aut notat.

1. Ap. Non. p. 267, 23. v. Censere, succensere. — Pro *referretis* malim *referetis*.

2. Ap. Non. p. 361, 25. v. Proprium — est suum uniuscujusque. — *Nam virt.* Codd. *Unam* cj. Scal., Laurenb., Popm. — *promiscam* — *haberi* Scal., Voss., Laurenb., Pithoeus, Popma. — Burm. in Anthol. I, p. 570. praefert *promisce* — *haberi*.

3. Ap. Non. p. 302, 25. v. Ferre, pati. — *ut notat* Merc. et ed. 1842. *ut noceat* cj. Jun., Popm. *aut notat* dedimus ex nostra conjectura. Intelligo locum de muliere, quae quamvis invisam marito sese esse sciat, nihilo tamen magis linguam coërcet, sed semper aliquid suadet aut notat.

XIII. CATAMITUS.

Memorat hanc Saturam Eutychius de discern. Conjug. II, 1. (p. 2168. ed. Putsch.): „Scaberet etiam, quod tertiae personae imperfecti temporis subjunctivi modi est, quandam speciem servans, apud Horatium in I. libro Sermonum reperitur, ut: „Saepe caput scaberet viros et roderet ungues“, notavimus quasi tertiae conjugationis, licet nullum ejus alium modum apud aliquem interim cognovimus, nisi infinitivum *scabere* apud Menippeum Varronem in Catamito.“

XIV. CAVE CANEM.

„Cave Canem, elogium, inscribi solitum in janua, quo ignoti aedium ingressu arcerentur. Nam veteri more canes ad ostium, non vivi modo, sed vel sculpti, ut in regia Alcinoi (Hom. Od. VII, 91—94), vel picti in pariete, ut in fornice Petroniana (Petron. Sat. c. 29.), in qua non longe ab ostiarii cella canis ingens, catena vinctus, in pariete erat pictus, superque quadrata litera scriptum: Cave Canem.“ Haec Popma. Plura vide apud Cael. Rhodig. Lect. Ant. XVII, 28., apud Casaub. ad Theophr. Charact. 15. p. 129. et apud Interprr. ad Petron. l. l. Cf. infra *Eumen.* fr. 4. Etiam Graecorum erat proverbium *Κύων Ἐν Προθύρῳ*, memoratum inter Proverb. ex Cod. Coisl. ed. a Gaisf. p. 146, ubi explicatur: *Ἐπὶ τῶν ἐν δικαίοις τολμηρῶν*. — At Varronis Saturae inscriptionem fortasse rectius interpreteris de Cynicorum mordacitate.

1. Ubi rivus praecipitatur in nemore, deorsum rapitur atque offensus aliquo a scopulo lapidoso albicatur.

1. Ap. Non. p. 75, 22. v. Albicatur, exalbescit. — Praepositio *a* arcte conjungenda cum *albicatur*.

XV. COLUMNA HERCULIS, *ΠΕΡΙ ΔΟΞΗΣ*.

Libro, in quo de gloria disputaret, Varro non aptiorem inscriptionem, quam „*Columna Herculis*“ indere poterat. Nemo enim mortalium un-

quam majorem sibi paravit gloriam, quam Alcides, qui, postquam rerum a se gestarum amplitudine totum orbem cumulaverat, et aeternum nominis monumentum in ultimis terrarum finibus exstructum reliquit. Quamquam nec haec est veri absimilis conjectura, videlicet significatum esse illa inscriptione, in gloriae studio rectum modum egredi aeque periculosum esse, quam navibus superare Herculis columnas, ultra quas mare et iter incertum.

1. Itaque ceras conscribillavi Herculis athlis.

1. Ap. Non. p. 82, 31. v. Conscribillavi pro conscripsi. — *I. in ceram c. H.* edd. ant. 1842. *Ita eas in cera conscribilavit* Laurenb. *eas inscribillavi H.* cj. Merc. Sed Codd. Mss. praebent *i. eas inceravi H. adlis. H. ad litem* edd. ante Merc., quod ortum esse puto ex sequentibus Nonii verbis: Idem Varro. Ceterum non assentimur Rothio, qui aliquid excidisse putat. Ceras conscribillare aliqua re facete dictum pro in cera conscr. aliquam rem, ut infra in Marcip. fr. 19.: „pingentes coelum figmentis conscribillarunt“. Cf. Ovid. Am. II, 5, 17.: „mensam vino conscribere“, et Plaut. Pseud. I, 5, 132.: „Stilis me totum ulmeis conscribito“.

XVI. CRAS CREDO, HODIE NIHIL.

Proverbialis locutio, qua negamus alicujus verbis statim fidem habere. Comparari potest nostratium: „das glaube ich morgen“, vel: „das glaube ich heute noch nicht“. Popma Saturam scriptam esse putat „in homines leves et inconstantes, quorum vagatur animus errore, nec habet unquam quod sequatur, aut in quo consistat.“ Credat qui velit.

1. Quibus instabilis animus ardens mutabiliter avet habere et non habere, fastidiliter inconstanti pectore.
2. Atque ut igni fervido medullitus aquiloniam intus servat frigedinem.

1. Ap. Non. p. 112, 9. v. Fastidiliter, fastidiose; et p. 139, 26. v. Mutabiliter.

2. Ap. Non. p. 139, 9. v. Medullitus, et p. 206, 20. v. Frigus — femini. Erroris convincuntur hoc loco qui putant adjectivum aquilonius ante Augusti aevum non usurpatum esse. — Sententia fragmenti obscura est.

XVII. CYCNUS, *ΠΕΡΙ ΤΑΦΗΣ.*

Saturam, in qua de sepultura disputabat, cur Cycnum inscripserit, facile tibi in plano erit, si memineris, quae veteres de cycnorum moribundorum cantu fabulari soliti sint. V. Aristot. H. A. IX, 10 et Aelian. V. H. I, 14, ibique interpretes. — Popmae opinionem, hoc libro Varronem

sepulturae et funeris sumptus ritusque vanos exagitasse, quo tueare, habes in fr. 3.

1. Tua templa ad alta fani properans citus itere.

2. Quare Heraclides Ponticos plus sapit, qui praecepit, ut comburerent, quam Democritus, qui ut in melle servarent. Quem si vulgus secutus esset, peream, si centum denariis calicem mulsi emere possimus.

3. Denique si vestimenta ea opus sunt, quae fers, cur conscindis? si non opus sunt, cur fers?

1. Ap. Non. p. 485, 9. v. Iteris positum pro itineris et quidem recte ab eo; quod dicitur iter, iteris facit, itiner, itineris. — *Tu ad t.* Laurenb. Versus Galliambicus. V. Herm. Elem. Doctr. Metr. p. 506.

2. Ap. Non. p. 230, 25. v. Vulgus — Masculino. — *Ponticos* dedi cum Merc. et ed. noviss. quae praebet *Pontificos.* *ποντικός* Victor. — *praecipit* Cod. Guelf., edd. Jun., Merc., Popma. — *combureret* ed. noviss. ex suis codd.; recte fortasse. *comburerentur* Popma. — Plin. XXII, 24.: „Mellis quidem ipsius natura talis est, ut putrescere corpora non sinat"; ad quem locum vid. Dalecamp. Cf. Plin. VII, 3. Stat. Silv. III, 2, 117. Athen. Deipnos. II, 46. Lucret. I, 903.

3. Ap. Non. p. 497, 21. v. Accusativus vel nominativus pro ablativo. — *ei op. se* Codd. et edd. *ea op. s.* dedimus ex Rothii conjectura.

XVIII. CYNICUS.

Argumentum Saturae ipsa inscriptione est indicatum. Lucianus quoque, alter ille sermonis Menippei aemulus, *Cynicum*, lepidissimum libellum scripsit, in quo asperam parvoque contentam Cynicorum vitam defendit, mollem atque enervatam delicatorum hominum luxuriam reprehendit. Varroniani *Cynici* fortasse similis ratio fuit.

1. Si me Hercule purgant, et deorum cura non satisfacitur reipublicae.

1. Ap. Prisc. VIII, 3, p. 365. Kr. — Locus desperatissimus. *Sine Herc.* Cod. Erlang. 2. *pugnant* Cod. Dresd. et Erlang. 2. *pergunt* Laurenb. *mehercule* edd. *me Herc.* dedi cum Popma et Laurenb. *decorum curant* Cod. Lips. 2. *Diem herc. p.* cj. Popma. Pro *et* fortasse est *at* restituendum.

XIX. DE OFFICIO MARITI.

Exstat Plutarchi libellus de eadem materia compositus. — Varronis Saturam laudat Johann. Sarisber. Policr. VI, 26. et *De Officio Matrimonii* appellat; quod per memoriae lapsum factum esse puto.

1. Vitium uxoris aut tollendum aut ferendum est. Qui tollit vitium, uxorem commodiorem praestat: qui fert, sese meliorem facit.

1. Ap. Gell. I, 17., qui sic interpretatur: „Haec verba Varronis *tollere* et *ferre*, lepide quidem composita sunt: sed *tollere* apparet dictum pro *corrigere*. Id etiam apparet, ejusmodi vitium uxoris si corrigi non possit, ferendum esse Varronem censuisse, quod ferri scilicet a viro honeste potest. Vitia enim flagitiis leviora sunt". — Similiter lusit Varro iu verbis *tollere* et *auferre* in *Sexag.* fr. 14. — *Vit. conjugis aut toll. est aut fer. Qu. t. v., commodiorem conjugem pr., qui fert, ipsum efficit meliorem.* Johann. Sarisb. l. l.

XX. DE SALUTE.

Hac Satura, ni fallor, gravissima illa de animorum et mundi immortalitate quaestio tractata fuit, variaque philosophorum de hac re placita percensita et sub examen vocata.

1. Sic mundum haud natum esse, neque mori.

1. Ap. Philarg. in Virg. Georg. II, 336, p. 330. ed. Lion. Is sui poetae versus „Non alios prima crescentis origine mundi Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem Crediderim", explicans: „Si crescit", inquit, „deficit. In quo videtur secutus Epicurum, qui ait: Omnia, quae orta, occidunt, et aucta senescunt. Varro autem in Satura, quae scribitur *De Salute:* Sic mundum sqq. Plato autem, non natum, at mori. Metrodorus autem, neque natum neque mori (cf. Aristot. de Coelo I, 12. Euseb. Praepar. Evang. XV, 35.). Zenon ex hoc mundo quamvis aliqua intereant, tamen ipsum perpetuo manere, quia inhaereant ei elementa, e quibus generantur materiae, ut dixit, crescere quidem, sed ad interitum non pervenire, manentibus elementis, a quibus revalescant". Haec omnia fortasse desumpta sunt ex Varronis Satura. Ceterum cf. etiam Euseb. l. l. I, 8.

XXI. DESULTORIUS, *ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΓΡΑΦΕΙΝ.*

Sic titulum libri exhibet mg. Jun. utroque Nonii loco, prob. Merc. Gerl. et Roth. — Codd. et edd. partim praebent *Des. π. τ. τϱάφειν*, partim *π. τυ ϱάφein*, partim *Des. π. τϱυφῆς*, partim *Des. π. στϱέ-*

φειν; Popma: *Des.* περὶ τρυφῆς σὺν ἄλλοις; ineptissime. — Desultores appellabantur apud Romanos, qui duos pluresve equos absque ephippiis agitabant et ex altero in alterum subinde desiliebant. Liv. XXIII, 29. Hygin. Fab. LXXX.: „Unde etiam Romani servant institutum, cum desultorem mittunt; unus duos equos habet, pileum in capite, [de] equo in equum transilit.“ Cf. Dempster. Paralip. ad Rosin. Antiqu. Rom. l. V, ad cap. 24, p. 212 sq. Hinc desultorii equi sunt dicti. Suet. Caes. 39. Cic. pro Murena 27. Cassiod. Var. III, 51: „Equi desultorii, per quos Circensium ministri missos denuntiant exituros, Luciferi praecursorias velocitates imitantur.“ — Qua de causa Varro librum suum in quo περὶ τοῦ γράφειν agebat, *Desultorium* inscripserit, divinare non possumus. Significat fortasse eo vocabulo suum ipsius ingenium in Saturis componendis expeditum illud ac semper paratum, non solum de quavis materia proposita disputare, sed etiam ipsum dicendi genus variare et quasi desultorum more a pedestri oratione in versus ac poemata transilire.

1. Fervere piratis vastarique omnia circum.
2. Alius domini delicias, phaselon, aptum tonsilla litore mobilem in fluctum solvit.

1. Ap. Non. p. 503, 22. v. Fervit pro fervet.

2. Ap. Non. p. 534, 22. v. Faselus, navigium Campanum. — *faselo nactum* Merc. *faselon, actum* ed. noviss. *tonsillitore movilem* Merc. et ed. noviss. *flictam* Merc. et ed. noviss. *nactus tonsillas littore movit, conflictum* mg. Jun. *fas.' aptum tonsilla* cj. Gerlach., quod recepimus. *fluctum secat* ms. Palat. prob. Gebh. *mob. in fl.* meo nomine dedi. Tonsilla quid sit explicat Isidor. Orig. XIX, 2, 14.: „Tonsilla uncinus ferreus vel ligneus, ad quem in litore defixum funes navium illigantur“. *Mobilem fluctum* cf. Ovid. Ep. II, 128. V, 110.

XXII. DEVICTI, *ΠΕΡΙ ΦΙΛΟΝΙΚΙΑΣ.*

Sic titulus Saturae exhibetur in libris manuscriptis, quotquot collati sunt a novissimis editoribus. Edd. priores, Laurenb., Popma et Turnebus scribunt *Vae Victis*, περὶ Φιλονεικίας, videlicet eo inducti, quod magnam Varronianarum partem proverbiis inscriptam esse videbant. Sed ipse Turneb. Adv. XIX, 21. fatetur, in suis mss. secus scriptum exstare.

1. Quis rotundam facere cetram nequeat?
2. Dicat pugil is: Spectatores, qui miserum putatis vinci, quaero a vobis, si adversarius supercilia mi cestis discobinarit, num quis vestrum sua mihi est daturus?
3. Libet me epigrammatia facere, et, quoniam nomina non memini, quod in solum mihi venerit, ponam.
4. Properate vivere puerae, quas sinit aetatula ludere, esse, amare et Veneris tenere bigas!

1. Ap. Non. p. 82, 17. v. Cetram.
2. Ap. Non. p. 492, 8. v. Cestis pro cestibus.
3. Ap. Non. p. 500, 9. v. Accusativus pro genitivo. — *epigrammata* Popm., Turn., edd. ante 1842, praeter Ald. De locutione *quod in solum venit* (cf. Cic. N. D. I, 23. fin. Cic. ad famil. IX, 26, 2. ibique Manut.) v. Wolf. Anal. liter. IV, p. 347 sqq.
4. Ap. Non. p. 156, 13. v. Puerae pro puellae. — *quas sinit* Cod. Guelf. optimus, et edd. omnes praeter noviss., quae praebet *qua sinit*. Vivere verbum praegnanter positum pro vita frui (cf. Martial. V, 69. Lus. in Priap. 128. Burm. ad Anthol. lat. I, p. 304), ut Graecorum ζῆν, de quo v. Jacobs. ad Anthol. Gr. tom. XII, p. 13. cf. eund. tom. IX, p. 121. — Tenere Ven. bigas est Ven. bigas obtinere vel prosequi, h. e. Veneris muneribus frui. Venerem in antiquis monumentis cycnorum, vel columbarum aut leonum bigis semper uti, in vulgus notum est.

XXIII. *ΔΙΣ ΠΑΙΔΕΣ ΟΙ ΓΕΡΟΝΤΕΣ.*

Exstat hoc proverbium apud Diogenian. IV, 18 et inter paroemias e Cod. Bodl. ed. a Gaisf. p. 34. (327), ubi explicatur Ἐπὶ τῶν πρὸς τὸ γῆρας εὐηθεστέρων δοκούντων. Gaisf. adire nos jubet Lucian. Saturn. tom. III, p. 392. et Schol. Plat. p. 252.

1. Purum putum.

1. Ap. Gell. VI, 5.: „Scriptum autem est *purum putum* non in Karthaginiensi solum foedere, sed tum in multis aliis veterum libris, tum in Qu. quoque Ennii tragoedia, quae inscribitur Alexander, et in Satura M. Terentii Varronis, quae inscribitur *Δ. παῖδ. οἱ γέρ.*“. Cf. infra Ἑκατ. fr. 5. Prometh. Lib. fr. 9.

XXIV. DOLIUM AUT SERIA.

Inscriptio repetita haud dubie a dolio fictili illo, quo Diogenem, Cynicum, pro domicilio usum esse tradunt. Inepte hinc quidam conjecerunt, Varronem in hac Satura de aedificiis disputavisse.

1. Mundús domus est maxíma homuli, quam quínque altitonae flammeae
Zonáe cingunt, per quám limbus, pictús bis sex signís, stellis
Mirántibus, altus in óbliquo aethere Lúnae bigas ácceptat,
et appellatur a caelatura caelum, Graece ab ornatu κοσμος, Latine a puritie mundus.

1. Ap. Val. Prob. in Virgil. Ecl. VI, 31, p. 353. ed. Lion. — *max. rerum, qu.* Turn. Adv. XX, 29. *max. omnium* P. Crinit. de Honest. Discipl. IV, 11. Dalecamp. ad Plin. II, 4. — *altit. fragmine* Turn., Dalecamp., Crinit., Popma. — *stellimicantibus* vulg., quam receperunt Turn., Dalec., Crinit., Popm., Burm. in Anthol. lat. II, p. 337. Scal. in Catal. p. 246. Sed recte Lion ex suis mss. edidit *stellis mir.* — *big. receptat* Popma. Sunt tetram. anap., quorum primus est catalecticus, tertius sine diaeresi. Post *acceptat* transit scriptor in pedestrem orationem. — *bis sex signis* cf. Varr. L. L. VII, 14., ibique Müll. — *caelum* v. Varr. L. L. V, 18. et Müll. in Addend. p. 299. Cf. Plin. II, 4. Isidor. Origg. XIII, 1. Plutarch. de Placit. Philos. II, 1.

XXV. *ΕΚΑΤΟΜΒΗ, ΠΕΡΙ ΘΥΣΙΩΝ.*

Non dissimilis veri mihi est conjectura, hac Satura a Varrone inanes sacrorum ritus sacrificiorumque splendidos et magnificos apparatus irrisos atque oppugnatos esse. Quod enim iis in scriptis, in quibus tanquam ex proposito de rebus divinis disputabat, Varronem secutum esse constat, ut deorum scilicet cultum ac religionem inanium ceremoniarum fuco et detestabili superstitionis peste purgaret, eamque et diis et hominibus digniorem redderet, id etiam in Saturarum libris, quotiescunque in hanc materiam incideret, eum egisse, paene in comperto est. Cf. supra p. 82 sq. Quod studium Varronis non satis assecuti quidam veterum scriptorum, praeclarum virum „acrem ubique religionis expugnatorem“ dicere conati sunt. Serv. in Virgil. Aen. XI, 787. — Ceterum hic commode commonefactos lectores esse velim, Luciano quoque, alteri illi Menippei generis imitatori librum, *περὶ Θυσιῶν* conscriptum esse; cujus quae ratio sit, declarat ipse initio, et scholion his verbis „*ὁ σκοπὸς ἐνταῦθα Λουκιάνῳ, καταδραμεῖν τῶν Ἑλλήνων θυσίας ποιούντων· τὸ γὰρ θεῖον οὐ δέεται θυσιῶν.*“

1. Lydon fluens sub Sardibus flumen tulit
Aurum, in lateres quod conquadravit religio.
2. Ubi illa phalera gemmeaque ephippia
Et arma margarito candicantia.
3. At regis ensis sanguine imbutus nigro.
4. Pater ut cruore laveret ararum aggerem.
5. Mea igitur hecatombe pura ac puta.
6. Socrates cum in vinculis publicis esset, et jam bibisset *κώνειον* in exodio vitae.
7. Habes, qui et cujus rei causa fecerim hecatomben. In quo ego, ut puto, quoniam est luere solvere, lutavi.

1. Ap. Non. p. 131, 10. v. Later; et p. 520, 17. v. Lateres

apud quosdam, ut scrobes, cujus generis habeantur, incertum est: sunt autem generis masculini: (sequuntur duo Varronis loci). — *Ladon* Jun., Merc. *Ludon* ed. 1842. *ludo* Ald. *Luto* ed. 1526., Scalig., Popm. *Lydum* recte cj. Merc., sed tenenda erat graeca vocabuli forma. — *Aureum* cj. Bochart. prob. Forcell. Inepte. — *later* exhibent Codd. utroque loco; sed unice verum est *lateres*, quod restituimus. — *regius* vel *regio* corrupte in plerisque Codd. *religio* praebet mg. Jun., Cod. Guelf. In Cod. Lugd. in priore Nonii loco, ubi *regio* legitur, *li* suprascriptum est. — Lydon flumen Pactolum esse nemo non videt. V. Herod. V, 101. Plin. V, 29. *religio* sc. Croesi regis, qui quum expeditionem in Cyrum pararet, centum et septemdecim lateres aureos Appollini Delphico dono misit, ut Herodotus I, 50. narrat. Cf. Auson. Lud. Sept. Sap., Sol. v. 102 sqq. Tib. Hemsterh. ad Luciani Contempl. 12, p. 505. ed. Reitz.

2. Ap. Non. p. 213, 23. v. Margaritum generis neutrius. — *margariti* ed. 1842. *margaritis* conj. Burm. *margarito* Jun., Merc., Popma. Charis. I, 18, 36. (p. 84. ed. P.): „Ergo neutraliter hoc *margaritum* dicere vitiosum est, et tamen multi dixerunt, ut — — Varro Epistolarum VIII.: ‚*margaritum unum, margarita plura*'. Sed idem Varro saepe, et alii plures *margarita* feminine dixerunt: in genitivo plurali non nisi feminino genere *margaritarum*".

3. Ap. Non. p. 521, 14. v. Inbuere — maculare, vel polluere vel inficere.

4. Ap. Non. p. 466, 28. v. Lavare cum sit eluere et emaculare et aquis sordida quaeque purgare, vetustatis auctoritas posuit etiam pro luere; et p. 504, 12. v. Lavit pro lavat. — *ageres* ed. 1842. priore loco. *aggeres* Popma. *aggerem* Jun., Merc., Laur.

5. Ap. Non. p. 27, 23. v. Putus est dictus a putando. — *p. et puta* Ald., Popma. *p. est ac p.* Laurenb.

6. Ap. Non. p. 27, 15. v. Exodium est finis; a Graeco tractum, quasi ἔξω τῆς ὁδοῦ, id est, extra viam. — *κώνειον* Merc., Scal., Popma. *κώνιον* ed. 1842. ex suis Codd. — Refer ad illud, quod Plato Phaed. p. 118, A. narrat, Socratem, quum morti vicinus esset, Aesculapio gallum vovisse.

*7. Ap. Non. p. 131, 18. v. Lutavi pro lui. — Paull-Fest. s. v. „Litatum alii solutum, deditum Deo, quasi luitatum: alii ex graeco a precibus, quas illi λιτὰς dicunt". Ad quem locum Müllerus judicat Varronem in verbi *lutare* derivatione potius etymologicam rationem, quam sui temporis usum secutum esse. Turn. Adv. XVIII, 20. statuit inter *litatum* et *lutatum* idem interesse, quam inter maximus et maxumus, et similia hujus generis vocabula. Cf. Reines. Inscr. Syntagm. Cl. I, inscr. 3, p. 16. — Macrob. Sat.

III, 5. Id. in Somn. Scip. I, 8. — Verba Varronis *quon. est luere solvere* pro glossa habita sunt Lindemanno ad Paull-Fest. l. l. Sed injuria.

XXVI. *ΕΚΚΛΗΣΙΑ.*

Erat hic liber fortasse de comitiis, de quibus egit Varro etiam in *Serrano*, *περὶ Ἀρχαιρεσιῶν.*

1. In regiam arcam impancrarunt.

1. Ap. Non. p. 59, 22. v. Impancrare est invadere; verbum a Graeco tractum, quasi *πᾶν κρέας* consumere. — Nonii Codd. Mss. corrupte praebent: „Varro: *Ecclesiam in r. a. imp.*“, sed viderunt jam dudum Scaliger et Laurenberg., ex vocabulo *Ecclesiam* restituendam esse libri inscriptionem. — *In* om. Laurenberg. — *arctam* Turneb. Adv. XXIX, 19. *aream* Ald., mg. Jun. *arcem* ms. Fabri (qui codex si unquam exstiterit, mihi valde suspectus est). — *impancratur* ed. 1843. *impancrantur* al. ap. Bentin. — Inepte Nonius impancrare verbum, quod per invadere explicat, a *πᾶν* et *κρέας* derivat. Döderl. Etym. tom. VI, p. 166. s. v. arbitratur intensivum esse a verbo impingere, testimonio laudans locum Taciti Hist. II, 41.: „Quominus in vallum impingerentur“. Mihi quidem probabilius videtur, Varroni id verbum comice formatum esse a Graeco vocabulo *παγκράτιον*, ut sit tanquam „omni virium contentione irruere vel invadere“.

XXVII. ENDYMIONES.

Haud improbabilis est Adr. Turnebi (Adv. XVII, 21.) conjectura, hanc Saturam in hominum somniculosorum reprehensionem scriptam esse. Certe praeter ipsam inscriptionem et tria priora fragmenta id probare videntur.

1. Quare si in somnium recideris, *ἐν Ἅιδου οὐπήποτε* eris iterum exporrectus.
2. Animum mitto speculatum tota urbe, ut, quid facerem, homines cum experrecti sint, me faceret certiorem: si quis melius operam superet, ut ejus consilio potius vigilium amminicularem nostrum, quod videt *Ἥλιον* coronantem extrema Noctis tempora.
3. Qui, sicut vigilare matura coepisti, in eo te retinueris!
4. Discumbimus mussati: dominus maturo ovo coenam committit.

5. Dum sermone coenulam variamus,
„Interea tonuit bene tempestate serena“.
6. Divitum amphoras ad communem revocat matellam.
7. Sic ad vos citius opinione vertilabundus miser decidi.
8. Ut Mercurium Arcadōn colonum.

1. Ap. Non. p. 47, 7. v. Exporrectum, extentum: porrectum est enim tentum, id est porro jactum. — *Quae res in s. reccideris* Codd., *quare si in s.* scripsimus ex conjectura Jun., Popmae, Merc. ἐν Ἅιδου οὐπήποτε dedimus ex nostra conj. pro eo, quod in Mss. est: *ΕΤΔΔΟΤΡΕΠΟΤΕ.*; *rec.* ἐν ᾅδου πήποτε Turn. Adv. XXIX, 17. *rec.* οὐδέποτε Laurenb. *rec. et* οὐδέποτε Jun., Popma. *in somnum* cj. Popma, Merc. Fortasse recte. *experrectus* vel *exporgitus* cj. Popma. Inepte. — De voce exporrectus videndus est Fest-Paullus s. v. „Experrectus (leg. Exporrectus): a porrigendo se vocatus, quod fere facimus recentes a somno“. — Faceta admonitio ad hominem somniculosum, ne denuo se somno occupari sinat, videlicet quia verendum sit, ut si interim moreretur, in Ditis domo iterum exporrigi posset. Hujus enim voluptatis expertes sunt mortui, quippe qui ἄυπνοι errant.

2. Ap. Non. p. 231, 36. v. Vigiliae — Neutri. — *toto orbe* Ald., Jun., Scal., Popma. *qu. facerem* est Rothii conjectura pro vulg. *qu. facerent* (*facerene* ed. 1842). *exporrecti sient* conj. Popma. *si quis me melius o. sumeret* Scal., Laurenb., Popma. pro *superet*, quod Codd. servant, scribendum fortasse rectius *susciperet:* quamquam nec illud male; *consil. ocius* Scal., Laur., *quid vidit aliud curvantem e. n. tempori* Codd. *qui videt* edd. ante 1842., Laurenb., Popma. *al. turbantem* cj. Popma. *al. curantem* cj. Roth. *extremo n. tempore* Jun. *tempora* Scal., Popma. *quod* (sc. vigilium nostrum) v. Ἥλιον *coronantem extr. N. tempora* nostra est conjectura.

3. Ap. Non. p. 349, 5. v. Maturum dicitur celer. — *si ut* Merc. et ed. noviss. ex suis Codd. *Qui ut* omisso τῷ *si* Ald., Jun. *Qui vigilare* omisso τῷ *si ut* Popma. *ut si* mg. Jun. *sicut* nostro nomine dedimus, quamquam etiam defendi possit si legatur: *qui? si, ut* sqq. *vigilantem cep.* Merc. *in eo retin.* Codd. *mature — in eo te ret.* cj. Popma. Legendum fortasse *te tenueris.*

4. Ap. Non. p. 249, 8. v. Committere — initiare; p. 282, 1. v. Dominus — appellatur convivii exhibitor; et p. 349, 9. v. Maturum — mite, coctum. — Noviss. ed. ex suis Codd. uno loco praebet *d. matura cenam*, altero *d. mandarenam c.*, tertio *d. maturo ad caenam c.* — *maturo ovo* Merc., Lips., Scal., Popma.

5. Ap. Non. p. 408, 3. v. Tempestas. — Transit scriptor in

versus. Enn. Ann. II, 5.: „Quum tonuit laevum bene tempestate serena“.

6. Ap. Non. p. 543, 18. v. Matella, aquarium vas. — *Div. aphocas* Codd. — Lips. Epist. Qu. IV, 24. Turn. Adv. XVII, 21. et XVIII, 12., et Popma scripserunt *Div. apothecas.* alii ap. Popm. cj. *amphoras*, prob. Merc. Amphorae Chiae saepius laudantur apud vett. scriptt., ut ap. Tibull. II, 8, 28., Horat. III, Od. 19, 5., et sunt hic, ut alias, amphorae vino Chio repletae. Ad *revocat* supplendum fortasse „natura“ vel „necessitas“. Matellam hic puto non esse vas aquarium, ut Non. explicat, sed lasanum vel matulam, sententia aperta. Nam generosissimum quodque vinum postquam est in urinam mutatum et a matella receptum, nullum retinet pristini pretii vestigium nec potest a vilioribus potulentis dignosci. Quemadmodum igitur Acheruns dicitur „communis locus“ (Plaut. Casin. prol. 9.), quia divites et pauperes, nobiles et ignobiles eadem condicione coercet, sic matella communis hic lepide dicitur, quia nullum in ea pretiosi vini discrimen a viliori potu. Popma, Nonii vocis *matellae* explicationem secutus, interpretatur simpliciter sic: „Divitum exquisitas et superfluas potiones revocat ad communem et temperatum usum potus“.

7. Ap. Non. p. 356, 27. v. Opinio — spes, opinatio. — *et sic* Laurenb. *vertilabundus* sic Codd. optim. Guelf., Lugd., Genev., Turn. Adv. XXIX, 28., Merc., Laurenb., Popma. Vocabulum a Freundio in Lex. lat. omissum. Turneb. l. l.: „Ut a sorbeo, sorbilo, a pipo, pipilo: sic a verto, vertilo deducitur, unde — vertilabundus de eo, qui per furorem caligine mentis et vertigine actus cadit“. Recte.

8. Ap. Non. p. 250, 12. v. Colere — est inhabitare. — *Arcadōn* genitivi forma Varroni non inusitata. V. supra *Bimarc* fr. 12.: *lymphōn*. — De re vide Pausan. Eliac. post. c. 26.

XXVIII. EPITAPHIONES, *ΠΕΡΙ ΤΑΦΩΝ*.

Inscriptio conjecturae ope restituta. Citat librum Nonius duobus locis, quorum in uno (p. 102, 5) Codd. a novissimis edd. collati exhibent „Varro *ἐπιτάφιον ἢ βοῦς περὶ τάφιον*“, altero (p. 416, 18) idem fere latinis characteribus „Varro *Epitafion i bus, περὶ τάφων*“. Turneb. Adv. XXIX, 2 legit „V. *ἐπιταφίῳ ἢ περὶ τάφων*“. Junius denique, Laurenb. et Mercerus utroque loco scripserunt: „V. *ἐπιτάφιον ἢ βοῦς περὶ τάφον*.“ Quod quid sit, quidve significet, viri docti non adnotarunt; neque ego conjectura assequi possum. Sed ponamus illud *βοῦς περὶ τάφον* revera posse proverbialiter explicari, — id quod illi procul dubio sibi persuasum habebant, — at tamen restant duae aliae causae, quae falso esse ita lectum certissime convincunt. Prima est collocata in isto *ἐπιτάφιον* (sic est in omnibus Codd. scriptum), quod titulum libri fuisse ideo nequit probari, quia Nonius libros scriptorum quos laudat casu subinde ablativo nunquam autem nominativo laudat: altera est, quod, si proverbium est illud

βοῦς περὶ τάφου, hoc non priore est sed secundo loco inscriptum. In omnibus enim Varronis Saturarum duplicibus inscriptionibus hoc observari licet, quod alter si proverbialis est titulus alteri praecedit. Cujus regulae exempla si flagitas vide supra p. 54 et 56., ubi ejusmodi inscriptiones exhibuimus. — Quae quum ita essent, quumque accuratius et intentius examinaremus literarum ductus, e variis conjecturis, in quas subinde incidimus, haec denique certissima videbatur esse, illud Ἐπιτάφιον ἴ βοῦς mutandum esse in *Epitafionibus*, et hoc esse ablativum pluralis numeri a nominativo *Epitafiones*, vocabulo a voce Graeca ἐπιτάφιον facete formato, quo videlicet id hominum genus sit denotatum, qui splendidis et gloriosis epitaphiis gaudent nullaque re alia magis sui nominis famae consuli posse autumant. Quae quidem conjectura quo tibi magis probetur, in memoriam revoces quaeso aliorum librorum inscriptiones, ut *Sesquiulixem*, *Flaxtabulas*, Σεραπαρήκτην, Κοσμοτορύνην, similes, quae pari compositionis novitate conspicuae sunt, et quas supra p. 55. ad Plinii testimonium retulimus, quo constat Varronem facetissimum fuisse in vocabulis figurandis quibus Saturas suas inscriberet.

1. Donec foras nos intus evallaverunt.

2. Pleni libri, inquam, ubi maneant capuli eorum, quorum in sepulchris nec vola nec vestigium extat.

1. Ap. Non. p. 102, 5. v. Evallaro dictum excludam et quasi extra vallum mittam. — *intus* h. e. οἴκοθεν, ut saepe apud Plautum. *evallaverint* cj. vir doctus ad mg. vet. alicujus Nonii exempli ap. Gerl. et Roth. — Verbum *evallare* Döderl. Etym. tom. VI, p. 390. derivat ab ἐκβάλλειν vel *EKBHAOTN*. Minus recte videtur statuisse Müller. ad Fest-Paull. p. 577., deducens ab evannare.

2. Ap. Non. p. 416, 18. v. Vola est media manus. — *man. capuli* dedimus ex nostra conjectura pro *tepiti*, quod Codd. habent. *capeti* cj. Popma, *tapetia* Gerlach. Utrumque inepte. *quoniam in* Jun., Popma. *nec vola nec vest. exst.* est proverbialis locutio, de qua cf. Müller. ad Fest-Paull. p. 370., et infra Ταφῆς Μενίππου fr. 8. — Sententia aperta est. Dicit Varro non sepulchris magnis et splendidis, sed libris posse nominis memoriam diuturnam servari.

XXIX. ERRATIO.

In Nonii libris corrupte hic titulus citatur sic: „(Varro) *Et ratione:*“ unde facillima correctio erat in „V. *Erratione*“. Videtur haec Satura itineris cujusdam errores ac fata continuisse, ut ex ipso quoque fragmento probabile est.

1. Aut frigidos nimbos aquae caduciter ruentis
Pertimuerunt aquatilis querquedulae natantes.

1. Ap. Non. p. 91, 1. v. Caduciter, praecipitanter. — *aquae cad.* Merc., Scalig. Recte. Codd. et edd. vulgo post *aquae* in-

terserunt *icta*, vel *jacta* vel *ista* aut *ictu*, quo metrum violatur. *ruentes* cj. Popma. *pertimuerint* Jun., Merc., Laurenb. *praeinnuerunt* cj. Scaliger, de prognostico imbris interpretatus. Inepte. Gerlachium quid unquam movere potuerit, ut *ficedulae* pro *querquedulae* legendum esse conjiceret, ego quidem non assequor. De querquedula avi v. Varr. L. L. V, 79. ed. Müll. R. R. III, 3. et 11., ad quem locum multum hallucinatus est Schneider. Colum. de R. R. VIII, 15. Recte Döderl. Etymol. tom. VI, p. 297. *querquedulam* vocem ait deminutivum esse a κερκίς, ut *acredula* ab ἀκρίς. Κερκίς, quod Hesych. explicat per εἶδος ὀρνέου, restituendum arbitror esse etiam in Varr. L. L. l. l., ubi codd. praebent κερκερίς vel κερκουρίς.

XXX. EST MODUS MATULAE, *ΠΕΡΙ ΜΕΘΗΣ*.

Inscriptio libri lepidissima, quam explicat Turneb. Adv. XVII, 21.: „Satyra Varronis quaedam inscribebatur *Est Modus Matulae* vel, ut alii scribunt, *Et Modus Matula* (hoc solum in loco Non. p. 5, 18.). Qua inscriptione monebat adhibendum modum compotationi et ebrietati. Nam e matula potum significavit, cum cibum sicciorem in ventrem, liquidiorem in vesicam descendere censerent." Proverbium igitur monet, compotationi finem faciendum esse, quum plenae sint matulae factae.

1. Dolia atque apothecas tricliniares, melicas, Calenas obbas et Cumanos calices.
2. Quis in omni vita heluo πίων δέπας olfacit temetum?
3. Ismenias hic Thebagenes fluit scaturex.
4. Tu cupas vinarias sirpare noli: adde cyathum vini in uxorculae vinopocillum!
5. Non vides ipsos Deos, si quando volunt gustare vinum, derepere ad hominum fana, et tamen tum ipsi illi Libero simpuvio minitari?
6. Vino nihil jucundius quisquam bibit,
Hoc aegritudinem ad medendam invenerunt,
Hoc hilaritatis dulce seminarium,
Hoc continet coagulum convivia.

1. Ap. Non. p. 146, 9. v. Obba, poculi genus —.; p. 545, 3. v. Obba, poculi genus vel ligneum vel ex sparto; p. 545, 11. v. Dolia, et p. 545, 22. v. Calices. — Apothecas tricliniares puto esse minores apothecas ad triclinia cum lagenis semper paratas adstantes, quemadmodum nostrae „Flaschenkörbe". Melicae obbae quae sint a nullo traditum est. Forcell. in lex. refert *melicas*

ad apothecas et interpretatur apothecas vini melliti plenas, quod ferri non potest. Multo probabilius videtur esse, melicas obbas idem esse poculi genus, quod μέλας appellat Athenaeus Deipnos. XI, 486.: *ΜΕΛΗ. Οὕτω καλεῖταί τινα ποτήρια, ὧν μνημονεύει Ἀνάξιππος ἐν Φρέατι, λέγων οὕτως· Σὺ δὲ τὴν μέλην, Συρίσκε. ταυτηνὶ λαβὼν — ἔνεγκον ἐπὶ τὸ μνῆμ' ἐκείνῃ (μανθάνεις;) — καὶ κατάχεον.*" — Calenae obbae et Cumani calices sunt fictiles. Campaniae enim oppida fictilibus clara fuerunt. Horat. I, Serm. 6, v. 118.: „Campana suppellex". Id. II, Serm. 3, v. 144: „Campana trulla". Cf. Martial. IV, 114. Plin. XXXV, 12.

2. Ap. Non. p. 5, 18. v. Temulenta — dicta a temeto. — *κιόδεκες* Codd., pro quo Junii conjecturam recepimus. Videtur dicere Varro, heluonum esse ingurgitare vinum, non olfacere ejus aroma, ut solent fere qui modice bibunt.

3. Ap. Non. p. 172, 25. v. Scaturex. — *Theobogenes* Codd. *Thebogenes* cj. Jun., Merc., Popma. *Thebagenes* correxit Bentl. in Ep. ad Mill. p. 519. Cf. Lobeck. ad Phryn. p. 648. Recte; nisi fortasse malis legere *Thisbagenes*. Ex Thisbe enim, Boeotiae urbe, alter ille Ismenias oriundus erat, de quo Eustath. ad Il. II, p. 268. ed. Rom.: „*Ἡ Θίσβη πολίτην μὲν ἔσχε τὸν περίπυστον αὐλητὴν Ἰσμηνίαν*". Cf. Strabo IX, p. 411. — *scaturix* Ald., Jun., Laur.

4. Ap. Non. p. 83, 23. v. Cupas. *Cucupas* Codd., pro quo edidi *Tu cupas*. *Cupas* edd. ante noviss. *ux. inopocillum* ed. noviss. ex suis Codd. (ex quibus Lugd. praebet *inopocillum* et Guelf. *inopicillum*). *uxorc. pocillum* cj. Turn. Adv. XXIX, 21. *inopis pocillum* cj. Gerlach. Sed non dubium est, quin olim scriptum fuerit *vinopocillum*, quod restituimus. *Sirpare* quid sit docet locus Varronis de L. L. V, 137.: „Falces sirpiculae vocatae a sirpando, id est ab alligando. Sic sirpata dolia quassa, quom alligata his, dicta", et paulo post (139): „sirpea (sc. corbula), quod virgis *sirpatur* id est colligando implicatur".

5. Ap. Non. p. 544, 27. v. Simpuvium. — *viniturі* Codd., pro quo certissima conjectura restituimus *minitari*. *invitari* habet ed. 1480., prob. Bentino. *vina dari* cj. Lips. *invitantur* Laurenb. — Sententia lepidissima. Dicit ne ipsos quidem Deos abstemios esse, imo, si quando vinum gustare velint, derepere eos solere ad hominum fana ibique bibere dum ita inebriati sint, ut ne ipsi quidem Libero, vini videlicet praebitori et compotationis quasi domino, rixas movere aut poculis minitari abstineant. — De simpuvio, cujus in sacris Deorum usus erat, v. quae affert Adr. Jun. Animadv. II, 10.

6. Ap. Non. p. 28, 19. v. Coagulum. — *quisqu. bibit* Jun., Merc., Popma, quam lectionem firmant Codd. Guelf. et Lugd. et

ed. Ald., qui praebent *vivit. quidquam cluit* Scal., Muret., Burm., Laurenb., Heins. *medendam* Codd. *medendum* cj. Merc. (in priore ed. a. 1583). Sed cf. Suet. Vesp. 8.: „medendae valetudini". Vellej. II, 25.: „aquas salubritate medendisque corporibus nobiles". — Versiculos hos perelegantes, quos recte ait Popma non modo qui libris, sed qui cyathis et poculis inscriberentur dignos esse, verbosius explicarunt Burmann. in Anthol. Lat. tom. I, p. 538. et Fr. Morell. ad Liban. p. 88. — Vini laudes ab aliis poetis celebratas habes apud Athen. Desp. II, 2, p. 35 sqq.

XXXI. EUMENIDES.

Tractat hac Satura Stoicorum dogma, ὅτι πάντες μωροὶ μαίνονται: quod Horatius quoque eleganter perstrinxit in Damasippo. *Eumenides* liber haud dubie ideo inscriptus est, quia hae Deae hominum mentis furore implere putabantur.

1. Quin mihi caperatam tuam frontem, Strobile, omittis!
2. Contra cum psalte psallis, et cum Flora lurcare ac strepis.
3. Cum in eo essem occupatus atque in schola curarer, ut scribit Scantius, horno per Dionysia.
4. Quod ea die mea erat praebitio, in januam CAVE CANEM inscribi jubeo.
5. Quod tunc quaestus trichinus erat, nunc est uber.
6. Primum iste, qui meret sestertios vicenos.
7. Quia plus, inquit, merere debet, in quo est virtus.
8. Nunc corius ulmum tuus depavit. — Pergis? heia!
9. Priusquam responderem, foris nescio quis occupat res indicare.
10. Ex his atque ejusmodi institutis ac vita vel ad Herculis athla athleti facti erant.
11. Patella esurienti posita provocat Neapolitanas piscinas.
12. Stolam calceosque muliebris propter positos capio.
13. Partim venusta muliebri ornat stola.
14. Item tragici prodeunt cum capite gibbero, cum antiqua lege ad frontem superficies accedebat.
15. Aurorae at ostrinum hic indutus supparum

Coronam ex auro et gemmis fulgentem gerit,
Luce locum afficiens.

16. „Ego medicina, Serapi, utor!“ cotidie precantur. Intellego, recte scriptum esse Delphis: ΘΕΩ ΗΡΑ.

17. Hospes quid miras animo curare Serapim?
Quid? quasi non curat tantidem Aristoteles?

18. In somnis venit, jubet me cepam esse et vesci cuminum.

19. Tu non insanis? — quo tibi vino corpus corrumpis mero?

20. Nunc de te, inquit, meliusculam spem habeo, qui rem spurcissimam gustare noluerim.

21. Mox unum credit ferro se caedere Ulixem,
Cum bacchans silvam caedit porcosque trucidat.

22. Quid dubitatis, utrum nunc sitis cercopitheci,
An colubrae, an beluae de Albuci subus Athenis?

23. Empedocles natos homines ex terra ait ut blitum.

24. Neque furentem eculeum Damacrinum insanus equiso ex rabidis morbi fluctibus educat unquam.

25. Ubi dicatur primus Zenon novam haeresim novo paxillo suspendisse.

26. Nam ut arquatis et lutea quae non sunt et quae sunt lutea videntur, sic insanis sani et furiosi videntur esse insani.

27. Aut ambos mira, aut noli mirare de me de eodem.

28. Propter percrepis vocibus volitans aures vulgi.

29. Et ecce de improviso ad nos accedit cana Veritas, Attices philosophiae alumna!

30. Postremo nemo aegrotus quicquam somniat
Tam infandum, quod non aliquis dicat philosophus.

31. Propter eam porticum situm erat dolium.

32. Simul ac languido corpori solis calidior visa est aura.

33. Denique avarus
Quis sanu' 'st? — Cui si stet terra et traditus orbis

Furando tamen ac morbo stimulatur eodem,
Ex sese ipse aliquid quaerat cogatque peculi.

34. Capite aperto esse jubet, ante lucem suscitat
Frigore torret, venatum eicit jejunio villicum.

35. En demum praeter Matris Deum aedem exaudio cymbalorum sonitum.

36. Tibi typana, non inanis sonitus Matris Deum
Tonimu'! tonimus tibinos tibi nunc semiviri,
Teretem comam volantem jactant Galli tibi!

37. Phrygius per ossa cornus liquida canit anima!

38. Cum illo vento, video Gallorum frequentiam in templo, qui, dum in esseda coronam adlatam imponeret aedilis signo, essedam et Deam gallantes vario retinenebant studio.

39. Ubi vident se cantando ex ara excantare non posse, deripere incipiunt.

40. Ruditatem an pudorem Gallûm, coepit mihi, vereris?

41. Nam quae venustas his adest gallantibus?
Quae casta vestis? aetas quae adulescentium?
Quae teneris species?

42. Ut Najades undicolae.

43. Vix vulgus confluit, non Furiarum, sed puerorum atque ancillarum, qui omnes me bilem atram agitare clamitantes opinionem mihi insaniae meae confirmant.

44. Forenses decernunt, ut Existimatio nomen meum in insanorum numerum referat.

45. Sed
Nos simul atque in summam speculam pervenimus,
Videmus populum Furiis instinctum tribus
Diversum ferri exterritum formidine.

46. Tertia Poenarum, Infamia, stans nexa in vulgi pectore, fluctuanti, intonsa coma, sordido vestitu, ore severo.

47. Apage in dierectum a domo nostra istam insanitatem!

48. Et ceteri scholastici, saturis auribus scholica dape atque ebriis festivae ἀπεραντολογίας injuriâ, consurgimus jejunis oculis.

49. Ego autem, qui essem plenus vini et Veneris.

1. Ap. Non. p. 9, 4. v. Caperare est rugis frontem contrahere et asperare. — *remittis* cj. Ruhnken. sine justa causa. Nam dicimus etiam iracundiam, tristitiam, pietatem omittere, h. e. deponere. Caperatam frontem pro morositate posuit etiam Auson. Idyll. X, ad Symmach.: „Neque me fallit, fore aliquem, qui hunc jocum nostrum acutis naribus, et caperata fronte condemnet". Strobilus, servi nomen in Plauti Aulularia.

2. Ap. Non. p. 11, 10. v. Lurcones dicti sunt a lurcare; lurcare cum aviditate cibum sumere. — *c. ps. pista* Merc. *c. p. pisia* ed. noviss. *at str.* Codd. Nos sumus Gerlachii conjecturam secuti.

3. Ap. Non. p. 121, 8. v. Hornum, ipsius anni; et p. 355, 31. v. Occupare — detinere. — *inscribit* Jun. et Merc. utroque loco. *ut scr.* Turn. Adv. XXIX, 28., et ed. noviss. in secundo loco ex suis Codd., quod unice verum est; *curarem* (ita Jun., Merc.) *inscribi* cj. Popma. Horno curari quid sit, explicat Turn. 1. l. „H. c. est frugibus et vino ipsius anni foveri et ali". — Scantius iste qui sit, adhuc nescio; puto tamen eundem esse, a quo Scantianae uvae et Scantiana poma appellata sunt. Plin. XIV, 4. et XV, 14. Aminaea Scantiana Varr. de R. R. I, 58.

4. Ap. Non. p. 152, 33. v. Praebitio a praebendo id est exhibendo. — De elogio *Cave Canem* v. supra in adn. ad inscr. Sat. *Cave Canem.*

5. Ap. Non. p. 181, 9. v. Trichinum, tardum et quasi impeditum, vel siccum et sine succo, ut sunt capilli, qui Graece τρίχες dicuntur. — Nonium falsa docere suspicor, malimque vocem trichinum per contrarium explicare, ut potius sit uber. Τρίχινον enim Tarentini pro spisso dicebant, teste Scalig. ad Catal. p. 259. Cf. etiam vocabulum trichila, de quo adeas Döderl. Etym. VI, p. 376.

6. Ap. Non. p. 345, 9. v. Meret — humillimum et sordidissimum quaestum capit. — G. Hermann. Elem. D. M. p. 640. Versum Saturnium in his verbis scrutatus est.

7. Ap. Non. p. 344, 27. v. Meret, meretur. — G. Hermann. l. l. putat Saturnium versum inesse.

8. Ap. Non. p. 199, 16. v. Corium — masculini. — Festive dictum pro: ulmi cortex in tuo corio solutum est. *Pergis? heia!* verba sunt ejus ipsius, qui vapulat.

9. Ap. Non. p. 355, 28. v. Occupare — est proprie praevenire.

10. Ap. Non. p. 528, 3. v. Vel pro etiam est. — *ad* — *athla* sc. subeunda. *athletae* h. e. robusti ac fortes.

11. Ap. Non. p. 543, 32. v. Patella. — Patella hoc loco pro tenui victu. Erat Socratis dictum, cibi condimentum esse famem, potionis sitim. — De Neapolitanis piscinis v. Varr. de R. R. III, 17. Plin. IX, 54.

12. Ap. Non. p. 253. 5. v. Capere est tollere, tenere.

13. Ap. Non. p. 537. 30. v. Stolam veteres non honestam solum, sed etiam omnem, quae corpus tegeret. — *Partum* edd. praeter princ. et noviss. *Parum* cj. vir quidam doctus ad marg. vet. alicuj. exempli apud Gerl. et Roth.

14. Ap. Non. p. 452, 3. v. Gibberum pro exstanti et eminenti. — Caput gibberum puto dictum esse caput galero tectum; superficies autem est persona. — De re v. Bötticher. in libro De Personis Scen. (Vimar. 1799.) et Bened. Wolff. in Commentatione de Canticis in Rom. Fab. Scen. (Hal. 1824.) p. 22. sqq.

15. Ap. Non. p. 549, 12. v. Ostrinam, ad ostri colorem; p. 540, 14. v. Supparum est linteum femorale usque ad talos pendens, dictum quod subtus appareat; p. 520, 2. v. Affici malis tantum consuetudo praesumpsit, cum sit positum et bonis. — *Aurorat ostrinam* Merc. et ed. noviss. ex suis Codd. *ostrinum* ms. Jac. Susii. *Aurora ut, ostrinum* cj. Heins.; malui *aurorae at ostrinum*. *aurorae ostrinum* Scal., Laurenb., Popma, Cuper. *aurorat ostrinum hicce* cj. Wakefield. — De supparo, veste muliebri, v. Fest. s. v. p. 310., Müll., et Gisb. Cuper. Observ. IV, 18.

16. Ap. Non. p. 480, 26. v. Precantur. — *a Serapi* Turn. Adv. IV, 8., Popma. *Theo Hera* Codd., pro quo Bentin. et Turn. ediderunt *θεῷ Ἥρᾳ*. Popma legit *ΘΕΩ ΕΡΑ*. Jun. cj. *θεοῦ ἐρᾷ* vel *θεῷ ἀρῶ*. Nos non dubitavimus restituere *Θεῷ Ἧρα*, ad quae verba supple *φέρε*. *Ἧρα* autem *φέρειν θεῷ* hic est donis afficere deum. Intelligis his verbis castigari Serapidis, dei praestigiatoris, avaritiam.

17. Ap. Non. p. 480, 29. v. Miras pro miraris. — *animo cur.* Codd. *nummo cur.* legunt Turn. Adv. IV, 8., Scal., Laurenb., Popma. At vel ipsa ratio suadet codicum fidem servare, si quidem in plano est, in hoc libro, qui erat de Stoicorum illo dogmate *ὅτι πάντες μωροὶ μαίνονται*, multum de insania memoratum esse. *non curet* cj. Turn., Scal., Laurenb., Popma, Voss., Meyer. Sed indicativus bene stat, modo particulam *quasi* per *fere* explices et referas ad genitivum pretii *tantidem*. Per Aristotelis nomen hic studia philosophica significata esse, nemo est, quin videat.

18. Ap. Non. p. 201, 10. v. Cepe — feminini. — *esse et fessiminum* Codd. — Jun., Laurenb., Popma conjecerunt *et vesci cu-*

minum, quos secutus sum. *et sesymbrium* conjecerunt alii. Refer verba ad Serapidis numen, quod per somnium venire aegrotantibus et medicinam afferre putabant veteres. Cic. de Divin. II, 59.: „Quid convenit, aegros a conjectore somniorum potius, quam a medico petere medicinam? An Aesculapius an Serapis potest perscribere per somnium curationem valetudinis?" De cepae viribus medicis adeas Galen. Vol. VI, p. 371. et XIII, p. 198. Plin. XX, 5., et de cumini Galen. Vol. XIII, p. 199. Plin. XX, 14. et 15.

19. Ap. Non. p. 344, 11. v. Merum. — *quod tibi* Popma.

20. Ap. Non. p. 394, 9. v. Spurcum, vehemens, asperum. — *noluerim* Codd. *nolueris* cj. Popma, Merc. Recte fortasse.

21. Ap. Non. p. 272, 5. v. Caedere — occidere vel mactare. — *Maximum* Codd. *Mox unum* cj. Heins. (de Satur. Horat. I, p. 81.). Hermann. Elem. D. M. p. 347. *vaccas silvai* cj. Heins. — Verba ad Ajacem *μαινόμενον* referenda esse, vix opus est monere.

22. Ap. Non. p. 201, 25. v. Coluber — feminini. — *an bolvae, an de albu cibus labus Athenis* Codd. mendosissime. *an attelabus* cj. Steph. *an beluae, ἐν κεφαλῇ quibus λόφος ἀτενής* cj. Haverkamp. ad Tertull. Apol. c. 48. p. 408.; idem vel *ἀντ' ἀλκῆς quibus λόφ. ἀτ.* cj. Popma. Nos sumus omnino Rothii conjecturam secuti, nisi quod *beluae* (sic habent Ald., Jun., Laurenb.) pro *volvae* scribendum esse duximus. — Quod ad sententiam loci adtinet, in plano est, lepide hic tangi Pythagoricorum metempsychosin una cum Heracliti et Empedoclis dogmate de sempiterno rerum fluxu et perpetua mutatione. De T. Albucio, equite Romano et Epicureo philosopho, v. Varr. de R. R. 2, 17. Cic. Brut. 35, 131. et Tuscul. Quaest. V, 37, 108. Lucil. ap. Cic. de Fin. I, 3, 9.

23. Ap. Non. p. 550, 15. v. Blitum, olus leve. — Censorin. de Die Nat. c. 4 (p. 19. ed. Haverk.) recensens varia philosophorum dogmata de generis humani origine: „Empedocles autem" inquit „egregio suo carmine, quod ejusmodi esse praedicat Lucretius (I, v. 734.): ‚Ut vix humana videatur stirpe creatus', tale quiddam confirmat. Primo membra singula ex terra quasi praegnante passim edita, deinde coisse et effecisse solidi hominis materiam, igni simul et humori permistam". Cf. Plut. de Placit. Philos. V, 9.

24. Ap. Non. p. 105, 12. v. Eculeos, deminutivum ab equis; et p. 106, 2. v. Equiso pro equite. — Locus paene desperatus. *Damacrinum* edd. ante noviss. utroque loco, praeter Ald., qui priore praebet *Damarianum*, pro quo ed. noviss. exhibet ex suis Codd. *Damacrianum*, Turneb. *Acragianum*. Popma corr. *Damacrinus*. Recte fortasse. Idem Popma cum Turn. haud male scripsit *sanus eq.* — *exhibebis morb.* Codd. *ex senis (saevis?) m.* cj. Turn. *ex hibus* cj. Roth. *ex rabidis* nostra conjectura est.

educat edd. ante noviss. utroque loco. *educit* Popma. *educet* quod praebet ed. noviss. loco posteriore, praefert Roth.

25. Ap. Non. p. 153, 6. v. Paxillus deminutivum a palo. — Turn. Adv. XV, 4.: „De paxillo suspendere a suppellectile translatione notionis ducta, quam suspendere, ubi emimus, domi solemus, significat apud Varronem parare, ut, cum Zenonem dicit novam instituisse sectam, proinde quasi ejus secta sit philosophiae suppellex quaedam". Cf. supra ad *Bimarc.* fr. 11.

26. Ap. Non. p. 35, 16. v. Arquatus morbus dictus, qui regius dicitur, quod arcus sit concolor de virore, vel quod ita stringat corpora, ut in arcum ducat; et p. 549, 22. v. Luteus. — *sunt aequae ut lut. vid.* ed. noviss. altero loco, quod quin alteri lectioni praeferendum sit, dubitaverim. Ceterum post *arquatis* vet. edd. plurimae nescio unde inseruerunt *et veternosis*, quod neque in Merceri Codd. exstitisse videtur, quia primus omisit, prob. Müll. ad Fest. p. 369. ad v. Veternosus. De arquato morbo videsis Cels. III, 24. Plin. XXII, 24., cujus verba interpretatur Gesner. in Thesaur. s. v. Regius.

27. Ap. Non. p. 480, 31. v. Miras. — *de me* omis. Jun., Laur., Merc.

28. Ap. Non. p. 255, 15. v. Crepare est sonare. — *propter* Codd. *praeter* cj. Merc. Sed ferri potest etiam *propter,* si conjungas cum *volitans.* Cf. Ovid. Metam. VIII, 258.: (Volucris) „propter humum volitat". *percrepis* tenent Codd. *pr. crepas* ed. 1583, Ald., Popma, Jun. *percrepas* mg. Jun., sed defenditur forma *percrepis* testimonio Eutych. de Discern. Conjug. II, p. 2188 (ed. Putsch.): „— sono etiam sonas, et sono sonis, unde sonere infinitivum, c r e p o a s e t c r e p o i s, u n d e e t c r e p e r e —". — Verba, quae videntur ad Famam referenda esse, construe sic: Propter aures vulgi vol. percr. vocibus.

29. Ap. Non. p. 86, 27. v. Canum, vetus, antiquum; et p. 242, 33. v. Alumnos. — *Attices* genitivi forma, quam Codd. tenent, bene stat; sic infra in *Mod.* fr. 5. *Delphice* (columna). Graecae enim vocabulorum terminationes usitatiores Varroni erant. Plin. apud Charis. I, p. 38 (ed. Putsch.) de Varrone: „Quam maxime vicina Graeco Graece dixit, ut nec *schematis* dicat, sed *schemasin*". — Veritas Varroni cana dicta, ut Fides et Vesta Virgilio Aen. I, 292. et V, 744.

30. Ap. Non. p. 56, 13. v. Infans . . . (Infandum). Non aliter Cicero de Divin. II, 58, 119. ait: „Sed nescio, quomodo nihil tam absurde dici potest, quod non dicatur ab aliquo philosophorum".

31. Ap. Non. p. 367, 30. v. Propter. — Significat fortasse Diogenis dolium in Cranio situm.

32. Ap. Non. p. 245, 23. v. Aura, adactus.

33. Ap. Non. p. 392, 3. v. Stare — Stat etiam plenum est; et p. 264, 20. v. Cogere, corradere. — *Denique quis sanus est* av. ed. noviss. Nos fecimus cum Merc. aliisque, ut metri ratio postulabat. *traditur* Popma. Inest hendiadys; nam construendum est: cui si stet traditus terrae orbis. — Fortasse tamen emendandum: *frugibus* pro *traditus*, quod Gerlach. quoque voluit, conjiciens *cui si sub terrarum frugibus orbis;* sed haec verba ego quidem non capio. *stimulatus* Codd., pro quo dedimus *stimulatur*, quod olim in libris fuisse, testantur sequentes enunciationes conjunctivi modi *quaerat cogatque*, quos Codd. utroque loco constanter retinent. Constructum est igitur *stimulare* hic cum simplice conjunctivo, qualem interdum sibi indulgeat verba impellendi. *Ex sese* h. e. genium suum defraudando. Pro *ipse* malim *ipso*, quod aptiorem praebet sententiam. — Ceterum adnota, verbum stare pro „plenum esse" in hoc Varronis loco absolute esse positum, cujus usus quin alterum exemplum reperiatur dubito.

34. Ap. Non. p. 236, 24. v. Apertum nudatum; et p. 452, 9, v. Torrere non solum ignis, sed etiam frigus potest dici —. — *jej. vellicem* Codd., pro quo recte emendarunt Jun. et Popma *villicum*, quod recepimus. Reponenda tamen fortasse prisca forma *vellicum; vella* pro *villa* tenent Codd. in loco Varr. de. R. R. I, 2, 4. — Verba fragmenti refer ad hominem avarum et inhumanum.

35. Ap. Non. p. 529, 13. v. Praeter pro ante vel per. — *En domum pr. matrem d.* Codd. *demum pr. matris* correxerunt Jun. et Popma.

36. Ap. Non. p. 49, 20. v. Tonimus positum pro sonamus cum modo, a tono; p. 49, 22. v. Tibinos, a tibiis modos; et p. 329, 11. v. Jactare — excutere, commovere. — Quorum trium locorum in nullo exhibetur Varronis fragmentum ita plenum, ut nos exhibuimus. In priore leguntur haec: „*tibi tymp. non inan. son. matr. d. tonimus*", in altero: „*sonitus matr. d. tonim. tibinos t. n. semiv.*", tertius dat: „*tibi nunc semiv. teret. c. jact. tibi Galli*". Ex his frustulis integrum fecimus locum, versibus galliambicis conceptum. *typana* pro *tympana* scribendum erat cum Herm. Elem. D. M. p. 506. *tibinos* (media producta est propter vocalem *i* duplicatam, ut in tibicen, quod parum curarunt Scheller, Forcell. et Freund. in lex., qui brevem eam esse statuunt) sc. sonitus, quod ex proximo repetendum est. *tibi Galli* Codd., sed sedes mutare vocabula fecit jam Herm. l. l.

37. Ap. Non. p. 233, 12. v. Anima, sonus; et p. 334, 13. v. Liquidum, suave, dulce. — Phrygius cornus est tibia. V. quae disputavit Dempster. in Paralipom. ad Rosin. Antiqu. Rom. (ad libr. II, c. 4.) p. 78 sqq.

38. Ap. Non. p. 119, 2. v. Gallare, id est bacchare. — Locus desperatus. *vento* Codd. *venio* cj. Salmas. et alius nescio quis in vet. quodam exemplo ap. Osann. in Diar. Lit. Univ. Hal. 1843. suppl. p. 692.; recte fortasse. *ventito* mg. Jun. *advento* Laurenb. *qui dum essena hora nam adlatam imponeret aedilis signosiae et d.* Codd. *dum esset cenae hora jamque adlatam apponeret aedilis signo esui, deam* cj. Salmas. prob. Osann. l. l. *d. esset jam hora Deam adl. imponerent aedis signo: sic Deam* Laurenb. — Nos nostram conjecturam sumus secuti: quo jure, judicabit lector.

39. Ap. Non. p. 102, 10. v. Excantare significat excludere. — Neque haec verba quorsum spectent divinare potuimus.

40. Ap. Non. p. 487, 26. v. Gallum pro Gallorum. — *Pruditatem* ed. noviss. *Puditatem* Ald., Jun., Merc. *videri* Codd. *Ruditatem* — *vereris* nostra qualiscunque est conjectura. — *coepit mihi* sc. dicere.

41. Ap. Non. p. 119, 6. v. Gallare; p. 267, 9. v. Castum, religiosum; p. 386, 29. v. Species, pulchritudo. — *hic ad.* Codd. *his* cj. Salmas.

42. Ap. Non. p. 250, 14. v. Colere, inhabitare.

43. Ap. Non. p. 153, 3. v. Pueros pro servis; p. 421, 6. v. Vix, statim; p. 242, 24. v. Atrum dicitur nigrum; et p. 358, 15. v. Opinio est fama. — Bilis atra est μελαγχολία. Scribon. Larg. Comp. 104: „Bilem atram generantes, quos μελαγκολικοὺς vocant. Cf. Senec. Ep. 94. Cic. Tusc. III, 5, 11. Plaut. Amphitr. II, 2, 95. Captiv. III, 4, 64. ibique Lindem.

44. Ap. Non. p. 285, 23. v. Decernere; et p. 381, 19. v. Referre. — *in sanorum* Codd. *in insanorum* cj. Popma, prob. Gerlach., quod ut restituatur, ipsa sententia flagitare videbatur.

45. Ap. Non. p. 434, 23. v. Specula; et p. 295, 25. v. Exterritum pavefactum significat. — *diversim* cj. Scal.

46. Ap. Non. p. 390, 9. v. Severum, triste. — *fluitanti* vel *fluctuatim* praefert Herm., Elem. D. M. p. 389., qui in hoc fragmento dimetros anapaesticos scrutatus est. — *fluctuanti* cf. Gell. V, 14.: „toris comisque cervicum fluctuantibus“, quod omnes Codd. tuentur. *sordido* Codd. Malim *sordida*.

47. Ap. Non. p. 49, 26. v. Dierecti dicti crucifixi, quasi ad diem erecti; et p. 122, 27, v. Insanitas. — Cf. de voce *dierectum* Lindem. ad Plaut. Capt. III, 4, 103. Döderl. Synon. tom. VI, p. 102. derivat a διάῤῥηκτος. Cf. Müll. ad Fest-Paull. s. v. p. 69.

48. Ap. Non. p. 451, 33. v. Ebrios et jejunos non vinolentos aut sine cibo, sed expletos qualibet re possumus dicere. — Merc. et ed. noviss. sic locum exhibent: „*et ceteri scholasticis auris auribus scolica dape aqua ebriis festicae aperantologia, con-*

surgia consurgimus, jej. oc. Roth. optime conj. *scholastici saturis.* — *atque ebr.* Jun., Popma. *festivae ἀπεραντολογίας injuria, cons.* nostra conjectura — est. Sententia plana est.

49. Ap. Non. p. 498, 32. v. Genitivus pro ablativo.

XXXII. *ΕΥΡΕΝ Η ΛΟΠΑΣ ΤΟ ΠΩΜΑ, ΠΕΡΙ ΓΕΓΑΜΗΚΟΤΩΝ.*

Εὗρεν Ἡ Λόπας Τὸ Πῶμα proverbii aptissimus usus est, quoties vitae societate et communione iunguntur, qui moribus vel affectionibus similes sunt, aut universim, quum cui simili quid simile contigit. Hieronym. Ep. 43. ad Chromat.: „Accessit huic patellae — juxta tritum populi sermone proverbium — dignum operculum. Cf. Idem Ep. 16. ad Princip. et Contra Rufin. p. 160: „Quod librum Eusebii pro Pamphili verteres, quod tuum quasi operculum venenatae patellae imponeres.“ — Nonii loco p. 399, 31. codices alterum Saturae titulum clare scriptum exhibent *περὶ καθηκόντων*, quod placuit Turn. Adv. XXIX, 2. Sed recte vidit jam Adr. Junius Animadv. VI, 3. ubique reponendum esse *περὶ Γεγαμηκότων.*

1. Ego unus scilicet antiquorum hominum subductis superciliis dicam: *γαμήσω, νοῦν ἔχων.*
2. Ita, ut soliti eramus Romae in balneis, plodere coepimus et murmurari.
3. Cujus ubi annis multis masculi vestigium inventum est.

1. Ap. Non. p. 399, 31. v. Subducere etiam susum ducere, levare. — *ταμησιονουν ἔχων* Codd., pro quo conjecimus *γαμήσω* vel *γαμησείω, νοῦν ἔχων*, quod triplicem interpretationem admittit. Nam esse potest, vel: uxorem ducam sanamente, vel, u. d. quum sim sana mente, vel u. d. quamvis sim sana mente. — *Θάλητος νοῦν ἔχων* cj. Turn. Adv. XXIX, 2. *ταμιεῖον συνέχων* Jun., Popma. *subductis superciliis* cf. Turpil. ap. Non. p. 399, 33. Laev. ap. Gell. XIX, 7. Senec. Benef. 1, 1. Id. Ep. 48. med. cf. Propert. II, 10, 9.

2. Ap. Non. p. 478, 3. v. Murmurari pro murmurare. — Disputare et carmina recitare solebant Romani in balneis. Petron. Sat. c. 51. ibique Gonsal., Martial. III, Epigr. 44, 10.

3. Ap. Non. p. 526, 15. v. Multis annis h. e. continuis. — *Masculini* Jun., Merc.

XXXIII. *ΕΧΩ ΣΕ, ΠΕΡΙ ΤΥΧΗΣ.*

Inscriptionem repetitam esse puto ab illo Metrodori, Epicurei philosophi dicto, quod refert Cicero Tusc. Quaest. V, 9: „Quid melius, quam Fortunam exiguam intervenire sapienti? sed hoc isne dicit, qui, cum dolorem non modo maximum malum sed solum malum etiam dixerit, toto

corpore opprimi possit doloribus acerrumis, tum cum maxime contra fortunam glorietur? quod idem melioribus etiam verbis Metrodorus: „*Occupavi te*“ inquit, „*Fortuna, atque cepi, omnisque aditus tuos interclusi, ut ad me adspirare non posses!*“ —

1. Teges, pruina ne jacentem subdealbet algu dante frigore.
2. Aerea terta nitet galea.
3. Tela dextra vibrant, russa acie emicant, atque in insignibus Martis torques aureae et scuta caelata Hibero argento gravi crebra fulgent.
4. Sapiens et bonum ferre potest modice, et malum fortiter aut leviter.

1. Ap. Non. p. 72, 10. v. Algu pro algore. — *Leges* Codd., unde Popma bene restituit *Teges*. Pro *pruina*, quod Rothii conjectura est, Codd. tenent *ruina*. — *subdealbet* Ald., Jun., Merc. et ed. 1842., quae praebet *subdeabbet*. — *sub Deo albet* Popma. — *danti frigore* Codd. *ne sub dio Ambesset algus dentientem frigore* cj. Scal., Laurenb., quam impeditam conjecturam quod Freund. in lex. lat. v. Dentio secutus est, miror. — *algus dante frigore* cj. Popma. *algu* (accus.) *dante frigore* nostra est conjectura. Ablativi qui vulgo dicuntur absoluti: „bei einer Kälte, die Frostschauer erregt“.

2. Ap. Non. p. 179, 6. v. Terta pro tersa. — *Atrei t.* Jun., Lips., Laurenb.

3. Ap. Non. p. 228, 5. v. Torquem generis — feminini. — *russatia emic.* Codd. *russa tria* mg. Jun. *russatis* cj. Popma. *russantia* (!) cj. Gerlach. *russa acie* nostra conjectura est. Russa acies est acies chlamydata. *atque insign.* Codd. *aureae et scuta* Jun., Popma, Merc. *aureae, scuta* ed. noviss. — *insignia Martis* sunt arma, quibus tanquam ornamenta hic opponuntur torques aureae et scuta argento caelata. Cf. supra Ἄμμ. Μετρ., π. Φιλαργ. fr. 4.

4. Ap. Non. p. 342, 32. v. Modicum veteres moderatum et cum modo dici voluerunt. — *ac leviter* Ald., Jun. *ac leniter* Popma.

XXXIV. EXDEMETRICUS.

Memorat hanc Saturam Gellius XIX, 8., ubi disputat de Frontonis lege, quod vocabula ea, quae multitudinis notionem habent, multitudinis etiam numero tenenda sint, his verbis: „Haec quidem Fronto requirere nos jussit vocabula (sc. quadriga, arena, similia): non ea re, opinor, quod scripta esse in ullis veterum libris existimaret, sed ut nobis studium

lectitandi in quaerendis rarioribus verbis exerceret. Quod unum ergo rarissimum videbatur, invenimus *quadrigam* numero singulari dictam in libro Saturarum M. Varronis, qui inscriptus est *Exdemetricus*."

XXXV. *ΕΩΣ ΠΟΤΕ, ΠΕΡΙ ΩΡΩΝ.*

Αἱ Ὧραι, de quibus hoc libro disputatum fuisse inscriptio indicat, utrum hominum aetates, an in universum temporum quaevis vicissitudines interpretandae sint, hodie judicari nequit. Quare et Turnebum miror, unde (Adv. XVII, 24.) asseverare potuerit, Varronem hac Satura „de temporibus et negotiis vitae humanae tractasse cum hominum semper satirica vituperatione." — *Ἕως πότε* (sc. *οὕτως σχήσει*;) proverbialis locutionis, aptus videtur usus esse, quotiescunque nobis aut sperandum aliquid est aut timendum.

1. Vitae cursum ut cognoscere possem aeque servitutis et libertatis ab origine ad exodium adductae.
2. Non posse ostrea se Romae praebere et echinos.

1. Ap. Non. p. 27, 17. v. Exodium est finis. — *possem et quae* Codd.; quare Gerlach. conjecit supplendum esse ad finem sententiae „conditio sit". Sed hoc non opus est. Erat haud dubie olim in Nonii libris scriptum pro „et quae" „aeque", cui particulae respondet sequens *et.* Sententia paullo impeditior (quod profecto in fragmento non est mirandum), nec tamen obscura est. Dicit Varro, vitae humanae condicionem aequabiliter subinde temperatam esse tam servitute quam libertate. Genitivi *servitutis et libertatis* fortiores sunt, ac si simpliciter posuisset *per servitutem et libertatem.*

2. Ap. Non. p. 216, 19. v. Ostrea generis neutri. — Est hexameter.

XXXVI. FLAXTABULAE, *ΠΕΡΙ ΕΠΑΡΧΙΩΝ.*

Flaxtabulas quomodo interpretemur vocabulum adhuc in dubio haesitamus, nec ulla in promptu probabilis conjectura est. Josephus quidem Scaliger ad Fest-Paull. v. Conflages (p. 356. ed. Lindem., p. 40. ed. Müll.) derivat a verbo *fraxare*, quod Fest-Paullus interpretatur per *Vigilias circuire*, et cujus altera forma *flaxare*, quam tuetur Placidus Gloss. p. 452., haud magis diversa ab illa est, quam sunt *confrages* et *conflages* (cf. Fest-Paull. l. l. et Isidor. Origg. XIV, 8, 27. ed. Otto.), *suffr amen* et *sufflamen*, *fraxineae* et *flaxineae* (Barth. Adv. XXXIV, 8.) et similia vocabula. Quae derivatio etsi per se quidem non vituperanda sit, imo unice vera esse videatur, non tamen ea est, quae commodam vocabuli interpretationem praebeat. Nisi forte, quum *περὶ Ἐπαρχιῶν* librum fuisse altera inscriptio indicet, *Flaxtabulis* vocabulo statueris id hominum genus a Varrone notatum esse, qui, ut opulentas provincias opimasque praeturas lucrentur, civium suffragia (tabulas vel tabellas) per totam urbem et vicatim ambiunt, quemadmodum vigiles solent, quum vigilias circueunt. Sed haec conjectura est. — Auson. Popma (apud quem

libri inscriptio „*Flexibula*“ est) haec conjicit: „Videtur Varro insectatus proconsules, praetores et reliquos magistratus, qui in provinciis cum summa potestate versabantur, quod nullum officium praestarent constantis et moderati imperii. Ejus autem causas jacit in immensas cupiditates et illecebras vitiorum, quae animos huc et illuc rapiunt, nec, quo loco volunt, consistere sinunt omnino: sicut et virtutes eosdem movent atque impellunt, sed dispari ratione. Etenim hoc animos cum moderata quadam constantia faciles in omnes partes et ad omnem casum expeditos reddunt. Haec igitur sunt, inquam, virtutes, vitia, imperia, Varronis *Flexibulae* (sic) vel *Flexabula* (sic), ut oratio a Poeta dicta Flexanima.“ — Adr. Turnebus (Adv. XXVII, 24): „Varronis“ inquit „erat Satira *Flexabulorum* (sic) nomine, in qua de provinciis administrandis et tanquam flectendis regendisque provincialibus disserebat (nam flexabulum instrumentum ad flectendum est), multaque in magistratuum, ut reor, avaritiam et sordes disputabat.“ Errat vir doctus. Nam neque de flexabulo instrumento apud quem veterum scriptorum legimus, et Plinius in Praef. ad Hist. Nat. Varronis Saturam per casum accusativum *Flaxtabulas* laudat, unde intelligitur id vocabulum neutri esse non posse. Nonii Codices in scribendo vocabulo *Flaxtabulis* non discrepant, excepto uno loco p. 27, 3. ubi Codd. Guelf. et Lugd. exhibent: „Varro *Flaxabulis*“: reliqui omnes (v. Merceri adn.) praebent *Flaxtab*. —

1. Quid? tu non vides in vineis quod tria pala habeant tripales dici?
2. Multi enim qui limina intrarunt integris oculis strabones sunt facti: habet quiddam enim ἑλκυστικὸν provincialis formosula uxor.
3. Atque si addam, quanti misericordia mea haeredibus meis stet, quod miseros sublevaverim!
4. Domo exeo, intro, et pedes corrigis compedio.
5. Nec dolore ἀδιάφορον esse, quod philosophia, conmalaxarem me in eam partem: neque irato mihi habenas dedi unquam, neque cupiditas non imposuit frenos.
6. Quare, o Marce! pransum ac paratum esse te hoc minume oportet!
7. Delitae literae.

1. Ap. Non. p. 219, 16. v. Pali — genere neutro. — *tripalles* Codd. *tripales* Laurenb. et edd. praeter noviss. *quid tu? non v.* Turn. Adv. III, 20. *quid* omis. Laurenb. — De vineis tripalibus Varr. de R. R. I, 8., ubi cf. Schneid.

2. Ap. Non. p. 27, 3. v. Strabones sunt strabi quos nunc dicimus. — *intrarant* cj. Dousa in Succid. Append. ad Horat. Schol. Cruq. p. 655. — *enim quoddam* Laurenb. v. Strabo. *enim quiddam* Turn. Adv. X, 21., qui locum Horatii Carm. II, 2, 24. inter-

pretans, de locutione „strabonem fieri“ sic exponit: „Nam qui pecuniae est avidus et studiosus, ad ejus acervos subinde retorquere oculos, ac paene strabus efficitur. Nec sic ab ea avelli potest, quin oculos saepenumero reflectat, ut eam respiciat. Eum igitur dicit, qui pecuniae adspectu oculos non depravat, nec strabos reddit, quod magnae aviditatis est argumentum. Hinc et eos, qui alicujus nimia cupiditate tenebantur, strabones fieri dicebant — —“. Cf. Horat. Ep. I, 14, 36.: „Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam Limat.“. Lucil. Sat. l. XXVII, fr. 8. (p. 393. ed. Haverk.): „Nulli me invidere, neque strabonem fieri saepius deliciis me istorum“. Cf. Varr. Sat. *Man.* infra fr. 9. — Similis est Graecorum locutio *ἰλιγγιᾶν πρός τι*, et nostrum „schielen, blinken, liebäugeln nach etwas“. — *habet* — *ἑλκυστικὸν* i. e. habet pellicendi vim. Cf. Athen. Deipnos. V, p. 185 e.: „*Δοκεῖ γὰρ ἔχειν πρός φιλιάν τι ὁ οἶνος ἑλκυστικόν*“.

3. Ap. Non. p. 391, 29. v. Stare — — valere et constare et fixum esse. — *quanta stet* Codd. mendose. Inter tres locos, quos offert Nonius ad probandam illam verbi stare triplicem significationem, in hoc uno Varronis loco stare per valere explicari potest. Quare probanda omnino videtur esse emendatio Gulielmi Verisim. III, 18. *quanti — —, quot mis.*

4. Ap. Non. p. 28, 8. v. Compedes. — *corrigiis* Cod. Lugd. secunda manu, Ald., Laurenb., Popma.

5. Ap. Non. p. 82, 13. v. Conmalaxare est exercere ac maturefacere. — *Nec dolore* ed. noviss. ex suis Codd. *dolere* Merc. *dolorem* Jun., Laurenb. *conmalaxarem ea patrem* Codd. *me apathem* cj. Popma. *eam partem* cj. Jun. *conm. me in eam partem* mea conjectura est. *non* omis. Popma, Laurenb. — Conmalaxare (quocum compara nostrum „weich“ vel „mürbe kriegen“) hic est exercendo se praestare sc. *ἀδιάφορον* i. e. indifferentem. *quod philosophia* sc. postulat. Nisi fortasse scribendum est cum Mercero *Nec dolere,* ut conmalaxare sit persuadendo adducere, unde haec sententia evadat: Neque unquam mihi persuadere potui illud, quod philosophia statuit, dolere rem esse *ἀδιάφορον*. Verba sunt hominis simplicis, severiores philosophiae regulas aspernantis. — De verbo conmalaxare cf. Varr. L. L. VI, 96.

6. Ap. Non. p. 458, 33. v. Pransi non solum qui pranderent dicuntur, sed etiam quibus nihil desit. — *esset, hoc* Codd., sed bene Roth. cj. *esse te hoc,* quod recepimus. *esse hominem* cj. Lips. *esse hoc munere op.* cj. Popma. Inepte. — De proverbiali locutione „pransum ac paratum esse“ v. nos infra in adnot. ad inscr. Sat. *Pransus Paratus.*

7. Ap. Diomed. I, p. 372. ed. Putsch. — Vide nos supra in Commentat. Cap. III, p. 66.

XXXVII. ΓΕΡΟΝΤΟΔΙΔΑΣΚΑΛΟΣ.

Γεροντοδιδάσκαλος vocabulum similiter conformatum atque Ἀσωτοδιδάσκαλος, quem Alexis Comicus (Athen. VIII, 336.) fabulae titulum fecerat. Γεροντοδιδάσκαλος proverbialiter appellatur is, qui frustra laborem impendit in rem seram et intempestivam. Cf. supra p. 56. Multum fuisse hac Satura Varronem in veterum Romanorum moribus et institutis commemorandis iisque sui aevi studiis atque indoli comparantis, fragmenta testari videntur.

1. Putas eos non citius tricas Atellanas, quam id extricaturos.
2. Manius Curius, consul, Capitolio cum delectum haberet, nec citatus in tribu civis respondisset, vendidit tenebrionem.
3. Hoc est magnum censorem esse, ac non studere multos aerarios facere.
4. Noctu cultro coquinari se trajecit; nondum enim illi inventi erant cultelli, importati e Bithynia.
5. Quotiens priscus homo ac rusticus Romanus inter nundinum barbam radebat.
6. Villico quod habent satis sibi vix putant lautum.
7. Utrum oculi mihi caecutiunt, an ego vidi servos in armis contra dominos?
8. Rapta a nescio quo mulione raptoris ramices rumpit.
9. Sed simul manibus trahere lanam, nec non simul oculis observare ollam pultis ne aduratur.
10. Novus maritus tacitulus taxim uxoris solvebat cingulum.
11. Vehebatur cum uxore vehiculo semel aut bis anno, cum arceram, si non vellet, non sterneret.
12. Non vides apud Ennium esse scriptum:
„Ter sub armis malim vitam cernere,
Quam semel modo parere“ — ?
13. Confluit mulierum tota Roma; quae noctu fieri initia solita etiamnunc pinea fax indicat.

14. Ergo tum sacrae, religiosae castaeque fuerunt res omnes.

15. In quibus
Libyssa citrus fasciis cingit forem.

16. Vel decem
Menses, ubi una sepiant granaria.

17. Vineis
Ubi ampla cella torculum respondeat.

18. Ubi graves
Pascantur atque alantur pavonum greges.

1. Ap. Non. p. 8, 29. v. Tricae sunt impedimenta et implicationes. — *tr. Tellanas* Codd. *tr. Atellanas* Ald., Jun., Laurenb. — Munk. de Fabul. Atellan. p. 47.: „Nexus fabularum (sc. Atellanarum), ut jam supra monui, tum simplex erat et parum artis prodidit, tum vero nodus adeo extra omnem exspectationem et veri speciem solvebatur, ut tricae Atellanae merito in proverbium abirent. — — Dicebatur etiam ‚tricas Atellanas conduplicare‘, ut ex Arnobio (adv. Gent. V, p. 173. ed. Cant., p. 167. ed. Stewech.) discimus, si quis vel ineptissimas latebras et praetextus qualescunque cumulat, ut se rei molestae et injucundae subducat“.

2. Ap. Non. p. 19, 11. v. Nebulones et tenebriones. — Mulctabantur, qui in delectu, qui in Capitolio haberi solebat (Liv. XXVI, 31. Polyb. VI, 17.), citati ad nomina non respondebant, aut qui non sontica causa excusati erant (v. Gell XI, 1.). — De M'. Curio narratum exstat apud Valer. Max. VI, 3, 4.: „M'. Curius cos. cum subitum delectum edicere coactus esset et juniorum nemo respondisset, conjectis in sortem, Polliae, quae proxima exierat, primum nomen urna extractum citari jussit, neque eo respondente, bona adolescentis hastae subjecit. Quod ut illi nunciatum est, ad consulum tribunal cucurrit, collegiumque tribunorum appellavit. Tunc M'. Curius praefatus, non opus esse eo cive reipublicae, qui parere nesciret, et bona ejus et ipsum vendidit“.

3. Ap. Non. p. 190, 29. v. Aerarium.

4. Ap. Non. p. 195, 16. v. Culter et cultellus generis sunt masculini. — *Nond. enim mihi inv.* Codd. *enim inibi* cj. Lips. et Palmer. *enim ibi* cj. Popma; equidem *enim illi* scribere praetuli. *cult., empestati e Bith.* Codd. praeter Bernens., qui habet *cult. empestatiae Bith.:* pro quo Lips. cj. *cult. illi importati e Bith.,* Palmer. vero *ella tempestate.* — Cultelli illi e Bithynia importati quinam fuerint nescire me fateor. Videtur Varro jocum

captare in eo, quod hominem priscum et antiquum non cultello parvulo et elegante se trajicientem facit, sed cultro coquinari, magno videlicet et valido.

5. Ap. Non. p. 214, 29. v. Nundinae — Masculini. — Num forte haec res religiosa fuerit priscis Romanis? ut etiam ungues resecari nundinis tacenti atque a digito indice multorum pecuniae religiosum fuisse tradit Plin. XXVIII, 2.

6. Ap. Non. p. 337, 13. v. Lautum, abundans, competens. — *quod hanc satis si vix p.* Codd. *quod habeant* cj. Gerlach. — *qu. habent s., sibi vix p.* nostro nomine dedimus. Cf. supra *Eumenid.* fr. 34.

7. Ap. Non. p. 86, 11. v. Caecutiunt.

8. Ap. Non. p. 166, 15. v. Ramices dicuntur pulmones vel hernia. — *rapturis* Codd. *raptori r. rupit* cj. Lips. Epist. Quaest. IV, 24. *raptoris* Popma, Merc. — Cf. Catull. XI, 20.: „Omnium ilia rumpens". Propert. II, 13, 14. Auct. Priap. 82. fin.: „Neque hinnitare cesset, usque dum mihi Venus jocosa molle ruperit latus". Raptor est stuprator, ut saepius. Martial. XII, 52. Ovid. A. A. I, 680. Horat. Carm. IV, 6, 2. Serv. in Virg. Aen. IV, 198. Quint. Declam. 270. Senec. Controv. I, 5. et saepius.

9. Ap. Non. p. 543, 11. v. Aula vel olla. — Refer ad matronam in negotiis domesticis curandis strenuam.

10. Ap. Non. p. 47, 26. v. Cingulum. — *taciturus* Codd. Guelf. et Lugd., Ald., Jun. *tacitus* mg. Jun. Turn. XXIX, 17., Scal. ad Fest. v. Cingulum. — Taxim adverbium, quod fere idem valet atque sensim et quocum bene potest comparari nostrum „sachte" vel „ganz sachte", apud antiquiores saepe reperitur cum adjectivo tacitus conjunctum, ut infra in Sat. *Mod.* fr. 17. Pompon. Bonon. ap. Non. p. 178, 20.: „Clandestino tacitus taxim perspectavi per cavum". Simpliciter posuit Lucil. ap. Non. p. 169, 32.: „Simavit taxim ad nares, delphinus ut olim". In utroque Varronis loco *taxim* non solum sensim vel occulte (sic explic. Non. p. 169, 32.) significat, sed etiam facile, vel sine magna opera. — Novus maritus, cf. supra *Agath.* fr. 1.

11. Ap. Non. p. 55, 7. v. Arcera plaustrum est rusticum tectum undique quasi arca. — — Hoc autem vehiculi genere senes et aegroti vectari solent. — *vehiculo* omiss. in Ms. Ursin. *in anno* Ald., Popma, Merc., quod paene praetulerim; omittunt praepositionem Codd. Guelf. et Lugd., Jun., Laurenb., Palmer. *c. arcera* Codd. *arceram* nostra est conjectura. Verba *si non v. n. st.* Popma ex leg. XII. tab. (servat ap. Gell. XX, 1.) fluxisse hallucinatus, exulare fecit. Sed nihil omittendum erat. — De arcera cf. Gell. l. l., Varro de L. L. V, 140. Scheff. de R. Vehicul. I, 18.

12. Ap. Non. p. 261, 7. v. Cernere, amittere. — *Ennium*

omiss. in Codd. Mss. *parere* Codd. *parire* cj. Porson., Osann., Planck. ad Enn. Med. p. 86., quod non opus est. Verba Euripidis exstant in Med. v. 252.: ὡς τρὶς ἂν παρ' ἀσπίδα Στῆναι θέλοιμ' ἂν μᾶλλον ἢ τεκεῖν ἅπαξ. Ennii locum citat Varro etiam de L. L. VI, 81. Cf. Lucian. Dial. Mort. XXVIII. — *Cernere vitam* pro *de vita c.* graece constructum, ut alio Ennii fr. ap. Cic. de Off. I, 12, 38.: „Ferro, non auro, vitam cernamus utrique".

13. Ap. Non. p. 112, 22. v. Fax. — Ad quem locum v. Merceri adnot. *quae noctu nubere sol.* Turn. Adv. XXI, 29., qui locum interpretatur de sacris nuptialibus, in quibus taedas pineas adhibitas fuisse constat. V. quae affert Dempster. in Paralip. ad Rosin. Antiqu. Rom. V, 37, p. 299. sqq. — mulierum tota Roma h. e. quotquot sunt Romae mulieres. Cf. supra *Eumenid.* fr. 43.: „vulgus — non Furiarum, sed puerorum atque ancillarum".

14. Ap. Non. p. 267, 7. v. Castum — religiosum. — *sacra* ed. noviss. ex suis Codd., reliquae praebent *sacrae*. Gerlach. cj. *ergodum sacra religiosa;* sine justa causa.

15. Ap. Non. p. 86, 9. v. Citrus; et p. 541, 19. Fasciam pro cortice. — Libyssus, a, um, adjectivum a Graecis repetitum legitur etiam apud Catull. Carm. 7, 3.: „Libyssae arenae"; ap. Lucan. VIII, 666.: „terraeque in fine Libyssae"; et restituendum est etiam in Columell. X, 418., ubi vulgo in editionibus est „Libysca ficus". Cf. Fest-Paull. s. v. Libycus campus sqq.: „Libyssa Ceres". — *fores* praebent Codd. in priore, *forem* in altero loco.

16. Ap. Non. p. 47, 19. v. Granaria.

17. Ap. Non. p. 47, 23. v. Torculum. — *reponant* Ald., Jun., Laurenb., Popma.

18. Ap. Non. p. 314, 30. v. Grave, multum. Nam et graviter multum intelligitur; et p. 440, 13. v. Pascere et alere hoc distant, — ut sit alere sufficiendi generis curam habere, pascere natos cibo saginare. — Ad adjectivi gravis significatum cf. nostrum „schwer" in locutionibus tritis: „die schwere Menge", „schweres Geld" pro „grosse Menge", „vieles Geld".

XXXVIII. GLORIA, *ΠΕΡΙ ΦΘΟΝΟΥ.*

Corruptus exstat hic titulus in Nonii exemplaribus. Mercer. et ed. novissima in altero loco citatum praebent: Varro *Gloriam*, *περὶ Φθόνου*, in altero: Varro in *Glorio* (Merc. *Inglorio*), *peri oton*, (Merc. et Jun. *περὶ Φθόνου*). Ex *Gloria*, *περὶ Φθόνου* utrumque fragmentum laudat Laurenberg. *Κενοδοξία*, *περὶ Φθόνου* inscribit Popma, secutus Aldin. Nonii editionem, quae in loco p. 325, 16 (ed. Merc.) eam inscriptionem profert, quae nullis hucusque codicum mss. testimoniis firmata est. Varias conjecturas, quibus exsultarunt virorum doctorum ingenia in restauranda hujus Saturae inscriptione, hic percensere nihil opus est.

1. Vosque in theatro, qui voluptatem auribus,
Huc aucupatum concucurristis domo,
Adeste! et a me quae feram [mi] ignoscite,
Domum ut feratis e theatro litteras!

2. Tum denique, omnis cum lucerna conbusta est in lucubrando olivitasque consumpta est.

1. Ap. Non. p. 325, 16. v. Ignoscite, noscite vel discite. — *Adeste! et a me* Merc. *Ad. est a me* ed. noviss. *feram ignosc.* Codd. *Adeste! adeste quae feramque ign.* cj. Scal. *Adeste! adeste! a me quae feram agnoscite* cj. Scriver. Opusc. Philol. s. LXXXVIII, p. 41. *Adeste! adeste! quae feram a me ign.* Laurenb. *cognoscite* cj. Jun. *innoscite* Popma. *mi ignosc.* nostra conjectura est, quamquam paene in comperto nobis est a Varrone scriptum esse *mi gnoscite*. Verbum enim *ignoscere* pro simplici noscere vel discere apud neminem veterum scriptorum hucusque lectum est; *mi* dativus est ethicus.

2. Ap. Non. p. 148, 3. v. Olivitatem, fructus olei. — *Tum* om. Ald., Jun., Merc., Popma, Laurenb. *omnes* ed. noviss. — *olivitas* vocabulum Varroni haud insuetum. Varr. de R. R. I, 59, 60., ut oleitas Catoni dictum est de R. R. 68., ubi v. Schneideri adnot.

XXXIX. *ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ.*

Praeceptum antiquitati longe celebratissimum, quod olim in Delphici templi columna aureis literis inscriptum fuisse traditum est. Plin. VII, 32. Plut. de *EI* apud Delphos c. 2. Bekk. Anecdot. I, p. 233, 13.: „*Γνῶθι σαυτὸν, ἀπόφθεγμα, οἱ δὲ Χείλωνός φασιν, Ἕρμιππος δὲ Δελφὸν εὐνοῦχόν φησιν εἰρηκέναι τὸ γνῶθι σαυτὸν καὶ ἐν τῷ ναῷ ἐπιγράψαι.*“ Vulgo tribuitur hoc praeceptum Chiloni, Damageti filio, Lacedaemonio (cf. Suid. s. v. et quae ibi laudat Bernh., Plin. l. l.). Chamaeleon (Diog. Laert. I, 39. cf. Bekk. l. l.) tribuit Thaleti, et Antisthenes in Successionibus ait fuisse Phemonoes (cf. Suid., Cic. Tusc. Qu. I, 22.), idque sibi usurpasse Chilonem. Schol. Venet. ad Il. *Γ*, v. 53. docent non Chilonis, sed Homeri esse: „*οἷον φωτὸς ἔχεις θαλερὴν παράκοιτιν· οἷος ὢν, φησὶ, τίνα τίνος ἐστέρησας. οὐκ ἄρα Χίλωνος, ὡς ὑποφαίνεται, δόγμα τὸ γνῶθι σαυτὸν, ἀλλ' Ὁμήρου.*“ Etiam Soloni vel Thaleti fuerunt qui tribuerent, ut testatur Paroem. e Cod. Bodl. 266, p. 28 ed. Gaisf.: „*Γνῶθι σαυτόν· Ἐπὶ τῶν ὑπὲρ δύναμιν κομπαζόντων. Ἐστὶ δὲ ἀπόφθεγμα ἕνος τῶν ἕπτα σόφων, ἤτοι Σόλωνος ἢ Θάλου.*“ — *Nosce Te Ipsum* primarium erat praeceptum veteris philosophiae, et a tragicis Graecis multum usurpatum. V. Meinecke ad frr. Philem. et Menandr. p. 417. Stob. Florileg. *περὶ τοῦ Γνῶθι Σαυτόν.* tom. I, p. 319. sqq. ed. Tauchn. (tit. 20. p. 176 sqq. ed. Gesn.). Ad illustrandum hoc dictum multa alii congesserunt. V. Stallbaum. ad Plat. Phileb. p. 150., Alberti ad Hesych. s. v., Creuzer ad Procul. in Alcibiad.

p. 5. et inprimis Boissonad. Anecd. Gr. Vol. I, p. 127. Antonius Melissa peculiari libello περὶ τοῦ γνῶθι σαυτόν egit, et Persii Satura quarta hoc praecepto Chilonis nititur.

1. Nonne hominem scribunt esse grandibus superciliis, silonem quadratum, quod Silenus hirsutis superciliis fingeretur?

2. Non animadvertis cetarios, cum videre volunt in mari thunnos, escendere in malum alte, ut penitus per aquam perspiciant pisces?

3. Ut cremento corpora
Fierent majora, parvo ut suctu candido
Lactis.

4. Dein cérto alui fluctú, ut siccum
Parerét mansum, quo vénarum
Sanguíne rivos compléret.

5. Ut sidéra caeli
Divúm, circum terrám atque axem
Quae vólvuntur motu órbito.

6. Non subsilis ac plaudis? et ab Arato posces astricam coronam? Quid enim hoc mirius?

7. Candens corpore taurus trivio lumine Lunae.

8. Nihil sunt Musae politis vestrae, quas aerifice duxti.

9. Non videtis, unus ut
Parvulus Amor ardifeta lampade arida
Agat amantis aestuantis?

10. Et rex et misellus ille pauper amat habetque intus ignem acrem: hic effoetum mulieravit, hic ad moechada adulescentem cubiculum pudoris primus polluit.

11. Age! nunc contende alterum genus φιλοθέωρον ne quid ibi viderit melius!

12. Qui sint secundum naturam perfecti homines, ut non modo eos spectemus, sed etiam imitemur.

1. Ap. Non. p. 25, 21. v. Silones superciliis prominentibus dicti, significatione aperta. — *Nonne non unum scr.* Codd., quod conjectura emendavimus. *Nonne enim* vel *Nonne eum senem scr.*

cj. Tiber. Hemsterh. ad Lucian. Dial. Mort. XX, 4., qui Varronis verba ad Socratem refert, citans Schol. Arist. Nub. v. 223.: „ἐλέγετο δὲ ὁ Σωκράτης τὴν ὄψιν Σειληνῷ παρεμφαίνειν· σιμός τε γὰρ καὶ φαλακρὸς ἦν". Cf. infra Sat. *Sexag*. fr. 1.

2. Ap. Non. p. 49, 15. v. Cetarii genus est piscatorum, quod majores pisces capit. — *ascendere* Ald., Turn. Adv. XXIX, 17. — De cetariis cf. Papiam et Dufresn. in Gloss. s. v. Donat. ad Terent. Eunuch. II, 2, 26. Columell. VIII, 17, 12. De θυννοσκοπίᾳ Suid. s. v. Θυννοσκοπεῖν· „[Ἀριστοφάνης] (Equ. v. 313.) ἐπεὶ οἱ θυννοσκόποι ἐφ' ὕψους ἱστάμενοι τὴν κατασκοπὴν τῶν εἰσιόντων θύννων εἰς τὰ δίκτυα ποιοῦνται". Cf. Schol. ad Theocr. Id. III, 25. Strab. XVII, p. 834. — Refer Varronis verba ad praeceptum Saturae inscriptum.

3. Ap. Non. p. 169, 14. v. Suctu. — *crementa* — *candida* Codd. *cremento* — *candido* emendavit Herm. El. D. M. p. 388. Pro *parvo* scribendum fortasse *parva* sc. corpora.

4. Ap. Non. p. 140, 11. v. Mansum mandendum aut manducatum (sic enim leg. pro vulg. mansatum). — *D. certe alii* Codd. *ut si cum*. Codd. Emendavit locum Herm. Elem. D. M. p. 388. Sunt dimetri anapaestici.

5. Ap. Non. p. 148, 14. v. Orbitum dictum per orbem. — *modo* Popma. *orbito* Codd. *orbico* Laurenb., Popma, Gesn., Forcell., probante Osann. in Ephem. Lit. Hal. 1843. supplem. p. 693., qui, vocabulum corruptum esse statuens, nihil prorsus dicit, quum dicit Nonium aut nominativo aut eo casu efferre sua vocabula solere, quo sint a scriptoribus in locis, quos testimonio laudet, usurpata. Quod commentum tot confutatur exemplis, ut vel unum afferre hic jure supersedere possim. *Orbĭtus* adjectivum verbale est, formatum ut *avitus*, et *patritus*, et significat id, quod per orbem fit. — Sunt dimetri anapaestici. Herm. Elem. D. M. p. 388. — Cf. Arnob. adv. Gent. II, p. 85. ed. Cant.: „Potestis inducere atque expedire rationem, cur non fixus atque immobilis (sc. mundus) maneat, sed orbe toto semper circumferatur in motu, sua ipse sponte et voluntate circumagatur?".

6. Ap. Non. p. 135, 27. v. Mirius, magis mirum; et p. 374, 13. v. Poscere, petere. — Quo altero loco Codd. praebent *subsiliis* (*subsilies* est in mg. Jun. et conj. Merc. in priore edit.) *ac plaudes*. Popma dedit *subsilis ac plaudis, et a. A. posces*. Jun. contra et Laurenb. *subsilies ac plaudes* — *posces* praeferunt. Arati nomen hic usurpatum ut Aristotelis est supra in *Eumenid*. fr. 17.

7. Ap. Non. p. 267, 2. v. Caudet — candidum est. — Pro *trivio* scribendum fortasse *Triviae*, quae conjectura inde firmatur,

quod in Nonii Codd. vocabuli ejus litera initialis majusculo charactere exarata reperitur.

8. Ap. Non. p. 69, 29. v. Aerificium dictum quod fit ex aere; et p. 283, 31. v. Ducere, fabricare. — *policis* Codd. *Polyclis vestri qu. ae. duxit* cj. Lips. Var. Lect. II, 24. prob. Merc. *pollicis* Rutgers. Var. Lect. I, 2., Popma, Hermann., qui anapaesticum metrum verbis subesse putat El. D. M. p. 388. *politis* (sc. hominibus) nostro nomine exarari jussimus. — *aerifice* adverbium est ab adjectivo aerificus (cf. lanificus), quemadmodum regifice (Enn. ap. Cic. Tusc. Qu. III, 19, 44. Sil. Ital. XI, 273.) a regificus.

9. Ap. Non. p. 243, 23. v. Agere; et p. 312, 3. v. Fetum significat plenum. — *ardifeta* Codd. constanter utroque loco. *ardifera* emendarunt Barth., Popma, Forcell., Gesner., Freund., quos ipsum metrum confutat. *Ardifetus* compositum adjectivum est ab ardor et fetus, ut ardifer ab ardor et fero, et est nostrum „gluthschwanger". *arde foeta* Salmas. ad Solin. p. 267 (ed. 1629.).

10. Ap. Non. p. 140, 16. v. Mulieravit, ut effeminavit. — *hic effebitum* Cod. Guelf., mg. Jun., Merc. *efebitum* ed. 1842. *ephebum* cj. Laurenb., Cauchus., Lessing. *ephebatum* cj. Scal. *effoetum* cj. Jun., Lips., prob. Merc. *ad medeca* Cod. Guelf., Edd. praeter noviss., quae praebet *ad mecada.* — *ad paedica adolescenti* cj. Popma. *hic Ganymedaeo adolescenti* cj. Lips., prob. Merc. *ad moechada* cj. Scalig., Laurenb., quod unice verum est. — *ad* hic esse idem quod apud, nemo est quin videat. — *cubiculum pudoris* aut est cubiculum, quod homo pudicus inhabitat, aut, quod magis putem, dictum est pro pudore vel pudoris sede. Nam adolescentis corpus adhuc tanquam sedes pudoris est.

11. Ap. Non. p. 259, 9. v. Contendere significat comparare. *filothoreon* Codd. *φιλοθέωρον* exhibet mg. Jun.

12. Ap. Non. p. 402, 27. v. Spectare, probare. — *Qui sint* Codd. *Qui sunt* Popma. — Cf. Cic. pr. Arch. 6.

XL. HERCULES SOCRATICUS.

Adr. Turneb. Adv. XII, 16.: „Erat Varronis Satira," inquit, „nomine *Hercules Socraticus*, titulo peringenioso, ut omnium fere illius scriptoris Satirarum. Cum enim Socrates patientiam tolerantiamque praecipue coluisset, Cynicique ab eo oriundi eam cum aequanimitate aemularentur, et se domitores vitiorum Herculisque imitatores ferrent (V. Diogenis verba apud Lucian. in Vit. Auct. c. 8., Augustin. c. Academ. III, 8: „non enim magnum negotium erit, contra communem pestem velut Herculea quaedam postulare auxilia Cynicorum." Cf. quae adtulit Haverkamp. ad Tertull. Apologet. c. 14, p. 145.), inde, ut existimo, scite Socratici Herculis titulum excogitavit." Non improbabilis haec Turnebi conjectura est. Sed Hercules Socraticus poterat is quoque dici, qui in

Socratico genere disputandi cavillandique modo sese tanquam alterum Herculem exserit.

1. Qui, sutrinas facere inscius, nihil domo agis.

2. In omnibus rebus bonis cotidianus cubo in Sardianis tapetibus, chlamyda est purpurea amiculo.

1. Ap. Non. p. 168, 16. v. Sutrinas, a suendo. — *Quid s.* Cod. Guelf. et Merc. *domo* Codd. *homo* Popma, Forcell. — *Sutrinas facere* dictum uti mercaturas facere (Cic. in Verr. II, 5, 28, 72.) argentariam, topiariam, haruspicinam facere.

2. Ap. Non. p. 542, 15. v. Tapete, tegmen unite pictum de coloribus variis; et p. 539, 8. v. Chlamys. — *cottidianis* Codd. *quotidianus* cj. Jun., Popma. *Sardiniais* vel *Sardinianibus* Codd. *Sardianis* cj. Ruhnken. prob. Osann. Plato Com. ap. Athen. Deipnos. II, p. 48.: „*Κᾆτ' ἐν κλίναις ἐλεφαντόποσιν καὶ στρώμασι πορφυροβάπτοις-κἀν φοινικίσι Σαρδιανικαῖς κοσμησάμενοι κατάκεινται*“. Athen. VI, p. 255. et XII, p. 514. *Sardinianis* cj. Jun.; Merc., Popma, probante Bulenger. de Conviv. I, 35, p. 89. et retinuit etiam Freund. in lex. v. Sardinianus. Sed de Sardinianis tapetibus nunquam lectum est. — *clamidas et* ed. noviss. *chlamyda sed* habet ed. 1480., Ald., Jun., Merc., Cod. Guelf. *chlamyda est* ex nostra conjectura dedimus. *chlamyda* formatum ut cassida a cassis. Utitur hac vocabuli forma Appulej. Metam. X, p. 253, 31. et XI, p. 269, 11. *amicula* tenent Codd. et Edd., pro quo dativus singul. *amiculo* restituendus erat. *Res bonae* cf. Plaut. Trinum. II, 4, 45. Cic. ad Att. XII, 21, 4. Horat. Od. II, 3, 2. et Serm. II, 6, 110.

XLI. HERCULES TUAM FIDEM.

Invocationis „tuam fidem“ sc. postulo vel imploro, usus, quum rebus afflictis imploramus fidem et auxilium praesens alicujus Dei vel fortis viri. Hercules enim ipse ille Deus, qui a tutando Tutani et nomen habuit et numen, et erat prae ceteris θεὸς ἀλεξίκακος. — Recentiori tempore Varronem hoc titulo aemulatus est Nicol. Heinsius, cujus exstat liber inscriptus: „Hercules Tuam Fidem, sive Munsterus Hypobolimaeus, id est Satura Menippea de Vita, Origine et Moribus Gasparis Scioppii.“ L. B. 1608.

1. Noctu Hannibalis cum fugavi exercitum
Tutanus; hoc Tutanus Romae nuncupor,
Hac propter omnes, qui laborant, invocant.

2. Non Tutilinam, quam ego ipse invoco, quod meae
Aures abs te obsidentur.

3. Per maritimas oras vagat.

4. Procella frigida orta obruat celocem.

1. Ap. Non. p. 47, 32. v. Tutanus deus a tutando. — *Tut. hoc Tutanum R.* Codd. *Tutanu' R.* Scal., Turn. Adv. XXIX, 17. *exerc. tutatus* cj. Jun., prob. Scriver. — V. Müll. ad Fest. v. Rediculi fanum. Plin. X, 43. Dempster. Paralip. ad Rosin. Antiqu. Rom. I, 13, p. 16. Hartung. Relig. der Röm. I, p. 59., cf. eundem II, p. 257. — De syllabae *bal* in Hannibalis nomine mensura vide Valer. Prob. ap. Gell. IV, 7.

2. Ap. Non. p. 47, 28. v. Tutilina dea est, a tuendo dicta. — *Tut. inquam ego* cj. Scalig. — De Tutilina dea cf. Hartung. l. l. II, p. 131.

3. Ap. Non. p. 468, 5. v. Vagas pro vagaris. — *oras quae* Jun., Laurenb.

4. Ap. Non. p. 533, 7. v. Celox est navigium breve, dictum a celeritudine. — *arte obr.* Codd. *arce obr.* ed. 1480. *unte obr.* cj. Popma, Laurenb. *orta* ex nostra conjectura scripsimus.

XLII. IDEM ATTI QUOD TITI.

Proverbium Varroni etiam alias in Saturis usurpatum, scilicet in *Testamento*, περὶ Διαθηκῶν fr. 4: „Si quis mihi filius unus pluresve in decem mensibus gignuntur, ii si erunt ὄνοι λύρας, exheredes sunto; quod si quis undecimo κατ' Ἀριστοτέλη natus est, Attio idem quod Titio jus esto apud me.“ Quae verba laudans Gell. III, 16: „Per hoc,“ inquit, „vetus proverbium Varro significat, sicuti vulgo dici solitum erat de rebus nihil inter se distantibus Idem Atti Quod Titi, ita pari eodemque jure esse in decem mensibus natos et in undecim.“

1. Quid est? quid latras? quid rabis? quid vis tibi?

1. Ap. Non. p. 40, 2. v. Rabere dictum est a rabie. — *lateras* Mss. Merc., Cod. Guelf., Ald. *blateras* Jun., Laurenb., Popma. *latras* Turneb. Adv. XXIX, 17., Cod. Lugd. et ex eo ed. noviss.

XLIII. *ΙΠΠΟΚΥΩΝ.*

Hanc Saturam pertinuisse ad ordinis equestris condicionem et inscriptio et fragmenta verisimile faciunt. Ἱπποκύων Varroni, ut autumo, aut eques dictus, Cynicorum victum aemulatus, aut Cynicus, Romanum equitem repraesentare studens. — De tempore, quo scriptus sit liber, v. quae supra adnotavimus in Commentat. c. II, p. 46.

1. *Marcus autem Varro in Satura Menippea, quae* Ἱπποκύων *inscripta est, equites quosdam dicit pedarios appellatos: videturque eos significare, qui nondum a censoribus in senatum lecti senatores quidem non erant, sed,*

quia honoribus populi usi erant, in senatum veniebant et sententiae jus habebant.

2. Apollonium ideo excuriant, quia nihil habebat.

1. Gell. N. A. III, 18. ubi v. interpr.

2. Ap. Non. p. 36, 29. v. Excuriari, curia excludi. — Supra, in Comment. c. II, p. 46, ad hunc Appollonium retulimus Ciceronis verba ad Att. IV, 5.: „De Apollonio quod scribis, qui illi Dii irati! - homini Graeco, qui conturbare quidem putat sibi licere, quod equitibus Romanis:, nam Terentius suo jure".

XLIV. *ΚΟΣΜΟΤΟΡΥΝΗ, ΠΕΡΙ ΦΘΟΡΑΣ ΚΟΣΜΟΥ.*

Adr. Turneb. Adv. XVII, 21. de hoc libro haec profert: „Varronis erat Satira eleganti nomine *Cosmotoryne* π. *Φϑορᾶς Κόσμου.* Ut enim cochleari (sive potius tudicula), quod τορύνη Graece dicitur, omnia in olla commiscentur, sic eleganter mundi interitum mundi cochlear appellavit, ob perturbationem rerum in antiquum chaos tum rediturarum et in confusionem pristinam." Verisimile est, Varronem hoc libro perstrinxisse philosophorum placita de mundi exstinctione, inprimis Stoicorum, qui eum per ignem interiturum esse docuerant. V. Diog. Laert. VII, 142 sqq. Creuzer. ad Cicer. de N. D. II, 46. — Cf. supra Commentat. Cap. I, p. 29. adn. 18., C. IV, p. 75 sq. et ad Sat. *De Salute* fr.

1. Phrygio, qui pulvinar poterat pingere, soliar denegabat.
2. Singulos lectos ubi stratos habuimus, amisimus propter cariem et tiniam.
3. Mulieres, aliam cerneres cum stola ὁλοπορφύρῳ.
4. Propter cunam capulum positum nutrix tradit pollictori.
5. Toga tracta est et abolla data est; ad turbam ivi, sera militia munera belli ut praestarem.
6. Africa terribilis contra concurrere, civis
   Civi, atque Aeneae misceri sanguine sanguen.
7. Atque
   Aegeus fluctu quam lavit ante aquilo,
   Saevus ubi posuit Neptuni filius urbem.
8. Detís habenas animáe leni,
   Dum nós ventus flamíne sudo
   Suavém ad patriam perdúcit.

1. Ap. Non. p. 3, 24. v. [Frygio]. — *sol. devigebat* Merc. et ed. 1842. ex suis Codd. *depigebat* Ms. Nic. Fabri prob. Merc. *laevigabat* cj. Scal., Laurenb. *defingebat* cj. Turneb. Adv. XVII,

21. *denegabat* sc. se posse, nostra conjectura est. — *Phrygio* in Gloss. Steph. explicatur per „acupictor". Plin. XIII, 48. Salmas. ad Vopisc. Carin. c. 20. — *soliar* cf. Fest. s. v. p. 298. sq. ed. Müll., Turn. l. l.: „Ut toral dicitur quo torus tegitur, ita quo solium, soliar".

2. Ap. Non. p. 83, 10. v. Caries est vetustas.

3. Ap. Non. p. 537, 28. v. Stolam veteres non honestam vestem solum, sed etiam omnem quae corpus tegit.

4. Ap. Non. p. 157, 24. v. Pollictores sunt qui mortuos curant; et p. 5, 5. v. Capulum. — *cunam* singulari tenent Codd. constanter utroque loco. Prudent. Diptych. Nov. Fest. 28.: „Praesepe jacenti cuna erat". Id. alio loco ap. C. Barth. Adv. VIII, 12. — Gulielm. Verisim. I, 3. cj. *cunas*.

5. Ap. Non. p. 538, 16. v. Abolla, vestis militaris. — *tracta — — ad turbam, ubi s.* Codd. *detracta — — ad tubam mihi* (vel *ibi*), *fera militiai* cj. Palmer. *ad tubam* cj. etiam Petisc. provocans ad locum Varr. de L. L. VII, 37.: „Paluda a paludamentis. Haec insignia atque ornamenta militaria; ideo ad bellum quom exit imperator ac lictores mutarunt vestem et signa incinuerunt, paludatus dicitur proficisci". *militia in mun.* Codd. mendose. *in* omis. Popma, Laurenb. *ivi* nos conjecimus. — De abolla, quod pallium erat duplex, longum et fusum, quo extra urbem utebantur philosophi et milites, videsis Palmer. Spicileg. X, p. 783. Ferrar. de Re Vestiar. I, 2, 12.

6. Ap. Non. p. 224, 14. v. Sanguis — Neutro. — *Africa t. — — ibis, Atque Aenea misceri s. s.* Mercer. et ed. noviss. ex suis Codd. *Aeneae* Ald., Jun. *concurret Iberis, Ac gens Aeneae miscebit* cj. Lips. Epist. Quaest. IV, 24. *Afr. terra nigris contra concurret Iberis Atroque Aeneae misceri s. s.* Laurenb. Haud male. Nos dedimus locum ex emendatione Nic. Fabri.'

7. Ap. Non. p. 503, 30. v. Lavit pro lavat. — *Egeus fluctus qu.* ed. noviss. *fluctu* Merc., Popma. *fluctu quem* Laurenb., qui voc. *aquilo* habet pro ablativo adjectivi aquilus, a, um. Item Popma. Legendum fortasse *Aegeo fluctu. quam* intell. oram. — *Saevus* adjectivum Merc. et Laurenb. cum Popma referunt ad Neptuni filium, qui quis sit, nescire me fateor. Popma interpretatur de Busiride (Apollod. II, 4, 11.), quem Diodorus I, 45. tradit in Aegypto Diospolin sive Thebas condidisse.

8. Ap. Non. p. 234, 6. v. Anima, ventus. — *nos ventus* Codd. *ventus nos* Laurenb., Gulielm. I, 3. *ventus vos* cj. Herm. Elem. D. M. p. 388. *perducat* Scalig. Catal. p. 33. ad Virg. Culic. — Sunt dimetri anapaestici.

XLV. ΚΥΝΙΣΤΩΡ.

Saturae titulus apud Popmam *Synistor* legitur. Sed Philargyrii novissima editio, a Lione instituta, rectius praebet *Cynistor*, additis scripturae discrepantiis *Cyniflore* et *cynistro re* (ablat.).

1. Eclipsis quando fit, cur luna laboret: et, si hoc ridicule credunt, dicant, quid laborent.

1. Ap. Jun. Philargyr. ad Virgil. Georg. II, v. 477. tom. II, p. 332. ed. Lion.

XLVI. ΚΥΝΟΡΗΤΩΡ.

Memorat hunc librum Diomedes I, p. 364, 33. ed. Putsch.: „— amico amicui, ut Brutus laudatione Appii Claudii: „Qui te toga praetexta amicuit". Sed Varro in *Cynorhetore:*

1. Celerius mater amixit.

XLVII. ΚΥΝΟΔΙΔΑΣΚΑΛΙΚΟΝ.

Atilius Fortunatianus I, 4, 15. p. 319. ed. Gaisf. (p. 2676. ed. Putsch.) disputans de hendecasyllabo: „Quinta", inquit, „divisio est hendecasyllabi, hoc exemplo:

Castae Pierides novem sorores.

Nam secundum primum spondeum insertus huic hendecasyllabo anapaestus ionicum Sotadeum facit; sic:

Castae dociles Pierides novem sorores.

Ex quo non est mirandum, quod Varro in *Cynodidascalico* Phalaecion metrum ionicum trimetrum appellat, quidam ionicum minorem". — Cf. Terent. Maur. p. 2446. ed. Putsch., cujus verba supra p. 12 adscripsimus, ubi nescio quo infelici casu factum est, ut Marii Victorini nomen pro Terentiani Mauri in chartas irrepserit. — Ceterum *Κυνοδιδασκαλικὸν*, Varroniani libri titulum, quem omnes Codd. tuentur, quid unquam movere potuerit Lachmannum (praefat. ad Terent. Maur. p. XV) ut in *Scenodidascalicon* mutandum esse statueret, equidem non facile assequor.

XLVIII. LEX MAENIA.

Mirum quantum exagitavit virorum doctorum ingenia haec inscriptio. Nam quum in tota Romana antiquitate non memoretur ulla lex Maenia, quae, ut hic indicat Saturae Varronianae fr. 6, cavisset „ne filii patribus luci claro sugillent oculos", quumque non verisimile videretur talem unquam latam fuisse, omnis quaestio statim ad incitas redacta erat. At lex Maenia, de qua Varronis Satura nomen mutuata est, non est alia, quam ipsa illa a U. 467. a Maenio, tribuno plebis, (Cicer. Brut. XIV, 55.) de patrum auctoritate lata, de qua v. Walther. Gesch. des Röm. Rechts., Göttling. Röm. Staatsverfass. p. 368 sqq., inprimis vero G. Ad. Aug. Guil. Haeckermann in dissert. inaugur. de Legislat. Decemvirali (Gryph. 1843) p. 137 sqq. Neque sane hac felicior ulla poterat excogitari a Varrone suo libro inscriptio, in quo videlicet de patria potestate, qua filii

coercendi sint, disserendum susceperat. Fingit igitur Varro legem Maeniam non ad senatus auctoritatem ante inita suffragia dandam referendam esse, sed interpretandam potius de patrum naturalium auctoritate et potestate in filios.

1. Nos admirantes, quod sereno lumine
Tonuisset, oculis caeli rimari plagas.

2. Exercebam ambulando, ut siti capacior ad coenam veniret guttur.

3. Signata [natis] sacra esse desierunt, posteaquam homines sunt facti.

4. Non hos Pactolus aureas undas agens
Eripiet unquam e miseriis:

5. Ad biviram venio, cum vellem ostendere, quid
Vellem, Metamelos, Inconstantiae filius
Me reprehendit.

6. Contra lex Maenia est in pietate, ne filii patribus luci clare suggillent oculos.

7. Si qui patriam, majorem parentem, extinguit, in eo est culpa: quod facit pro sua parte is, qui se eunuchat, aut alibi liberos producit.

8. Nemo est tam neglegens, quin summa diligentia eligat asinum, qui suam saliat equilam.

9. Neque in bona segete nullum est spicum nequam, neque in mala non aliquod bonum.

1. Ap. Non. p. 369, 10. v. Plagae, — — spatium immensum; et p. 382, 10. v. Rimari dicitur scrutari, quaerere. — Cf. Cic. de Divin. II, 13.

2. Ap. Non. p. 207, 21. v. Guttur — Masculino. — Post *exercebam* fortasse *me* inserendum; sed potest etiam referre ad *guttur*. *exercebar* cj. vir quidam doct. in vet. exempl. ap. Gerl. et Roth. *ut siti* Codd. *ut cibi* Popma.

3. Ap. Non. p. 397, 33. v. Sacrum etiam scelestum et detestabile, ita et consecratum. — *Signati sacra* Codd. Scribendum fortasse *Signata natis s. e. des.* Cf. supra ad Sat. *Agath.* fr. 5. — *Signa tum s.* cj. Lips. Ant. Lect. I, 18., Laurenb. *Signata* ed. 1583., Fruter. in Gruter. Lamp. II, p. 841., Popma. *h. facti sunt sacri* cj. Fruter., Laurenb. — Sententia fortasse haec est: res sacrae et detestabiles desierunt res esse signatae h. e.

intactae filiis, posteaquam hi homines sunt facti h. e. tanto laborat nostra juventus vitio et morum corruptela, ut paene jure possit dici vel ipsis natalitiis jam omnem modestiae speciem exuisse. Sed haec conjectura est.

4. Ap. Non. p. 243, 20. v. Agere, — Actum, appulsum. — Est, ut puto, in filios luxuriosos et nimio aere alieno pressos.

5. Ap. Non. p. 79, 21. v. Biviras, quas usus viduas appellat. — Freund. in lex. explicat biviram „die Frau eines zweiten Mannes". Equidem voce bivira rectius significari puto mulierem, quae bis nupsit et bis vidua facta est. Oppositum est univira, quod frequens in antiquis marmoribus. V. Reines. Syntagm. Inscr. XIV, inscr. 73. ibique adnot.

6. Ap. Non. p. 171, 11. v. Suggillare, obcludere. — *sigillent* Turneb., Stephan., Popma. — Verbum sugillare hic ancipite sensu positum a Varrone puto esse, quo aliquam festivitatem captaret. Significat proprie excutere, πλήσσειν, ut explicant Gloss. Steph.; sed est simul cum comica quadam licentia admissum pro sigillare i. e. occludere, operire, σφραγίζειν. Ita lex Maenia, quum de sacro illo veterum ritu, quo mortuorum oculos claudere solebant, (Plin. XI, 37. Albinov. ad Liv. v. 157. Ovid. Trist. IV, 3. 43. Heroid. X, 119. — Homer. Od. XXIV, 293. Il. XI, 452.), sancire videtur, simul filiorum impietatem acerbe castigat. Cf. infra *Sexag.* fr. 14.: „Nunc quis patrem decem annorum natus non modo aufert, sed tollit, nisi veneno?" — *luci claro* et palam vel publice significare potest (ut supra *Bimarc.* fr. 9.), et ad oculos referri, ut sententia sit „ne filii patribus v i v i s oculos operiant, tanquam mortuis, h. e. ne filii patrum mortem occupent.

7. Ap. Non. p. 106, 6. v. Eunuchare. — *Si qui* Codd. *Si quis* Laurenb. *maj. par.* cf. Varr. ap. Non. p. 426, 9. v. Antiquus: „Sic quoniam plura beneficia continet patria et est antiquior parens, major ei profecto, quam parenti, debetur gratia". — *aliqua lib.* ed. noviss. *aliqui* Cod. Guelf. et Mercer. *aut alicui* ante Ald. *haud aliqua* cj. Popma; inepte. *aut aliqua parte lib.* Laurenb. *aut alibi* sc. quam in patria, ex conjectura restituimus: nisi fortasse potius legendum est *aut ἄλις qui lib. pr.*

8. Ap. Non. p. 106, 10. v. Equilam. — *neglegens* Codd. *equilam* Codd. *equulam* Freund. in lex.

9. Ap. Non. p. 235, 29. v. Spicae — [Neutri]. — *bonam segetem* Codd. *bona segete* Ald., Jun., Popma, Laurenb. *aliquid* Merc.

XLIX. ΛΟΓΟΜΑΧΙΑ.

Liber pertinebat fortasse ad philosophorum contentiosas magis quam frugiferas disputationes, ad quas *Armorum* quoque *Judicium* pertinuisse supra verisimile visum erat.

1. Haec lanigeras detonderi docuit tunicareque homullum.

1. Ap. Non. p. 182, 16. v. Tunicare pro vestire. — *detonderi* Codd. recte; est enim mediali sensu accipiendum. *detondere* vulg. Popma, Laurenb. *Hiclec lanig.* sed corr., ut sit *Hillaec* Cod. Lugd. *Illaec* Ald. *homulum* ante 1526., mg. Jun., Popma, Laurenb. Popma intelligit fragmentum de Minerva.

L. LONGE FUGIT QUI SUOS FUGIT.

Diximus de hujus Saturae consilio supra in Comment. Cap. IV, p. 76.

1. Sed uti serat haec legumina, arte parva paranda: cicer, ervillam, asparagos, alia, asperiora ceteris.
2. Solus rex, solus rhetor, solus formosus, fortis, aequus vel ad aedilicium modium, purus, putus: — si ad hunc charactera Cleophantus conveniet, cave, attigeris hominem.

1. Ap. Non. p. 204, 23. v. Ervum — — Feminini. — *Sed victus erat* Popma. *Sed ut is erat* Merc. *a. parva pauca* Codd. *parva parata* cj. Jun., Popma. *ervillam* Codd. *erviliam* cj. Jun., prob. Schneid. ad Varr. R. R. I, 32. *erv. ac paregia alia spiria ceteris* Codd. *erv. cepa regia* cj. Jun., Palm., Popma. *allia Cypria* cj. Jun., Popma. — Conjectura locum sanavimus. *al. asperiora ceteris.* Cf. Plin. XIX, 6.: „Allium asperi saporis“.

2. Ap. Non. p. 271, 10. v. Convenire, similem esse. — *fortis secus* Ald., Jun., ed. noviss. ex suis Codd. *aequus* Merc. *vel ad aedilicium modius* Codd. *aed. modium* Gifan., Turneb. Adv. XXIX, 20., Merc., prob. Gerlach., qui explicat recte per: „cujus de aequitate nil detrahi potest“. *Cleopantus* ed. noviss. *Cleophantus* Merc., Laurenb. χαρακτῆρα Κλεάνθους cj. Voss. Arist. p. 589. — Cf. Horat. Serm. I, 3., ad quem Porphyr. Lucilii haec citat: „— nondum etiam haec omnia habebit. Formosus, dives, liber, rex solu' vocetur“. Lucian. Vit. Auct. 20.

LI. MAGNUM TALENTUM.

***Magnum Talentum*, quod magna pecuniae summa erat, Popmae videtur forma quadam proverbii dictam esse de re maxime pretii (cf.**

Terent. Phorm. IV, 3, 39.). Quod utrum verum sit, an minus, aliis judicandum relinquo. — De magno talento v. C. Gracchum ap. Gell. XI, 10. Priscian. de Ponderibus, p. 1349. ed. Putsch.: „Italica autem mina drachmas habet, ut supra dictum est, nonaginta sex, quod est libra duodecim unciarum, id est denarii septuaginta duo. Hac igitur computatione octoginta tres librae Romanae et quattuor unciae, quod est magnum talentum, centum minas Atticas faciunt.“

1. Detotonderat forcipibus viticarpiferis.

1. Ap. Priscian. IX, 9. p. 462. Kr. (p. 868. ed. Putsch.). — *vitariferis* Mss. Erlang. 1. et 2. et Zwicc. *vitamferis* Ms. Halberst. *vi turiferis* Ms. Heidelb. *vitari feris* Edd. Ven. 1. et 2. *viticapiferis* Popma, cujus rationem non intelligo, hallucinantis „dictionem compositam esse ex tribus partibus, quasi vitia capere ferae“. — Viticarpiferas forcipes perperam interpretantur in lex. Forcell. et Freund., tanquam sint forcipes aptae ad vites carpendas seu putandas. Sed viticarpifer adjectivum comice fictum a Varrone est et origine hybrida a vitis, καρπὸς et fero. Vites enim, nisi putantur, non sunt frugiferae, ut paene in vulgus notum est. Hinc, opinor, appellantur forcipes *viticarpiferae*, quia fecundam quasi et fertilem reddunt vitem.

LII. MANIUS.

„Hac Satyra exagitat beatulos istos, qui, neglecto Deorum cultu, se ipsos mactabant divinis honoribus et quae Diis propria, templa, pulvinaria, lectisternia, epula, his etiam ampliora magnificentioraque sibi faciebant. Inducit autem Manium, hominem religiosum, referentem ad populum de sacris quibusdam legibus aut scriptis, erutis e terra, quibus probat, Rempublicam duobus rebus contineri, Lege et Religione.“ — Haec Popma. Qui quibus fontibus usus sit, nos quidem ignoramus, sed talia plerumque sunt ejus commenta, ut non semper aequo animo legi possint. — Mihi verisimile est, hac Satura Varronem invectum contra luxuriam et sumptuosum victum, in quem illa aetas delapsa erat, hoc potissimum egisse, ut laborem et modestiam commendaret, in quibus scilicet virtutibus posita sit optima vivendi ratio. Hinc fortasse inscriptio quoque explicanda. Nam *Manius* nomen a mane derivatum a Varrone L. L. IX, 60., commode usurpari poterat de homine, qui mane surgit et mature se ad laborem accingit.

1. Automedo meus, quod apud Plotium rhetorem bubulcitarat, herili dolori non defuit.

2. Funere familiari conmoto, avito et patrito more precabamur.

3. Haec adventoribus accedunt: sellae, claves, claustra, carnaria, dolia.

4. Harum aedium symmetria confutabat architectones.
5. Ager derelinqueretur ac periret squale scabreque, inluvie et vastitudine.
6. Hunc Ceres, cibi ministra, frugibus suis porcet.
7. Hic ut quadrato latere stipatae strues!
8. Quod dum administrant, in scrobe fodiendo inveniunt arcam.
9. Habens antepositam alimoniam, sedens altus alieno sumptu, neque post respiciens, neque ante prospiciens, sed limus intra limiter culinae.
10. Dulcem aquam bibat, salubrem, et flebile esitet cepe!
11. Nec sumptibus finem legibus statues, finemque modumque luxui!
12. Tam eum, ad quem veniunt in hospitium, lac humanum fellasse.
13. Alterum bene acceptum dormire super amphitapa bene molli.
14. Stertit juventus, quam labos mollem facit.
15. Lecto strato, matellam, lucernam, ceteras res hujus quisque prae se portant.
16. Manius mane suscitat, rostrum sub rostra adfert, populum in forum conducit.
17. Lex neque innocenti propter simultatem obstringillat, neque nocenti propter amicitiam ignoscit.
18. Tum ad me fuerunt, quod libellionem esse sciebant.
19. Quocirca oportet bonum civem legibus
Parere et deos colere, in patellam dare μικρὸν
Κρέας.
20. Non maledicere, pedem in focum non imponere, sacrificare.
21. Et cum corrigia disrupta tonat aridum, reliquum pedem penula scortea pertegere.
22. Nec natus est, nec morietur: viget, veget, ut pote plurimum.

1. Ap. Non. p. 79, 28. v. Bubulcitare. — *Varro Maenio: Autumedo meus* ed. noviss. ex suis Codd. *V. Maeonio umedo m.* Merc. et Cod. Guelf. *V. Manio:* cj. Jun. Recte. *V. Maeonio Autumedon* Turn. XVII, 23., tanquam *Maeonius Autumedon* Saturae alicujus titulus sit. *Vinicius meus* Popma. *Vicinus meus* Laur. *Unicius m.* — *bubulcitaret* Freund. in lex., nescio unde. *bubulcitare alterili* Codd. *bubulcitaret alteri in dolore* Jun., Laurenb., Popma. *bubulcitaret erili* cj. Roth. Recte. Bubulcitare h. l. est bubulcorum more clamare et declamare. Plotius rhetor est L. Plotius Gallus, qui primus Latine docere Romae coepit. — V. Sueton. de Clar. Rhet. C. 2. ibique Casaub. Schol. Bob. ad Cicer. pr. Arch. p. 357. ed. Or.

2. Ap. Non. p. 161, 5. v. Patritum, ut avitum.

3. Ap. Non. p. 545, 12. v. Dolia. — *adventoribus* Codd. *Haec adeo emptoribus a.* cj. Jun. *aedium emptoribus* cj. Popma. *cellae* Codd., pro quo recepimus Gesneri conjecturam. *carnaria* ad dolia refert Schneid. ad Cat. de R. R. 13., sine causa. Carnarium explicant vet. Gloss. recte per „κρεμάστρα". Cf. Gesn. in Ind. Scriptt. R. R.

4. Ap. Non. p. 87, 11. v. Confutare est confundere vel committere. — *summeatria* Codd. *summetriam* cj. Merc. *summetria* cj. Roth. *confutabant* edd. praeter noviss., quae praebet *confutabat.* — Confutare hic est pro turbare, sive *symmetriam confutabant* sive *symmetria confutabat* legis.

5. Ap. Non. p. 226, 4. v. Squalor — feminini; p. 185, 16. v. Vastescant significat inhorrescant vel deserantur; p. 168, 19. v. Scabre; et p. 125, 32. — Cf. Pacuv. apud Fest. v. Vastum p. 372. ibique Müll.

6. Ap. Non. p. 160, 7. v. Porcet significat prohibet. — *Hunc Ceris tibi* ed. noviss. *H. Cereris tibi* Merc. *H. Ceres cibi m.* cj. Popma, quod recipiendum erat. — Ceres, cibi ministra, est Δημήτηρ καρποδότις sive καρποδότης, καρποφόρος, βιόδωρος, ὀνησίδωρος, ut passim appellatur.

7. Ap. Non. p. 131, 16. v. Later.

8. Ap. Non p. 225, 10. v. Scrobes — Masculino.

9. Ap. Non. p 183, 30. v. Limum, obtortum; p 237, 14. v. Altum ab alendo dictum; et p. 442, 32. v. Prospicere et respicere. — Cf. supra *Flaxtab.* fr. 2. — Notatur parasita in epulis sedulo occupatus.

10. Ap. Non. p. 201, 17. v. Cepe. — *flebile sit c.* ed. noviss. *esit c.* Merc. *esitet c.* cj. Jun. — Flebile cepe dicitur, quia flere facit et lacrimas excitat. Ita Lucil. ap. Non. l. l. (V, 16 p. 303. ed. Haverk.): „Flebile cepe simul lacrimosaeque ordine tallae". Enn. ap. Macrob. Sat. VI, 5.: „Neque triste quaeritat sinapi, ne-

que cepe maestum". Horat. Serm. I, 5, 80.: „Lacrimosum fumum". Plin. XIX, 6.: „Cepis omnibus odor lacrimosus". Plura invenies in Cuper. Observ. III, 12.

11. Ap. Non. p. 211, 12. v. Luxuria — Masculini. — *modumque*. Codd. *luxuique nec sumpt.* cj Popma *modumque luxui* debemus ingeniosissimae Rothii conjecturae. Post Varrônis enim locum in Nonio sequitur novum lemma, quod incipit vocabulo Lusus, cujus similitudo cum antecedente *luxui* causa fuit, quod hoc paullatim e libris evanesceret.

12. Ap. Non. p. 113, 12. v. Fellare, exsugere, lambere (nisi potius legendum est: exs. mammam). — *Tam eum* Codd. *Tum eum* Laurenb., Popma. *et hosp.* Codd. *in hosp.* Jun., Laurenb., Popma.

13. Ap. Non. p. 540, 28. v. Amphitapae vestes dicuntur utrimque habentes villos. — *bene acceptus* sc. vino, ut ego conjicio. Arnob. adv. Gent. VII, p. 229. ed. Cant.: „frequentissimo irrigant accipiuntque se vino". Bene acceptus igitur dici potest qui bene potus et ebrius est.

14. Ap. Non. p. 487, 12. v. Labor et labos. — *Sternit — quam* Merc. et ed. noviss. ex suis Codd. *sternitur — quem* Jun, Laurenb. *fecit* Popma, Laurenb. Legendum puto: *Se sternit juvencus, quem* vel *Stertit juventus, quam,* quod exhibuimus. — Sed etiam vulgata quodammodo retineri potest, si ad *sternit* finitum objectum aliquod suppleas, fortasse *juvencam.*

15. Ap. Non. p. 540, 20. v. Matella, aquarium vas. — *hujus ubique* Ald, Jun., Merc., Popma. *hujus vique* ed. noviss. ex suis Codd., unde *quisque* reponendum erat. *hujusmodi prae* cj. Dousa ad Lucil. fr. p. 295. ed. Haverk. *hujus* intell. haud dubie *generis,* quod fortasse omissum est a librariis.

16. Ap Non. p. 274, 18. v. Conducere, — colligere, convocare. — *rostrum sum r.* Codd. *rostrum sub r.* Turn. Adv. XXIX, 20. *susc. nos tum in r. adf.* Ald., Popma. — Rostrum de homine saepius in Saturis dixit Varro. V. infra *Περίπλ.* II, *περὶ Φιλοσοφ.* fr. 3., *Serran. π. Ἀρχαιρεσ.* fr. 9.

17. Ap. Non. p. 147, 12. v. Obstringillare, obstare.

18. Ap. Non. p. 133, 28. v. Libellionem, ut tabellarium. — *ad me fuerunt* Codd. Cf. supra *Γνῶθι Σεαυτ.* fr. 10. — *ad me ferunt* Popma. *ad me iverunt* cj. vir quidam doctus in vet. quodam Nonii exempl. ap. Gerl. et Roth. Nos malimus *ad me fugerunt.*

19. Ap. Non. p. 543, 33. v. Patella. — *in patellam* sc. Laribus sacram, ut recte interpretantur Turn. Adv. VI, 7. et Dacer. ad Fest. v. Patella. Cf. Pers. Sat. III, 26. ibique schol. vet. Ab hac patella Lares sunt „Dii Patellarii" dicti. V. Plaut. Cist. II,

1, 46. Taubm. in Plaut. Curç. I, 2, 31. Turn. l. l. Cael. Rhodig. Lect. Ant. II, 3.

20. Ap. Non. p. 480, 4. v. Sacrificantur pro sacrificant. — Focum Laribus sacrum fuisse, nemo est, qui nesciat.

21. Ap. Non. p. 448, 27. v. Penulam abusive, omne quidquid tegit, nobilissimi veteres transtulerunt. — *disruptas tonat haridum* Codd. *corrigias* Jun., Popma, Laurenb. *tonet* ed. 1480., prob. Gerl. *tenet* Ald., Jun., Popma, Laurenb. *aridum* ante Merc., etiam in Cod. Guelf. *h* modo suprascript. — Aridum tonare vel tonere quid sit, interpretes tibi erunt Lucret. VI, 119. et Virg. Georg. I, 357.; ubi cf. Serv. adn. — De penula recte Turn. Adv. XXVIII, 12. „Penula", inquit, etiam apud Varronem eam partem calcei significat, quae pedem involucro suo obtegit".

22. Ap. Non. p. 183, 5. v. Veget pro vegetat vel erigit vel vegetum est. — *ut pote* h. e. quam potest. *et pote* cj. Lips. Ep. Quaest. IV, 24. Verba videntur dicta esse de mundo. Cf. supra ad fr. Sat. *De Salute.*

LIII. MARCIPOR.

„Hac Satira contendit inanes cupiditates et vana studia vulgi cum oblectamentis puerorum, et elegantes istos homines, quos vestis, suppellex, gemmae ceteraque generis ejusdem nimio opere delectant, magis pueros esse docet, quam eos, qui ob imbecillitatem aetatis hoc nomine censentur". Popma. Quae conjectura per se quidem non improbabilis est, quamquam certis indiciis caret. *Marci* nominis in vocabulo *Marcipore* eadem ratio esse videtur, quam explanavimus supra ad inscr. Sat. *Bimarci.*

1. Spatule eviravit omnes venerivaga pueros.
2. Dein immittit virile veretrum in frumen: offendit buccam Volumnio.
3. Delumbe, bipennis ut levis passerculus.
4. Eodem conjecisse mera miracula nescio qua.
5. Ut eat ac rempublicam ministret, quod pulli jentent.
6. Qui quid evidenter circumstant non item credo videre: hiantis video, videntis non video.
7. Utri magis sunt pueri? hi pusilli nigri, qui spectant nundinas, ut magister dimittat lusum.
8. Et Diogenes, ὁ κυνικὸς, qui ab Alexandro rege jussus optare, quid vellet, se facturum.

9. Altera exorat patrem libram ocellatorum, altera virum semodium margaritarum.
10. Pelian Mediae permisisse, ut se vel vivum degluberet, dummodo redderet puellum.
11. Haec in aëno bis terve tudiculasse.
12. Dixe, regi Medeam advectam per aëra in rheda anguibus.
13. Propontis undâ quam liquenti, caerula,
Natantem perfundit, cape!
14. Hic in ambivio navem conscendimus palustrem, quam nautici equisones per viam conducerent loro.
15. Repente noctis circiter meridie,
Cum pictus aer fervidis late ignibus
Caeli chorean astricen ostenderet.
16. Nubes aquali, frigido velo leves
Caeli cavernas aureas subduxerant,
Aquam vomentes inferam mortalibus.
17. Ventique frigido se ab axe eruperant,
Phrenetici Septemtrionum filii,
Secum ferentes tegulas, ramos, syrus.
18. At nos caduci, naufragi, ut ciconiae,
Quarum bipinnis fulminis plumas vapor
Perussit, alte maesti in terram cecidimus
19. Astrologi non sunt qui conscribillarunt figmentis caelum.

1. Ap. Non. p. 46, 12. v. Evirari dicitur virilitatem amittere et effeminari. — *Spatula* Merc. *Spatulae* ed. 1583., Ald., Jun., Laurenb. *Spatale* cj. Jun., Turneb., XXIX, 17, Popma. *Spatule* ed. 1842. ex Codd. Guelf. et Lugd. Recte. Nam ex σπατάλη latine fit spatule, ut ex σκυτάλη, scutula. — Cf. Martial. Epigr. II, 52.: „Novit loturas Dasius numerare: poposcit Mammosam Spatalen, pro tribus illa dedit".

2. Ap. Non. p. 358, 26. v. Offendere est percutere. — *Deim mittit* Merc. et ed. noviss. *Dein mittit* cj. Gulielm., Jun., Popma, et habent Codd. Bern. I, Guelf., Lugd. *Deinde mittit* Scal, Laurenb. *Dein immittit* nostro nomine scripsimus. *evirile* Pop-

ma. *ut flumen* ed. noviss. *in flumen* Merc. *in frumen* cj. Scal., Gulielm. Veris. III, 15., Laurenb. *bolumnio* Merc. *Bolumnio* ed. noviss. *Volumnio* Scal., Laurenb., Popma. *Volumni* mg. Jun.

3. Ap. Non. p. 79, 14. v. Bipennis manifestum est id dici, quod ex utraque parte sit acutum. Nam nonnullis gubernaculorum partes tenuiores ad hanc similitudinem pinnas vocant eleganter. — *De lunae* ed. 1842. *Delune* Merc. *Delumbe pennis* cj. Scalig. *Delimat* cj. Jun., Palm. *Delumbe, bipenn.* est nostra emendatio. Meminerint lectores passerculi salacitatem insatiabilem in proverbium abiisse.

4. Ap. Non. p. 344, 14. v. Merum — sincerum.

5. Ap. Non. p. 126, 13. v. Jentare.

6. Ap. Non. p. 318, 33. v. Hiare est mirari, stupere. — Merc. et ed. 1842. hunc locum ita exhibent: „*Quicquid e. c. non rident credo ridere hiantis videor hiantis non audeo*". Corruptissime, ut facile cognoscis. *circumstant nos — — hiantes video, ridentes non audio* cj. Faber, prob. Merc. *non vident credo ridere hiantes: video hiantes, non audio* cj. Popma *quiqui* (ita et Roth.) *evidenter circ. nos, evidenter rident — — credo ridere hiantes — — hiantes video, non audio* cj. Gerl., ut nempe sint a diversis personis haec dicta. Sed haec conjectura minime placet. Vocabula *rident — ridere* corrupta sunt. Quid enim ridere et hiare inter se commune habent? — De nostra loci emendatione docti judicent.

7. Ap. Non. p. 133, 17. v. Lusus vel lusio, qui ab omnibus ludus dicitur; et p. 214, 24. v. Nundinae. — Locutionem lusum dimittere aliter explicat Döderl. Synon. tom. II, p. 28., vocabulum *lusum* habens non pro accusativo substantivi, sed pro mero supino.

8. Ap. Non. p. 358, 20. v. Optare, eligere. — *Diog. quiamicos, qui* Codd. *cynicos* cj. Canter. Nov. Lect. VI, 6. *Cynicus* Gulielm. III, 15. *quidquid vellet* cj. Gulielm.

9. Ap. Non. p. 213, 29. v. Margaritum — Feminino. — De ocellatis vide Turneb. Adv. III, 18. et Casaub. ad Sueton. August. c. 83.

10. Ap. Non. p. 158, 21. v. Puellos, pueros. — *dummodo re addere p.* ed. noviss. *dummodo daret p.* Laurenb., Popma. *dummodo redderet p.* Jun., Merc.

11. Ap. Non. p. 178, 19. v. Tudiculare, commovere. — *Haec me nobis t.* Merc. *Haeccine nobis* ante Ald., Jun., Popma. *Hiccine nobis* Ald. *Haec in aeno* ed. noviss. ex suis Codd. — Refer ad Medeae et Peliae fabulam.

12. Ap. Non. p. 451, 16. v. Rhedam pro curru. — *Dixit* Ald. *Dixe* om. Popma.

13. Ap. Non. p. 254, 21. v. Capere complecti. — *liquante Caerulo* (i. e. oceano) *aqua nat. nempe perfundat*, c. cj. Scal. Inepte. *perfudit* Cod Bernens. alter.

14. Ap. Non. p. 105, 33. v. Equiso pro equite; et p 451, 3. v. Equisonés non equorum tantum moderatores aut magistros, sed omnes quibus regimen conceditur cujuslibet rei dici posse veteres probaverunt. — *quam* (altero loco *qua*) *duc. lora* (altero loco *loco*) *conducerent* Edd. *quum duc. loco* cj. Scriver. l. l. p. 36. *loro* mg. Jun., cj. Jun., prob. Merc. *per viam duc., loco* Popma.

15. Ap. Non. p. 451, 8. v. Meridiem mediam dici dici partem omnes putant solum esse dicendum, quum et noctis esse eam temporis partem doctorum auctoritas dixerit. — *meridiem* ante Merc, Scal, Popma. — *pictus* sqq. cf. supra Sat. *Dol.* fr.: „limbus pictus bis sex signis“. *choreas asticas* Scal., Popma, Merc. *C. orean astrice ost.* ed. noviss. ex suis Codd., unde Roth. recte conjecit legendum esse *C. chorean astricen.* — De stellarum choreis cf. Manil. Astr. I, 672.: „Et quinque adverso luctantia sidera mundo exercent varias Naturae lege choreas“. Scalig. ad Varr. L. L. V, p. 52. ed. Bipont., Tibull. II, 1, 88., Jacobs. ad Anthol. Gr. tom. X, p. 275. et imprimis tom. IX, p. 249. ad Dionysii Hymn. XVII. Ceterum recte judicat Barth. Adv. VIII, 18. Varronis hos elegantissimos jambos arguere frustra gloriatum Horatium de Pariis a se primum Latio ostensis.

16. Ap. Non. p. 46, 2. v. Inferum ab imo dictum, unde inferi, quibus inferius nihil, unde infertur recte potest dici quicquid desuper mittitur. — *aquales* cj. Scal., Popma. *inferam* Popma, Merc. et ceterae edd. praeter noviss., quae ex Codd. Guelf. et Lugd. recepit *inferant.* Vulgata lectio *inferam* (quam agnoscit etiam Freund. in lex. v. Inferus) placet, licet inusitate dictum sit. Infera aqua est aqua ex imbri caduca. Dativ. *mortalibus* pendet a *vomentes* participio, quocum arcte conjungendum est adject. *inferam*, quod quasi adverbio loco hoc fungitur: herabspeiend das Wasser auf die Sterblichen. — *Caeli cavernas* multi dixerunt, ut Cic. Arat. 252. Lucret. VI, 252. IV, 172 et 392. Manil. I, 202. *leves* i. e. vento agitatae.

17. Ap. Non. p. 46, 8. v. Syrus a Graeco magis tractum est, *ἀπὸ τοῦ σύρειν*. Has nos scopas; rustici eo nomine syrus (sic) vocant. — *erumpebant* Codd. *eruperant* Scal., Merc., Popma, Muret. V. L. IV, 6. *frigidi* Turn. Adv. XXVIII, 11. et XIXX, 17. *syrus* Codd. Merc. et noviss. ed. constanter utroque loco. *siros* Popma. *syros* Jun., Turn., Freund. in lex. s. v. An recte vocabulum interpretatus est Nonius? Cf. Suid. v. „*Συρφετὸς, ἀγυρτώδης ὄχλος ἢ λόχος, ἢ διὰ ἀνέμου συλλεγομένη κόπρος καὶ φρυγανώδης· ἤτοι κονιορτοὶ μετὰ κοπρίων. Τινὲς*

δὲ χειμὼν καὶ συρμός· ταῦτα δὲ ἄγνωστα τῷ συρφέτῳ". *frigidus axis* est polus septentrionalis. Lucret. VI, 721. Manil. IV, 689. Cic. Tusc. Qu. I, 28. Virg. Georg. II, 270. III, 351. Ovid. Pont. IV, 7, 1.

18. Ap. Non. p. 79, 16. v. Bipennis —. supra ad fr. 3. — *bipinnis* ed. 1842. ex suis Codd. *bipennis* reliquae edd.

19. Ap. Non. p. 82, 32. v. Conscribillavi. — *conscr. pingentes*. c. Codd. Sed jam Gulielm. III, 16. intellexit pingentes corruptum esse, et conj. *pigmentis*. Nobis rectius videbatur restituendum esse *figmentis*. Significatur Zodiacus. — Conscribillare est nostrum bekritzeln, vollkritzeln, et construitur cum abl. rei. Cf. supra ad Sat. *Col. Herc*. fr.

LIV. *ΜΑΡΚΟΠΟΛΙΣ, ΠΕΡΙ ΑΡΧΗΣ.*

Μαρκόπολις quaenam sit civitas appellata Varroni, eum quidem fugere non potest, qui meminerit, quae disputavimus supra (in adnotatione ad inscr. Sat. *Bimarci*) de Marci nominis significatu, quo a Varrone in Saturarum libris usurpatum sit. Est igitur *Μαρκόπολις* festive ipsa Romana respublica appellata, et Saturae, quae περὶ Ἀρχῆς agebat, apte et eleganter inscripta, ut tanquam pro gravissimo exemplo validi potentisque imperii esset. Quare nec ii audiendi sunt (Popma, Turneb. Adv. XVII, 23. Adr. Jun. Animadv. VI, 9.), qui, codicum mss. fide prorsus neglecta atque posthabita, Saturae inscriptionem in *Μαργόπολιν* immutandam esse censuerunt: quod scilicet nomen sit civitatis notans „insaniam ex professo in comitiis et magistratibus furentis, et honorum studio et ambitione luxuque et ingluvie perditae et insanae". — *Μαρκόπολις* vocabulum formatum est, ut Ἀνθρωπόπολις, Ἀπραγόπολις (v. Sueton. Octav. c. 98), *Δουλόπολις* (V. Proverb. e Cod. Coisl. ed. 214, et e Cod. Bodl. 675. ap. Gaisf. Suid. s. v., Plutarch. proverb. 22. Wyttenb., Hesych. p. 1026. Alb.).

1. Cui Celer *Δι' ἑνὸς λήμματος λόγος*, Antipatri Stoici filius, rutro caput displanat.

2. Natura humanis omnia sunt paria:
Qui pote plus, urget; piscis ut saepe minutos
Magnu' comest, ut avis enecat accipiter.

3. Nemini fortuna cúrrum a carcere íntimo missúm labi
Inóffensum per áequor candidúm ad calcem sivít — —.

4. Sensus portae, venae hydragogiae, cloaca intestini.

5. Noctilucam tollo, ad focum fero, inflo, anima reviviscit.

1. Ap. Non. p. 18, 24. v. Rutrum dictum est radendo. — De loci sententia nil potest constitui. Antipatrum Stoicum, Tarsen-

sem, λόγοις μονολημμάτοις usum esse testimonio sunt verba Alexandri Aphrodis., citante P. Victorio Var. Lect. IV, 5.: „οὕς γε οἱ περὶ Ἀντίπατρον μονολημμάτους συλλογισμοὺς λέγουσιν, οὐκ εἰσὶ συλλογισμοί, ἀλλ' ἐνδεῶς ἐρωτῶνται". — Popma, δι' ἑνὸς λήμματος λόγους scribendum esse conjiciens, sic explicat: „Cum pater, inquit, proferret Antipatri Stoici λόγους μονολημμάτους i. e. ratiocinationes unius sumptionis, filius illi rutro caput diffindit, perinde ac Celer ille praefectus equitum Remum rutro interemit, ob violatam legem, quam Romulus tulerat". — Verba δι' ἑνὸς λήμματος λόγος ita erant accipienda et scribenda, tanquam efficiant nomen Antipatri filii alterum; est enim facete impositum, quia Antipater Stoicus ejus syllogismi generis quasi auctor erat. — Cf. supra Sat. *Leg. Maen.* fr. 5.: „Metamelos, Inconstantiae filius". — Displanare est nostrum „breit schlagen"; sententia ancipite quidem, sed aperta. — Cf. Pherecyd. ap. Polluc. X, 128. de Codri infectore: „τῷ κρωπίῳ παίσας ἀπέκτεινε".

2. Ap. Non. p. 81, 19. v. Comest pro comedit. — Cf. supra Sat. *Man.* fr. „viget, veget ut pote plurimum". — Ad sententiam Polyb. XV, 20.: „προςοφείλειν τὸν λεγόμενον ἰχθύων βίον, ἐν οἷς, φασιν, ὁμοφύλοις οὖσι, τὴν τοῦ μείονος ἀπώλειαν τῷ μείζονι τροφὴν γίγνεσθαι καὶ βίον". Cf. Hesiod. O. et D. v. 274. sqq. et quae passim citantur in H. Stephani Thes. L. Gr. s. vv. Ἀλληλοφαγέειν, Ἀλληλοφαγία et Ἀλληλοφάγος. — De locutione „plus posse" adeas Gronov. Diatr. Stat. p. 181.

3. Ap. Non. p. 199, 21. v. Calx — Masculini. — *calcem sibit* ed. noviss. ex suis Codd. *sivit* Popma. *sinit* Gulielm., Merc. *subit* Fruter., Scal., Lips. — Vario modo hoc fragmentum ab interpretibus tentatum est. V. Scalig. Catal. I, p. 195. Salmas. ad Solin. tom. II, p. 904. ed. Paris. Burmann. Anthol. Lat. tom. I, p. 553. Versus sunt tetrametri jamb. acatal. claudi, de quo metro vide Marium Plotium ap. Gaisford. p. 275, 27. — Sententiam explicare non opus est.

4. Ap. Non. p. 209, 19. v. Intestinum — Masculino. — Comparatur humanum corpus cum aedis partibus.

5. Ap. Non. 234. 4. v. Anima — ventus.

LV. MELEAGRI.

Hac Satura nimium illud et inutile et periculosum studium venandi vituperatum esse fragmenta sat indicare videntur. *Meleagri* autem apte dicuntur ipsi venatores, videlicet propter Meleagrum, Oenei filium, qui immanem illum aprum, qui omne Aetoliam horrendo impetu vastaverat, delecta fortissimarum juvenum manu insectatus, confecit.

1. Quaero, utrum fructuis, an delectationis causa? — fructuis, ut vendatis.
2. Sin autem delectationis causa venamini, quanto satius est salvis cruribus in circo exspectare, quam his descobinatis in silva curare?
3. Currere, vigilare, esurire — ecquando haec facere oportet? quam ad finem?
4. Non modo suris apertis, sed paene natibus apertis ambulans.
5. Cum etiam Thais Menandri tunicam demissam habeat ad talos.
6. Si non malit vir viratus uxorem habere Atalantem.
7. Adde hydram Lernaeam et draconem Hesperidum, quod bestiae fuerunt immanes.
8. Aut ille cervum qui currens volabile
Sparo secutus tragulave traicit.
9. Quid hic venator non cepit?
10. Quem idcirco terra non cepit et caelum recepit.
11. Funus exsequiatis laute ad sepulchrum antiquo more silicernium confecimus id est περίδειπνον, quo pransi discedentes dicimus alius alii: Vale.

1. Ap. Non. p. 492, 18. v. Fructuis pro fructus. — *causa fructuis* Merc. cum signo lacunae post *causa*. — *causas fructuis* ed. noviss. ex suis Codd., unde Both. haud male cj. *causa? si fructuis;* sed simplicius videbatur scribere *causa? fructuis, ut v.*, ut insit affirmatio. Nic. Faber post *causa* addendum cj. *tu venaris*, quod non opus est. De genitivi forma fructuis pro fructus v. Gell. IV, 16., qui docet Varronem ea in omnibus ejusmodi vocabulis usum esse. — Cf. Od. Muell. in Praefat. ad Varr. de L. L., et infra Sat. *Ταφ. Μεν.* fr. 6.: „Perrexit in interiores partes domuis posticae sqq.".

2. Ap. Non. p. 99, 25. v. Descobinatis, sauciis et abrasis et desectis. — *exspectare* Codd. *spectare* Turn. Adv. XXIX, 22., Popma. Sed retinendum videbatur esse *exspectare*, quod est pro „ex sede suo spectare" vel „e longinquo spectare". Ita Plaut. Aulul. IV, 8, 6.: „Multoque prius me collocavi in arborem, Indeque exspectabam, ubi aurum abstrudebat senex", ubi Ms. Camer.

et quatuor Palat. praebent *exspectabam*. Cf. Petron. Sat. c. 17.: „— intravit ipsa, una comitata virgine, sedensque super torum meum, diu flevit: ac ne tunc quidem nos ullum adjecimus verbum, sed attoniti exspectavimus lacrimas ad ostentationem doloris paratas". — *curare* Codd. Recte. Est nostrum „schaffen" vel „sich zu schaffen machen". *currere* Jun., Laurenb., Popma. *gyrare* cj. Palmer. — *descobinatis* cf. supra *Devict.* *π.* *Φιλονικ.* fr. 2.

3. Ap. Non. p. 205, 15. v. Finem — Feminino. — *es.*, *haec quando haec f. o.* ed. noviss. *es. quando h. f. o.* ed. 1526., Jun., Laurenb., Popma. *h. quando f. o.* Merc. *ecquando h. f.* cj. Roth., quem secuti sumus.

4. Ap. Non. p. 236, 32. v. Apertum — nudatum. — *ambulas* cj. Gulielm. Veris. I, 15. et continuat sequ. fr. — Carpit Varro venatorum cultum, insolentem ac paene impudicum.

5. Ap. Non. p. 286, 18. v. Demittere, desuper mittere; et p. 536, 19. v. Tunica est vestimentum sine manicis. — Cf. Meineck. Menandri frr. p. 21. ed. Paris.

6. Ap. Non. p. 187, 15. v: Viratum, magnarum virium. — In Nonii loco ed. noviss. ex suis Codd. praebet: „*Vercium*, in Varronis contra *viratius*, quod ceterae editiones utroque loco retinent. *viraciam* (per ἀντιάνειραν explicans) cj. Scal., Popma, Laurenb. Nec veri dissimile est, feminini accusativum hic sui juris esse. — *Viratum* (a vir deductum) adjectivum agnoscunt Freund. (sed cf. eum s. v. viriatus) et Forcell. in lex. *Viriatus* (a viriis, quas per bracchialia explicant Gloss. Isid. — Cf. Isid. Orig. XIX, 31.: „Viriolae proprie virorum sunt collatae victoriae causa militibus ob armorum virtutem". — Gloss. Philox.: „Viriolae, κλανία, ψέλια, περιχείρια. — Gloss. Cyrill.: „ψέλιον, viriola, armilla". — Tertull. de Pallio c. 4.: „Utique sicut vestigia cestuum viria occupavit". Ambros. de Abrah. c. 9.: „Has virias, quae manum non materiali auro ornarent, sed spirituali actu levarent. Plin. XXX, 3, 12.) —, quod olim conjeceram, reponere nunc minus placet, praesertim quum invenio hoc vocabulum a Nonio modo proxima pagina citatum, scil. p. 186, 29.: „Viriatum dictum est magnarum virium. Lucil. libro XXVI: „Contra flagitium nescire bello vinci a barbaro Viriato Annibale". At sive *viriatum* sive *viratum* vocabulum fuerit, hoc certe constat, errasse Nonium, quum a viribus derivaret.

7. Ap. Non. p. 323, 23. v. Immane — nocens. — *quott b.* praebet Codd. Bern. *quot* cj. Roth.

8. Ap. Non. p. 553, 29. v. Tragula est hasta; et p. 555, 20. v. Sparum, telum agreste. — *volabile* Codd. utroque loco. *volatilem* mg. Jun., Laurenb., Freund. in lex. Sed librorum fides ser-

vanda est; nec desunt exempla adjectivorum verbalium ab intransitivis derivatorum et in abilis desinentium, ut stabilis (instabilis, praestabilis), discordabilis, durabilis, sonabilis (resonabilis), flabilis, inclinabilis. Ceterum libri mss. in priore versu constanter praebent *volab. currens* et in sequenti versu *traicit*, quare, ut sibi constans metrum servetur, scribendum erit aut *currens volabile* (vel *volabilem*) — *traicit*, aut *volabilem currens* — *trajecit* (sic mg. Jun. et Laurenb.). Nos illud praetulimus. De tragula v. Fest-Paull. s. v., ibique Muell. Cf. Suid. v. *Κόττας*. Lips. Poliorc. IV, 4. Turn. Adv. VII, 12. De sparo v. Fest-Paull. s. v. Serv. ad Virg. Aen. XI, 682. Dempster. Paralip. ad Rosin. Antiqu. Rom. X, 10. Missile fuisse docet Aemil. Prob. XV, 9.: „Epaminondam fortissime pugnantem, sparo eminus percussum concidere viderunt".

9. Ap. Non. p. 253, 30. v. Capi — (capere), occupare, detinere.

10. Ap. Non. p. 253, 3. v. Capi — (capere) est tollere, tenere; et p. 384, 3. v. Recipere, accipere.

11. Ap. Non. p. 48, 8. v. Silicernium est proprie convivium funebre, quod senibus exhibetur. — *exsequiatis laude* Merc. et ed. noviss. *exsequiati* ed. 1526., Jun., 1583., Laurenb., Popma. *laute* cj. Lips., Popma, Freund. in lex. s. v. Exsequior. — Cf. supra *Bimarc.* fr. 24.

LVI. MODIUS.

„Totus hic liber Varronis in comparatione vitae frugalis cum luxuriosa et delicata". Mercer. ad Non. p. 648. „Hoc mensurae genus Varro inscripsit Saturae, quam fecit in ganeones, ut symbolum et indicium moderationis (cf. supra *Longe Fugit Qui S. F.* fr. 2.: „aequus vel ad aedilicium modium"); sicut Aegyptii Serapidis simulacro imponebant, ut indicaret, mensura modoque omnia contineri, auctore Ruffino Aquilejensi (Hist. Eccles. II, 23.)". Popma. — De modii Romani mensura Incert. in Gösii Agrimens. p. 324. haec dicit: „Est enim modius, ut praedictum est, juxta quosdam sextariorum XVI, juxta quosdam autem XX et duorum: apud quosdam vero XXIV. Nobis vero videtur rectissimum, ut trium librarum sextario vicies et quater multiplicato modius impleatur, qui modius medii talenti pondere coaequatur LXX, quod duobus efficitur libris. Sive ut quinque libras habens sextarius, similiter vicies et quater ductus, maximi talenti id est CXX librarum pondere mensuretur. Modius et semis urnam faciunt".

1. An qui gradu tolutili te, melius quam tute molliter vectus, cito relinquat?
2. Omnes videmur nobis esse belli, festivi, saperdae cum simus σαπροί.

3. Sed, o Petrulle, ne meum taxis librum
Si te defigat hic modus scenatilis.

4. Si displicebit tam tibi latum mare
Parabis quantam spongiam deletilem!

5. Non eos optume vixisse, qui diutissime vixent, sed qui modestissime.

6. Quid aliud est? quod Delphice canat columna litteris suis *ΑΓΑΝ ΜΗΔΕΝ*, quam, nos facere ad inmortalem modum medioxime, ut quondam patres nostri loquebantur.

7. Quot tum erant in Graecia coma promissa, rasa barba, pallia trahentes.

8. Quam istorum, quorum vitreae togae ostentant tunicae clavos.

9. Sed Cynicis involucrum et pallium luteum non est.

10. Quis poculis ardentium chorum introibit popino?

11. Capitis corona fasciis linit
Faciem et labore flatili viridis premit.

12. Trimodiam amphoramque eandem temeti ac farris modium.

13. Et hoc interest inter Epicurum et ganeones nostros, quibus modulus est vitae culina.

14. At se unum esse pulmentarium, secundans quo natura aurigatur, non necessitudo.

15. In bucolico dormire mallem scilicet potius, meum vinum cibarium quam ego dominus gustarem.

16. Putat fore hoc, quod his comedonibus [con]venit usu, quibus, mota voluptate cum edunt, dumtaxat gula gaudet.

17. Hanc eandem voluptatem tacitulus taxim consequi lapathio et ptisana possum.

18. Quate meas lubidines ad tibias bilingues.

1. Ap. Non. p. 17, 25. v. Gradarius est molli gradu et sine succusatura nitens. — Vocabulum Nonio laudatum non legi in

Varronis fragmento, fortasse mirum videtur. Sed inest gradarii equi explicatio in verbis „gradu tolutili — vectus". Nam equus tolutim ire doctus, etiam gradarius dici potest. Plin. VIII, 42.: „Asturcones, quibus non vulgaris in cursu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio". — *te medius qu.* Codd. mendose. *te melius* Ald., Jun., Popma. — Mercerus versus inesse putat et sic legendum esse censet: „— *An qui gradu tolutili Te mediis campis molliter vectus, cito Relinquat*". Ad *melius* ex sequentibus repete *vectus*. — *molliter vectus* arcte sunt conjungenda quum sint pro: qui molliter vectus est. — „Nonne praestantior est ille, qui, gradu celeri et expedito nitens, te cito praevertit et antecessit, insuper melius vectus, quam tu, qui molliter et otiose fuisti vectus?" Popma.

2. Ap. Non. p. 176, 20. v. Saperdae, quasi sapientes vel eligantes; et ap. Fest. p. 325. ed. Muell. v. „Saperda, genus pessimi piscis; sapientem etiam significat, cum ait Varro: Videmur nobis sap., cum simus *σαπροί*". Ad quem locum Dacerius haec adnotat: „Saperda tamen non pro sapiente, ut Festus Noniusque interpretantur, sed pro faceto et salso, ut optime monuit doctissimus Meursius. Itaque sensus verborum ejus: Omnes videmur nobis esse belli, festivi, salsi, cum tamen simus *σαπροί* (captavit manifesto alliterationem) id est insulsi, nec in toto corpore habeamus vel micam salis. Nam sapra sunt, quae salis defectu putruerunt". (Gloss. Gr. Lat.: „*Σαπρὸς*, nugax, nugatorius, foedus".) — Suspicio mihi est, errasse Nonium, et, qui eum exscripsit, Festum, quum interpretarentur voc. saperdam per sapientem. Etenim si construamus „saperdae cum simus *σαπροί*", hoc simplicius significabit „cum simus ne minimi quidem pretii". Saperda enim piscis quum vel recens captus vilissimus sit, quanto magis, postquam putrefactus est.

3. Ap. Non. p. 180, 4. v. Taxis pro tetigeris; et p. 176, 16. v. Scenatilis. *pepigat hic modo sc.* Jun., Merc. — *pepigat haec modo* ed. noviss. ex suis Codd. *pigebit hic modi* Turn. Adv. XII, 16. *pepigit huic modi* cj. Scalig. *pepigat hic modi* Popma. *defigat hic modus sc.* ex nostra conj. dedimus. Pers. Sat. V, 16.: „Pallentes radere mores Doctus et ingenio culpam defigere ludo". — Scenatilis modus hic est scenatilis et satirica licentia.

4. Ap. Non. p. 96, 13. v. Deletile non quod deleatur, sed quod deleat. — *Partis quantum* Codd. mendose. *Parabis tantum* cj. Jun. *Parato tantum* cj. Scal. *Tantum parato* Laurenb. *Paravis quantam* cj. Popma. *Parabis quantum* nostro nomine dedimus. *spungeam* ed. noviss. ex suis Codd. — De spongia de-

letili v. Jacobs. ad Anthol. Gr. tom. XI, p. 162., et Rader. ad Martial. IV, 10.

5. Ap. Non. p. 55, 30. v. Modestum a modico, hoc est a moderato, positum. — *vixent* Merc. et ed. noviss. ex Cod. Guelf., mg. Jun., prob. Gulielm. Veris. I, 15. Virg. Aen. XI, 118. *vixissent* Cod. Lugd. *vixerint* Ald., Jun. *vixerunt* Laurenb. Popma omisit vocabulum. Post *modestissime* in Nonio sequuntur verba *id est modice,* quae a Popma et a Gerlachio et Rothio recte abjudicantur Varroni. Contra adjudicant Gulielm. et Laurenb. — Modice et modeste vivere dixit Plaut. Pers. III, 1, 18. Cf. Parei lex. Plaut. v. Modice et Modeste.

6. Ap. Non. p. 141, 3. v. Medioximum, medio acutum modo. — *Delfice canat* Codd. Cf. supra ad *Eumenid.* fr. 29. *Delfis* cj. Bentin., Palmer., Laurenb. *Delphica* Jun. Animadv. VI, 23. *caveat* cj. Palm. ἄγαν μεοεν Codd. a noviss. editor. collati. ἄγαν μηθὲν Ald., Jun., Merc. Nec falso fortasse. V. Ahrens de Dial. Aeol. p. 45. Boekh. Corp. Inscr. I, p. 145. Cf. Eustath. ad Hom. Od. XVIII, p. 1841. ed. Rom. μηδὲν cj. Bentin., mg. Jun., Laurenb., Popma, Palm., Jun. l. l. ex vetusto quodam codice. μηδὲν ἄγαν Popma. *adit mortalem* Ald., Merc., Cod. Guelf. *ad izmortalem* Cod. Lugd. *ad inmortalem* cj. Roth. Recte. *ad mortalem* Jun., Palm., Laurenb., Popma. Medioxime facere ad deos est tanquam naturae ratione in ipso medio quasi collocatos esse inter deos scilicet ac bruta animalia. Ita de Medioximis diis Appulej. de Dogm. Plat. I, p. 14. (ed. Wouw.): „Medioxumos Romani veteres appellant, quod et sui ratione et loco et potestate Diis summis sunt minores, hominum natura profecto majores". Dicit igitur Varro inscriptionem Delphicam monere, ne in id aspiremus, quod ultra hominis naturam sit. — *Μηδὲν ἄγαν* inscriptionem Delphicam cum duobus aliis (v. supra ad inscr. Sat. *Γνῶθι Σεαυτόν*) memorat Plin. VII, 32. Veteres scriptores tribuunt hoc proverbium vulgo Chiloni; alii Sodamo; alii aliis. V. Boissonad. Anecd. Gr. I, p. 127. et ad Eurip. Hippol. 265. Interprr. ad Arist. Rhet. II, 12, 14. Jacobs. ad Epigr. Inc. 508. Cf. H. Steph. Thes. L. Gr. v. *Ἄγαν*.

7. Ap. Non. p. 362, 30. v. Promittere — ad magnitudinem nutrire. *Quod tum* Merc. et ed. noviss., unde conjeci *quot tum. qui tum* legunt Laurenb., Turn., Popma. — Turneb. Adv. XXVIII, 13. et XXX, 9. (ubi pro *pallia* legit *pallam*) refert ad citharoedos, insigni cultu et ornatu in theatro canere consuetos, quos traxisse pallam Varro dicat, „quod longo syrmate spatiosam vestem, terram verrentem, gerere solerent". Equidem malim de toto grege hominum delicatulorum intelligere. Cf. fr. sequens.

8. Ap. Non. p. 448, 30. v. Vitreum pertenue et pellucidum

quidquid est; et p. 536, 33. v. Tunica est vestimentum sine manicis. — V. Dempster. Paralip. ad Rosin. Antiqu. Rom. II, 31. p. 266 sqq. Ferrar. de Re Vestiar. I, 1, 29.

9. Ap. Non. p. 549, 24. v. Luteus. — Turn. Adv. XXVIII, 13.: „Nam luteus color mulierem decere, non virum, nedum Cynicum, olim censebatur, nuptialisque etiam habebatur. Involucrum apud eum (sc. Varronem) esse videtur redimiculum, quo puellarum ac mulierum crines involvuntur".

10. Ap. Non. p. 161, 16. v. Popinones vel hi, quos nunc dicimus tabernarios, a popinis; vel luxuriosi, qui se popinis dedunt. — *argenteum* Codd. *argenteis* cj. Laurenb., Gerl. *ardentium* sc. vino, ex nostra conject. scripsimus.

11. Ap. Non. p. 365, 16. v. Pressum, — Premere, tegere. — *Cap. cor. vaccitis livei face ut lab.* Codd. *C. coronae vaccitis liveis Face, ut languore fl. v. premat* Popma, qui cj. *C. corona e Bacchicis liveis Faciem lab. fl. v. premat.* — Scal. Catal. p. 253.: *Cap. corona fasciis tiligneis Faciem lab. fl. vir. premit.* Gerl. cj. *vaccineis lividis facta et languore flaccidis.* Nos, literarum ductus pressius secuti, malimus *fasciis* (vel etiam *vacillantis*) *linit faciem et* —. Linere hic est umbrare vel tegere; et labor flatilis dictum ut nostrum „säuselnde" vel „Kühlung bringende Last des Kranzes".

12. Ap. Non. p. 5, 17. v. Temulenta — dicta a temeto. — *Tremodiam* Codd. *Trimodiam* Popma.

13. Ap. Non. p. 55, 19. v. Colinam veteres coquinam dixerunt; et p. 119, 9. v. Ganeones a ganeis dicti, ut popinones, et sunt loca vinolentiae ac libidini apta. — *quibus modulus est v. c.* h. e. qui omnia metiuntur epulis, ut interpretatur Turneb. Adv. XXVIII, 13.

14. Ap. Non. p. 70, 16. v. Aurigatur honeste positum pro moderatur ac regit; et p. 354, 3. v. Necessitudo, necessitas. — *Ad se unum esse* ed. noviss. habet in priore, *Asse vinum, asse pulm.* (quod cj. Jun., Victor., Merc., Muret. V. L. XIV, 3., Popma) in altero. *At se unum* cj. Barth. Adv. XXVI, 14. et Roth. *se unum esse* om. τῷ *at* Laurenb. *secundas* Codd. *sed edas* Jun., Popma. *sed eas, quo* cj. Victor. Muret. V. L. VII, 5. *secundans* cj. Roth. Recte.

15. Ap. Non. p. 93, 12. v. Cibarium, quod nunc aut de pane sordido aut de alio indigno dicatur. — *In bucolico* Merc. et ed. noviss. *In cubiculo* Cod. Lugd., Ald., Jun., Popma. *potius* Codd. *potus* cj. Bentin., mg. Jun. *domi cubarem* cj. Jun. *gustarem* ex mea conj. dedi. — Retinui *bucolico*, quod interpretandum esse puto de tugurio bucolico, quod sane perincommodum cubiculum est. Verba videntur esse domini vel praebitoris convivii,

qui lepide profitetur se multo potius malle maximas incommoditates perferre, quam cibarium suum, quod in cella servet, vinum gustare. Sed in tam corrupto loco vel conjectura difficilis est.

16. Ap. Non. p. 93, 20. v. Comedones ab edendo. — *quod huic* ed. 1842. *quod hic* Jun., Merc. *nota voluntate comedunt* ed. 1842. *nota volupt. quum ed.* Merc. *mota volupt. cum ed.* cj. Victor., Jun., Popma. *venit usu* Laurenb. *convenit usu* Codd.

17. Ap. Non. p. 450, 17. v. Lapathium. — Ptisana (Plin. XVIII, 7.) et lapathium (Horat. Epod. 2, 54. Lucil. ap. Cic. de Finn. II, 8.) pro coena simplice et modica. — *tacitulus taxim* h. e. sine magna opera; v. supra ad Γεροντοδιδασκ. fr. 10.

18. Ap. Non. p. 229, 24. v. Tibia — Masculini. — *Quare m.* Codd. *Quaero m.* cj. Jun., Popma. *Quaere meos tubicines* cj. Gerl. Inepte. *lubidinis* Codd. *lubidines ad* cj. Jun. *ac t. bilinguos* ed. noviss. ex suis Codd. *ac t. bilingos* Merc. *Quaero m. lubidines ad tibias bilinguo.* Popma. *bilingues* cj. Forcell. *Quate m. lubidines ad t. bilingues* ex mea conj. dedi. Bilinguus, a, um adjectivum fuisse verisimile non est. Nam in loco Prudentii in Hamartig. 588., ubi vulgo legitur „— caput inserit ille trilinguae Conjugis in faucis —“, pro *trilinguae* esse *trilingue* restituendum, jam ab aliis judicatum est. Masculinam autem vocabuli tibiae formam, fortasse tibium, fuisse antiquis scriptoribus usurpatum, nemo hucusque persuadere conatus est. Bilingues (si vera est lectio) tibias esse reor tibias alias bifores dictas, de quibus v. Serv. in Virg. Aen. IX, 618.

LVII. MUTUUM MULI SCABUNT, *ΠΕΡΙ ΧΟΡΙΣΜΟΥ.*

„Varronis erat Satira nomine *Mutuum Muli Scabunt*, περὶ Χωρισμοῦ. Sic autem inscribebatur, quod dum nobis mutuo assentamur et blandimur, nobis ea attribuimus, quae a nobis alienissima sunt et remotissima“. Turneb. Adv. XXIX, 20. — *Χωρισμὸς* est διάστασις (Suid. s. v.) h. e. dissidium. Itaque rectius Popma: „In omnibus actionibus vitae, sive mentis agitatione, sive opera et manu peraguntur, ordinem et dispensationem quandam adhibendam esse, ut, licet certa ratione discretas sint, tamen inter se nexae maneant, et mutuo subsidio nitantur. Tali enim ordine actionum adhibito, constantiam et moderationem in omnibus rebus facillime servari. Itaque de his mutuis operis ac functionibus animi et corporis, apte usurpat proverbium *Mutuum Muli Scabunt:* quod Erasmus (Adag. I, 7, 96. I, 2, 62.) putat nonnisi in malam partem accipi, cum improbi se vicissim mirantur et laudant“. — Proverbio utitur Auson. Idyll. XII. praef. ad monosyll. ad Paulin. p. 354. ed. Souchay (p. 165. ed. Scal.): „Ut in vetere verbo est: Sequitur Vara Vibiam, similium nugarum subtexo nequitiam, et hi versiculi monosyllabis terminantur, exordio tamen libero, quamquam fine legitimo. Sed laboravi, ut quantum posset videri apud aures indulgentissimas, absurda concinerent, insulsa resiperent, hiulca congruerent: denique haberent et amara dulcedinem, et inamoena venerem, et aspera lenitatem. Quae quidem omnia quoniam

insuavis materia devenustat, lectio benigna conciliet. Tu quoque mihi tua crede securior, quippe meliora. Sed ut quod per adagionem coepimus, proverbio finiamus: *Mutuum Muli Scabunt.*" Item Symmach. Ep. X, 1. ad Theodos. Sen.: „Tua igitur palma laus temporum est. De qua ego plane et indulgentius loquerer, nisi obsequerer singulari verecundiae tuae, et mihi oppido praecaverem, ne laudatus proxime ab excellentia tua feneratam gratiam viderer retulisse, hoc est, quod ajunt: *Mutuum scabere mulos.* Cui proverbio, ne videar esse confinis, praeconia virtutum tuarum presso dente perstringo." Item Papinii Epigr. apud Varr. de L. L. VII, 28. „Ridiculum est, cum te Cascam tua dicit amica, Filî Potoni, sesquisenex puerum. Dico illam pusam; sic fiet *mutua muli;* Nam vere pusus tu, tua amica senex."

1. Ut grallatores quî gradiuntur perticae sunt ligna et sine animo, sed ab homine eo, qui in iis stat, agitantur: sic illae animi nostri sunt grallae, crura ac pedes nostri, ex se ἀκίνητοι, sed ab animo moventur.
2. Itaque si plures dies inter medicorum discessum et adventum pollictoris interfuerunt, et id aestate videas.
3. Ut venalem tuniculam poneret cotidie, ut videret totum, tum denique etiam, si suis manibus lanea tracta ministrasset infectori.
4. Ubi lucus opacus, teneris fruticibus aptus.

1. Ap. Non. p. 115, 20. v. Grallatores sunt colobathrarii: Grallae enim sunt fustes, quis innituntur. — *qui gr.* Codd. *quis gr.* cj. Scal. Sed cf. Plaut. Aulul. III, 5, 26. Terent. Andr. III, 2, 31. Rudim. Instit. Gr. L. I, p. 202. *grad. grallis. Pert.* Laur., Popma. *l. efynareino let ab h.* ed. noviss. *ligne finareino* Cod. Guelf. *ligneae finaremo* ms. Jun. *ligne finare inolet ab* Merc. *ligneae sine animo sed* cj. Muret., Laurenb. *ligna et sine an., sed ab* ex nostra cj. scripsimus. Roth. Graecum aliquod vocabulum, ut εὐκίνητα, latere conjecit. *qui inistat angitantur* Codd. *qui in iis stat agit.* cj. Muret., Laurenb. *qui instat, ag.* cj. Palmer., Popma. *sic ilianimi nost.* Codd. *sigilla animi n.* Laurenb. *sic inanimae nostrae* cj. Salmas. *sic illi animi n.* cj. Jun., Palm., Muret., Popma. *sic illae animi* scripsi ex mea conj. *sunt, galeae, crura* Codd. *s. grallae, cr.* cj. Jun., Muret., Laurenb., Palm., Popma. *nostri, essiare κείνητοι* ed. noviss. ex suis Codd. *essiare κινητοὶ* Merc. *n. ex se ἀκίνητοι* cj. Muret., Popma. *ex se ἀκίνητα* Laurenb. *animo nostro mov.* Laurenb. — „Apta similitudine ostendit, animum et corpus ita inter se nexa ac jugata esse, ut alter alterius ope et adminiculo nitatur. Et animum quidem comparat grallatori, quod is suppeditat et in omnes partes corporis diffundit vim agendi: corpus grallis, quod hoc sit quasi sustentaculum quoddam

animi. Huc pertinent verba Tertulliani libro de Anima (c. 6.): „Anima“, inquit, „movet corpus et conatus ejus extrinsecus paret: ab illa est impingi pedes in incessum et manus in contactum et oculos in conspectum et linguam in effatum, velut sigillario motu, superficiem intus agitante“. Popma.

2. Ap. Non. p. 157, 21. v. Pollictores sunt qui mortuos curant. — *pollinctores* Cod. Guelf., Merc. cum plerisque cet. edit. *pollinctoris* Jun., Laurenb., Popma. *pollictores* ed. noviss. *medicos disc.* Codd. *medici d.* Laurenb., Popma. *medicorum* cj. Gerl., quem secuti sumus. Ad *id* fortasse intellig. *φαινόμενον*.

3. Ap. Non. p. 228, 25. v. Tractus — Neutri. — Locus paene desperatus. — *videret totum denique* Codd. *ut vieret tortam* cj. Palm. *totum, tum d.* nos conjecimus. *etiam suis* — *inpectóri* Codd. *ministrasse* cj. Palm. *infectori* Ald., Jun., Turn., Palm. *ut vieret torum* — *infectori* cj. Scalig. *etiam si suis* ex conj. scripsimus. — Lanea tracta dixit Tibull. El. I, 6, 80. „Tractaque de niveo vellere ducta“. — Verba consilia continere videntur ad vestimentorum artificem data. *Ut videret totum* h. e. ut diligenter operis suis invigilet, neu tum quidem rem suam sedulo curare desinat, quum a se ipso operis partem confectam esse sciat.

4. Ap. Non. p. 235, 7. v. Aptum significat connexum et colligatum. — *fructibus a.* Ald., Jun.

LVIII. MYSTAGOGI.

Fulgentii libri in hoc titulo parum concordant. Cod. enim Gudian. I, et collat. Bongars. ad marg. edit. 1535. (in bibl. Bern.) praebent: „Varro in *Mystagogarum* libri ait:“ — Mercer. vero exhibuit „V. in *Mysticorum* l. a.“. — Nos sumus vulgatam scripturam secuti, ut est etiam in ed. princ. a. 1498. (Mediol.) et in collat. Bongarsii ad marg. edit. Venetae sine anno, quae exstat in bibl. Bernensi.

1. Semoneque inferius derelicto deum depinnato attollam orationis eloquio.

1. Ap. Planc. Fulgent. in Exposit. Sermon. Antiqu. p. 561, 12. ed. Merc. v. Quid sint semones. Semones dici voluerunt deos, quos nec caelo dignos adscriberent ob meriti paupertatem, sicut sunt Priapus, Epona, Vertumnus, nec terrenos eos deputare vellent pro gratiae veneratione. — *depennato* habent Cod. Gud. II, Collat. Vulcanii in edit. Isidori Basil. 1577., et Merc. *pennato* cj. Jun., quod non opus erat. Forcell. et Freund. in lex. lat. tuentur *depennato* et recte explicant „pinnas seu alas habens“. *orationis attollam el.* Laurenb. *alloquio* praebent Collat. Bongars. ad marg. ed. Ven., et Mss. Stavereni.

LIX. MYSTERIA.

„Mysteria illa abdita, et seclusa sacra a cognitione vulgi, desiisse, successisseque in eorum locum fraudem, malitiam, fictas artes et insidias, quarum ita plena esse omnia, ut prope nihil veri, simplicis sincerique in communi hominum vita versetur.“ Popma. Unde haec conjicere viro doctissimo licuerit, ignoro. Sed, si memineris quae supra in Comment. Cap. IV, p. 82 sqq. de studio Varronis in superstitione et inani deorum cultu oppugnando diximus, plane contraria, opinor, de hujus libri ratione tibi conjectura erit.

1. Prisca, horrida silent oracla crepera in nemoribus.
2. Licet videre multos cotidie hieme in sole apricari.
3. Vulpinare modo et concursa qualubet errans.
4. Aes defraudasse cauponem, bovam luto oblevisse, cum portitore serram duxe.
5. Sed tibi tortasse alius molit et depsit.
6. Init virgo, dos a femina ut auferatur, quae mihi postea-quam ad concordiam dicta est —.
7. Nascimur enim spissius, quam emorimur. Vix duo homines decem mensibus edolatum unum reddunt puerum: contra una pestilentia aut hostica acies puncto temporis immanis acervos facit.

1. Ap. Non. p. 14, 3. v. Crepera, res proprie dicitur dubia, unde et crepusculum dicitur lux dubia et senes decrepiti dicti, in dubio vitae constituti. Creperum bellum, anceps bellum. — *ora clam cr.* ed. noviss. ex suis Codd. *oracla* vel *oracula* reliquae edd. — Crepera oracula igitur sunt dubia. Senec. Oedip. II, v. 512. „Responsa dubia forte perplexa latent Ambage nexa, Delphico mos est Deo Arcana tegere“; horrida vero dicuntur, quia horrorem injiciunt mentibus. Virg. Aen. VI, 98. „Talibus ex adyto dictis Cumaea Sibylla Horrendas canit ambages antroque remugit“. — In universum cf. etiam Cic. de Divin. I, 19.

2. Ap. Non. p. 76, 14. v. Apricari, in aprico esse.

3. Ap. Non. p. 46, 26. v. Vulpinari dictum est fraudibus et mendaciis verum pervertere vel effugere, dictum ab inrecto sed intorto vulpium cursu. — *erras* Codd. *errans* cj. Merc., Popma, Laurenb. Recte. Vulpinari Graecorum est *ἀλωπεκίζειν*.

4. Ap. Non. p. 24, 33. v. Portitores dicuntur telonearii, qui portum obsidentes omnia sciscitentur et ex eo vectigal accipiant. — *cauponam* cj. Canter. Nov. Lect. VI, 6. *bonam* Merc. *bovam* praebent Codd. Guelf. et Lugd., cj. Turn. Adv. VII, 24., prob. Cant. *zonam* cj. alii. *obbam* cj. Cujac. Observat. XI, 7. *coponem* (sic

Cod. Lugd.), *coponam luto obl.* cj. Gronov. Observ. IV, 5., quod non displicet. Bovam Turnebus l. l. interpretatur „vas vinarium longum, turgidum et amplum, ad Bovae serpentis similitudinem". Sed sermo fortasse est de impostore pharmacopola vel mulomedico, qui bovam (v. Plin. XXIV, 8. et XXVI, 11. Cf. Fest. v. Tama) curare pollicitus fraudulentis artificiis usus erat. — *tum port.* Codd. *cum port.* cj. Gronov. et Roth. *serram duxe* Codd. Quid „serram ducere" significet, explicat Schneid. ad Varr. R. R. III, 5, 1., ubi scriptor eadem locutione utitur. Est enim serram ducere altercari pertinaciter et cum strepitu. Similiter Tertull. de Corona Mil. 3.: „Quamdiu per hanc lineam serram reciprocabimus?" Cf. Fest. p. 344. Muell.: „Serra praeliari dicitur, cum assidue acceditur recediturque neque ullo consistitur tempore". Tertull. de Pudic. 2.: „Sed non decet ultra de auctoritate scripturarum ejusmodi funem contentiosum alterno ductu in diversa distendere". Funem contentionis idem dixit contra Marcian. IV, 4.

5. Ap. Non. p. 99, 14. v. Depsere. — Molere et depsere sunt obscenae significationis vocabula. Horat. Serm. I, 2, 34. Cic. Epist. 9. 22. ad Paet. Cf. Scalig. ad Varr. L. L. p. 39. (97.) ed. Bipont.

6. Ap. Non. p. 280, 29. v. Dicere — etiam promittere. — *In id virgo* Codd. *In id* intell. ducitur. *In id jurgo, dos* cj. Poppma, qui explicat: „Eam ob rem virgo ducitur, ut, postquam in viri manus venit, insimulata flagitii aut criminis alicujus dos illa auferatur". — *mihi posteaquam ad conc.* Codd. Sententiae apodosis est omissa a Nonio, quod saepius fecit in excerpendis scriptorum locis.

7. Ap. Non. p. 392, 28. v. Spissum significat tarde. — *pestilentia austica ac.* ed. noviss., reliquae edd. praebent *pestilentia hostica ac.* prob. Gerl., sed veram lectionem servavit Laurenb. *pestil. aut host. ac.*

LX. NESCIS QUID VESPER SERUS VEHAT.

„Tempus vesperum magna cura observant agricolae, ut ex eo ventorum, serenitatis, nubili signa colligant. Ad quod respexit Virgilius Georg. [I, v. 461]: „Denique quid vesper serus vehat, unde serenas Ventus agat nubes, quid cogitet humidus Auster!" Hinc in proverbium abiit haec sententia Nescis Quid Vesper Serus Vehat; quae nos admonet, ne praesentium rerum successu temere insolescamus, cum nescii et incerti simus, quomodo „diem clauso componet vesper Olympo". Livius [XLV, 8, 6.]: „In secundis rebus nihil in quemquam superbe ac violenter consulere decet, nec praesenti credere fortunae, cum, quid vesper ferat, incertum sit." Quod Varro inscribens lepidissimo libro Satirarum, (sic enim a Gellio meruit laudari), in quo disserit de apto numero convivarum et de

ipsius convivii habitu, jacit in eos, qui ignorant fructum conviviorum, et moderato apparatu cultuque abutuntur. Id ex eo, opinor, quod veteres Romani convivia agitabant vesperi et ad multam noctem producebant". Popma. Ad ipsum proverbium conferri licet nostrum: „Es ist noch nicht aller Tage Abend" vel, ut est in in carmine ecclesiastico „Es kann vor Nacht leicht anders werden, als es am frühen Morgen war." Praeter Popmae adnotationem juvat citare etiam verba Casp. Barthii Adv. XXXV, 6.: „Argumentum enim Varronianae Satirae fuit, omnia in vita ex usu incidente commode et suaviter agenda, nil superfluum, fastu, ambitione, aut alia animi elatione admittendum, nescire enim omnes, quid praesentis etiam diei vesper vehat".

1. *Lepidissimus liber est M. Varronis ex Saturis Menippeis, qui inscribitur* Nescis Quid Vesper Serus Vehat, *in quo disserit de apto convivarum numero deque ipsius convivii habitu cultuque. Dicit autem convivarum numerum incipere oportere a Gratiarum numero et progredi ad Musarum, id est, proficisci a tribus, et consistere in novem, ut, cum paucissimi convivae sunt, non pauciores sint, quam tres, cum plurimi, non plures, quam novem* a). „Nam multos", *inquit*, „esse non convenit, quod turba plerumque est turbulenta et b) nusquam accubat". „Ipsum deinde convivium constat", *inquit*, „ex rebus quatuor, et tum denique omnibus suis numeris absolutum est: si belli homunculi collecti sunt, si electus locus, si tempus lectum, si apparatus non neglectus". „Nec loquaces autem", inquit, „convivas, nec multos legere oportet, quia eloquentia in foro et apud subsellia, silentium vero non in convivio, sed in cubiculo esse debet". *Sermones igitur id temporis habendos censet non super rebus anxiis aut tortuosis, sed jucundos atque invitabiles, et cum quadam illecebra et voluptate utiles, ex quibus ingenium nostrum venustius fiat et amoenius.* „Quod profecto", *inquit*, „eveniet, si de id genus rebus ad communem vitae usum pertinentibus confabulemur, de quibus in foro atque in negotiis agendis loqui non est otium" c). „Dominum autem", *inquit*, „convivii esse oportet non tam lautum, quam sine sordibus", *et* „in convivio legi non omnia debent,

sed ea potissimum, quae simul sint βιωφελῆ et delectent potius, ut id quoque videatur non defuisse magis quam superfuisse" [d]). *Neque non de secundis quoque, cujusmodi esse oporteat, praecipit: his enim verbis utitur:* „Bellaria", *inquit,* „ea maxime sunt mellita, quae mellita non sunt: πέμμασιν enim cum πέψει societas infida". *Quod Varro hoc in loco dixit* bellaria, *ne quis forte in ista voce haereat, significat id vocabulum omne mensae secundae genus. Nam quae* πέμματα *Graeci et* τραγήματα *dixerunt, ea veteres nostri bellaria appellaverunt. Vina quoque dulciora est invenire in comoediis antiquioribus hoc nomine appellata, dictaque esse ea „Liberi bellaria"* [e]).

1. Gell. N. A. XIII, 11.

a) Macrob. Sat. I, 7.: „Inter haec Euangelus petitu omnium temperatus, M. Varronis", inquit, „librum vobis arbitror non ignotum ex Saturis Menippeis, qui inscribitur Nescis Quid Vesper Vehat (sic), in quo convivarum numerum hac lege definit, ut neque minor quam Gratiarum sit, neque quam Musarum numerosior".

b) Post *turbulenta et* Gellii editiones vulgo inserunt *Romae, inquit, constat, sed et Athenis,* et inde pro *accubant,* quod conjecturae ope dedimus, praebent *autem* (vel *aut*) *cubant.* Sed illa verba pro glossemate esse habenda, quod olim margini adscriptum fuerit ab aliquo qui Varronis sententiam de novenario numero convivarum confirmare voluerit, id jam ab aliis judicatum est. — *accubat* h. e. accubandi locum habet.

c) Codd. Reg. et Lugd. maj. praebent *agendi non est otium,* sententia satis absoluta; sed sapius abundat Varronis oratio.

d) Suspicor verba *et in convivio legi* sqq. hic addita esse ab aliquo interpolatore, qui ea supra in Gellio se legisse meminerat. Nulla enim est sententiarum cohaerentia. Locus exstat plenius ap. Gell. I, 22., ubi scriptor disputans de ratione verbi *superesse:* „Qui integre autem", inquit, „locuti sunt, magnam partem superesse ita dixerunt, ut eo verbo significarent superfluere et supervacare atque esse supra necessarium modum. Itaque M. Varro in Satura, quae inscripta est *Nescis Quid Vesper Serus Vehat,* superfuisse dicit immodice et intempestive fuisse. Verba ex hoc libro haec sunt: „*In convivio legi non omnia debent et ea potissimum, quae si-*

mul sint βιωφελῆ et delectent potius, ut id quoque videatur non defuisse magis, quam superfuisse" (h. e. ut et in hac re justus modus servetur).

e) Paulo plenius hunc locum exhibet Macrob. Sat. II, 8.: „Multi, ut aestimo, in hoc a Varrone dissentiunt, qui in illa lepidissima Satura Menippea, quae inscribitur *Nescis Quid Vesper Vehat* (sic), de secunda mensa placenta removit: sed, quaeso, dicas, Caecina, verba ipsa Varronis, si tibi beneficio memoriae tenacioris haeserunt. Et Albinus: Locus, inquit, Varronis, quem referri a me imperas, in his fere verbis est: „*Bellaria ea maxime sunt mellita, quae mellita non sunt: dulcibus enim cum pepsi societas infida. Significant autem bellaria omne mensae secundae genus; nam quae πέμματα Graeci vel τραγήματα dixerunt, ea veteres nostri appellavere bellaria. Vina quoque dulciora est invenire in comoediis antiquioribus hoc vocabulo dictaque ea Liberi bellaria*". Cf. Johann. Sarisber. Policrat. VIII, 7.: „Significant autem bellaria omne genus mensae secundae; quoniam ibi solent apponi, quae pulcriora sunt et delicatiora. Utitur autem hoc nomine M. Varro: „*Bellaria*", inquit, „*ea maxime mellita sunt, quae mellita non sunt*". Quod forte eo referri potest, quod utenti gratiora sunt ea, quae necessitas appetit, quam quae irritatio gulae invenit".

LXI. OCTOGESSIS, *ΠΕΡΙ ΝΟΜΙΣΜΑΤΩΝ.*

Optimi Nonii libri hunc librum Varronis constanter citant sic: „Varro *Octogesi, π. Νομισμάτων*", excepto uno loco p. 20, 19. v. Clepere, ubi Codd. Guelf. et Lugd. praebent „Varro *Octogiessi*", quod receperunt novissimi editores. Sed vocabulum *Octogesis* quidnam significet aut unde derivandum sit, frustra laborarunt interpretes. Ald., Laurenb. et Turn. (Adv. XVII, 21), omni Codicum Mss. fide posthabita, correxerunt „V. *Octogesimo π. Νομισμάτων:*". — Popma hallucinatus est, legendum esse Ὀχθόγαισις, quo scilicet vocabulo notetur vulgi opinio, quod pecunia sit angorum curarumque tanquam expultrix. Sed hae conjecturae minime placent. Mihi perquam verisimile est, reponendum esse „Varro *Octogessi, π. N.*", quod vocabulum, quamquam frustra quaesiveris in lexicis, tamen probae notae est et ipso Varronis testimonio defenditur, quod servatum est in Prisciani libro de Ponderibus p. 1356. ed. Putsch., Cap. De Compositionibus et Derivationibus multifariis verborum: „Duo asses, dussis, dupondius: tressis, quadressis, decussis, vicessis, tricessis, quadragessis, quinquagessis, s e x a g e s s i s, septuagessis, o c t o g e s s i s, nonagessis, centussis: post quem numerum, teste Varrone, non componuntur cum asse numeri". — Ceterum cf. nos infra quoque ad inscr. Sat. *Sexagessis.*

1. Postquam avida libido rapere ac concidere coepit, seque opificio non probiter clepere.

2. Hoc erat incommodi, quod nesciebamus, semel unum singulum esse.
3. In quo nobilius est Philippeum quod accipimus, quam quod bibimus, cum alterum addamus in bulgam, alterum in vesicam.
4. Non haec res de Venere paeta strabam facit.
5. Vive, meque ama mutuiter.

1. Ap. Non. p. 20, 19. v. Clepere est furari; et p. 510, 27. v. Probiter. — *concidere* Laurenb. et edd. praeter princ. et noviss., quae praebent *concedere*. Corrigendum esse puto *corripere* vel *corradere*, quod alterum praeplacet. *opifice* vel *opifico* Codd. *si quae opifica* cj. Gulielm., prob. Merc. *opificio* Popma. Recte. *scitque opificio* Laurenb., bis. Opificio se clepere videtur dictum pro furtim se labori vel opificio (Händearbeit) subtrahere et in desidiam delabi. — *probiter* Prisc. III, 15, p. 621. Kr.

2. Ap. Non. p. 171, 20. v. Singulum pro singulare.

3. Ap. Non. p. 78, 10. v. Bulga est folliculus omnis, quam et cruminam veteres appellarunt et est sacculus ad brachium pendens. — *In* omiss. ante Ald., Gulielm. *abdamus* cj. Gulielm. et Pontan. (ad Macrob. Sat. II, 12. p. 394. ed. Zeune); sed injuria. Cf. infra Sat. *Sexag.* fr. 11.: „Eo, ut viaticum adderem in vulgam". Cic. ad Att. XII, 53.: „Eas epistolas in eundem fasciculum velim addas". Ovid. Am. I, 7, 1.: „Adde manus in vincla meas". Id. A. A. II, 672.: „Aut fera belligeras addite in arma manus". — *accipimus* Codd., Turn. Adv. IV, 8. et XVII, 21. *accepimus* cj. Palmer. Accipere h. l. est acceptum servare. — Cf. Plaut. Pers. I, 3, 18.: „Nolo in vesicam quod eat, in ventrem volo".

4. Ap. Prisc. VI, 3. p. 230. Kr. (p. 684. ed. Putsch.) v. Strabo etiam straba facit. Varro *de Numismatis* sqq. Post *facit* vulgo addunt ἑτερόφθαλμον, quod deest in plerisque Mss. Vide Krehlii adnot., qui non injuria pro glossemate habet. — „Non tam libido quam cupiditas pecuniae facit, ut puellae, quae sunt oculis paetis et integris (!), fiant strabae et unoculae (sic!). Dum enim captant ab amatoribus nummos et ad eos subinde oculos retorquent, strabae efficiuntur ἑτερόφθαλμοι". Popma. — Vide adnot. ad Sat. *Flaxtab.* περὶ Ἐπαρχ. fr. 2.

5. Ap. Non. p. 513, 16. v. Mutuiter pro mutuo.

LXII. OEDIPOTHYESTES.

„Et argumentum et tituli ratio obscura mihi: nisi est de nefario concubitu, quo infames Oedipus et Thyestes; illa materno, hic filiae, et ex quo uterque sacrae prolis infelix parens“. Popma.

1. Per idem tempus Oedipus Athenas exul venire dicebatur, qui consolaret.

1. Ap. Non. p. 473, 28. v. Consolare.

LXIII. ΟΝΟΣ ΛΥΡΑΣ.

Proverbium memorat Diogenian. VII, 33. p. 214. et explicat: Ἐπὶ τῶν ἀπαιδεύτων. Cf. Proverb. e Cod. Coisl. 364. p. 151. ed. Gaisf. Usurparunt inter alios, Martian. Capella de Nupt. Phil. et Merc. VIII, p. 272. ed. Grot., qui Bianti, Prienensi sapienti, tribuit, et saepius Lucianus, ut Adv. Indoct. c. 4.: „Πίθηκος γὰρ ὁ πίθηκος, ἡ παροιμία φησί, κἂν χρύσεα ἔχῃ σύμβολα. Καὶ σὺ τοίνυν βιβλίον μὲν ἔχεις ἐν τῇ χειρί, καὶ ἀναγιγνώσκεις ἀεί· τῶν δὲ ἀναγιγνωσκομένων οἶσθα οὐδέν, ἀλλ᾽ ὄνος λύρας ἀκούεις κινῶν τὰ ὦτα“. Cf. Dial. Mort. XIV, p. 321. et De Merc. Cond. c. 25. — Varro in Sat. *Testamento*, π. Διαθηκ. fr. 4. „Si quis mihi filius unus pluresve in decem mensibus gignuntur, ii si erunt ὄνοι λύρας, exheredes sunto: quod si quis undecimo mense κατ᾽ Ἀριστοτέλη natus est, Attio idem quod Titio jus esto apud me“. Per Satiram hoc proverbio inscriptam quodnam genus hominum a Varrone exagitatum sit, verbis significare non opus est.

1. Voces Amphionem tragoedum, jubeas Amphionis agere partes infantiorem, quam meus est mulio!
2. Saepe totius theatri tibiis, crebro flectendo, commutare mentes, frigi animos eorum.
3. Maerentis ut quietus ac demissior probandus
   Ἀχιλλέως ἡρωϊκοῦ Ἰωνικὸς cinaedus.
4. Et id dicunt suam Briseidem producere, quae ejus nervia tractare solebat.
5. Primum eam esse physicen, quod sit ἔμφυτος, ut ipsa vox, basis ejus.
6. Jurgare coepit dicens:
   quae facis atque
   In vulgum vulgas artemque expromis inertem.
7. Non vidisti simulacrum leonis ad Idam e loco, ubi quondam, subito eum cum vidissent quadrupedem Galli

tympanis adeo fecerunt mansuem, ut tractarent manibus?

8. Nempe sues silvaticos in montibus sectaris venabulo, aut cervos, qui tibi nihil mali fecerunt, verutis, ah artem praeclaram!

9. Scientia doceat, quemadmodum in psalterio extendamus nervias.

10. Tuus autem ipse frater cibarius fuit Aristoxenus.

11. Si non plus testiculorum offenderis quam in castrato pecore in Apulia, vincor, non esse masculum ad rem.

12. Homines rusticos in vindemia incondita cantare, sarcinatrices in machinis.

13. Equi colore dispares item nati:
Hic badius, iste gilvus, ille murinus.

14. Pacuvius discipulus bicorporis fuit
Enni [Ennius] Musarum Pompilius clueor!

15. Phonicia adsum, vocis suscitabulum
Cantantiumque gallus gallinaceus!

16. Si quis μελωδεῖν est ὄνος λύρας
Praesepibus se retineat forensibus.

17. Quibus suam delectet ipse amusiam
Et aviditatem speribus lactet suis!

18. Quam mobilem Divum lyram Sol harmoge
Quadam gubernans motibus diis veget.

19. Neque orthiopsalticum attulit psalterium,
Quibus sonant in Graecia dicteria.

20. Ut comici, cinaedici, scenatici.

21. Qui fabularum collocant exordia.

22. Valete! et me palmulis producite!

1. Ap. Non. p. 56, 9. v. Infans. — *Amphionis ag. partes* h. e. cantu et fidibus vel saxa et lapides movere. Cf. Forcell. in lex. s. v. Mulio.

2. Ap. Non. p. 7, 16. v. Frigere est, et friguttire et fritinnire, sussilire cum sono, vel erigi et exsilire, quod quaecunque friguntur vel frigent, nimio calore vel frigore cum sono susum

sussiliunt. — Frigi h. l. est φρίσσειν, cujus eadem radix vocabuli est. — *commutari* cj. Scal. (Verbor. Etymol. in Varr. Opp. tom. II, p. 281. Bipont.); sed servanda est codicum fides. — Loquitur de tibicine perito et elegante. — *eorum* sc. auditorum, qui pluralis repetendus est ex voc. *theatri*.

3. Ap. Non. p. 5, 31. v. Cinaedi dicti sunt apud veteres saltatores et pantomimi, ἀπὸ τοῦ κινεῖν τὸ σῶμα (sic). — *Merentis* Codd. Loquitur scriptor de pantomimo inde quidem laudando quod Achillis, Briseidem sibi ereptam vel Patrocli mortem maerentis, dolorem quietius ac demissius, quam vulgo solet, repraesentaverat. — Ἀχιλλέως ἡρωϊκὸς, ἰωνικὸς κιναίδου Codd. ἡρωϊκῶς, ἰωνικῶς cj. Turn. Adv. XVII, 21. Scripsimus ἡρωϊκοῦ Ἰων. *cinaedus* ex conjectura, quam unice veram putamus esse. Achilles heroicus et jonicus cinaedus antithesin faciunt; nam jonica saltatio mollis erat. Cf. Horat. Od. III, 6, 21. Plaut. Stich. V, 5. 19.: „Qui Jonicus aut cinaedicus, qui hoc tale facere possit". Cf. omnino Turneb. Adv. IV, 21. — Versus Varronis sunt tetram. jamb. catal.

4. Ap. Non. p. 215, 17. v. Nervi — Neutri. — *nervias* Codd., unde *nervia* restituimus cum Gesn. et Forcell., quod vel Nonii verba postulabant. Neutrum posuit etiam Petron. Sat. c. 45. — Cf. Ovid. Am. I, 8, 60.: „Tractat inauratae consona fila lyrae".

5. Ap. Non. p. 79, 33. v. Basis. — *physicen* sc. artem musicam.

6. Ap. Non. p. 182, 31. v. Vulgavit; et p. 30, 30. v. Vulgus — Masculino. — Vide Merc. adnot. ad locum priorem.

7. Ap. Non. p. 483, 12. v. Mansuete, et mansues, pro mansuetum, ut sit nominativus mansues. — *e loco* Codd. *eo loco* Popma. *ilico* cj. Gulielm., Palm. — Hac narratiuncula, quam apud alium quoque scriptorem me legere memini, Varro probare studet mirificam vim illam et efficacitatem, quam musica vel in feras et brutas bestias exercet.

8. Ap. Non. p. 555, 3. v. Verutum est telum breve et angustum; et p. 555, 31. v. Venabulum, venantium telum latissimum. — *a cerv.* vel *ac cerv.* Codd. in priore loco, sed in altero constanter praebent *aut c.*, quod habet etiam Laurenb. — *ab artem* ed. noviss. *ob artem* cj. Merc. et Gulielm. Veris. II, 19. *ah artem* Laurenb. et Roth. — Vituperat scriptor nimium illud et inutile et crudele venandi studium. Cf. Sat. *Meleagr.*

9. Ap. Non. p. 215, 15. v. Nervi — Nervia feminini apud doctos lectum est saepe.

10. Ap. Non. p. 93, 14. v. Cibarium, quod nunc aut de pane sordido aut de alio indigno dicatur. — Mirifice ineptiit Gulielm. Veris. II, 19. hunc locum explicans sic: „Fratrem amoris et

amicitiae significationem habere notum est: hine eleganter Varro fratrem cibarium dixit, qui congerroni suo impendio victum curat eique tanquam pro cibo est". Imo voc. *cibarius* referendum est ad *Aristoxenus*, cujus, musici utpote praeclari, nomen hic non secus usurpatum est atque Aristotelis supra in *Eumen.* fr. 17. Cibarius igitur Aristoxenus quivis dicitur malus musicus.

11. Ap. Non. p. 141, 9. v. Masculum pro forti ac vehementi. — *ad rem* sc. veneream, ut reor. Palmerii et Barthii conjecturae *masc. Arem* et *masc. Heraclem* nihili sunt. Apuliam optimis pascuis et lautissimo pecore abundasse notum est. Colum. VII, 2. *testic. inveneris* Laurenb.

12. Ap. Non. p. 56, 21. v. Sarcinatrices non, ut quidam volunt, sarcitrices, quasi a sarciendo, sed magis a sarcinis, quod plurimum vestium sumant (!). — „Machinae pergulae sunt, in quibus sarcinatrices opus factitabant, non hoc modo Minervae, sed alterum quoque illud, ni fallor, Veneris. Semper enim id genus mulierculae hanc partem male audiverunt. Itaque Qu. Cicero C. Antonio crimini posuit, amicam eum in praetura de machinis emisse, de Petit. Consul. [c. 2.]: „Quo tamen in magistratu amicam, quam palam domi haberet, emit de machinis". *Gulielm.* Veris. II, 12. Minus recte Turn Adv. VIII, 9. et XXV, 4., qui machinam explicat moletrinam, pistrinum. Cf. Salmas. Exercit. Plin. p. 851. — Gloss. Steph.: „Sarcinatrix ἠπήτρια". Fronto in Gothofr. Auct. L. L. c. 1327.: „Sartrix quae sarcit, Sarcinatrix quae sarcinas servat". Sarcinatrices in marmoribus quoque memorantur, ut in Reines. Syntagm. IX, 77. p. 580.: „Callityche Liviae — Sarcinatr.", et IX, 78. p. 581.: „Verania — Prima Juliae Aug. L. — Sarcinatrix", et alia inscript. ap. Gulielm. l. l.: „Julia Jucunda — Aug. L. Sarcinatr.". — Orell. Inscr. 645. Gaj. Digest. XV, 1, 27. Boettig. Sabina tom. II, p. 106. — De re adeas interprr. ad Horat. Ep. II, 1, 140. sqq.

13. Ap. Non. p. 80, 2. v. Badius. — *ita nati* Jun. *murrhinus* cj. Carrio. Cf. Pallad. Mart. XIII, 4. Colum. R. R. VI, 37.

14. Ap. Non. p. 88, 3. v. Cluet, nominatur. — *disc. dicor, porro is f.* Merc. *dicorporrois f.* ed. noviss. ex Cod. Guelf. *bicorporis f.* cj. Bentin. et Jun.; idem vel *bicordis f.* cj. Roth. *tricorporis* vel *tricordis f.* (cf. Gell. XVII, 17.) cj. Osann. in Ephem. Lit. Hal. 1843. suppl. p. 692. *fuit Ennius, Mus.* Codd. *Enni, Ennius Mus.* cj. Roth. *fuit Ennii, Mus.* Laurenb. *cluit. Ennius Mus.* cj. Jun. et Planck. *clueo* Popma, Planck. contra Codd. fidem. *Pimpleius cluet* cj. Osann.; inepte. — Verba sunt hominis insolenter sese juxta Ennii et Pacuvii nomen efferentis. Ennius bicorpor dicitur, quia animum suum primum Homeri, deinde pavonis fuisse dictitaverat. Pers. Sat. VI, 60.: „Cor jubet hoc

Enni, postquam destertuit esse Maeonides Quintus pavone ex Pythagoreo". V. schol. ad Horat. Epod. XV, 21. et schol. ad Stat. p. 105. ed. Lindenbr.

15. Ap. Non. p. 176, 30. v. Suscitabulum honeste positum incitamentum. — *Fonicia* Codd. Recte; nomen derivandum a φωνή et cieo (cf. voc. praecia), et ipse Varro paulo post interpretatur. *Phoenicis* (Plin. X, 2. Lactant. Phoen. v. 45. sqq.) vel *fornicis* cj. Turn. Adv. XII, 16. *Phoeniciae* cj. Scal. *Phonascus* cj. Jun. Pro simplici *sum*, quod Codd. servant, dedimus *adsum* cum Jun., Laurenb., Turneb. *sunt vocis susc.* ed. 1526., Jun.

16. Ap. Non p. 49, 32. v. Praesepia — omnia loca clausa et tuta dicta praesepia. — *melodinist onos* Merc. et ed. noviss. *melodin is tonos* Codd. Guelf. et Lugd. *melodiis diis est* cj. Merc. *melodinis sit* Popma. *melodis naeniis* Scal. Catal. p. 254. Turn. Adv. XXIX, 17.: „Melodinus Varro a melodia dixit: *Si quis melodinis ὄν. λ.*". — *μελῳδεῖν ἐστ' ὅ λ.* ingeniosa est conjectura Canteri Nov. Lect. V, 22. — Versus Varronis refer ad eos, qui neglectis et posthabitis omnibus studiis liberalioribus toti in rebus forensibus occupantur.

17. Ap. Non. p. 16, 22. v. Lactare est inducere vel mulgere, vellere, decipere. — Continua hoc fr. cum antecedenti. *Amusiam* vocabulum h. l. positum male Freund. in lex. explicat Unkunde in der Musik. Homo enim ἄμουσος dici potest et is, qui in ulla aut qualibet artium liberalium parte rudis et indoctus est. Ceterum adverte homoioteleuta *delectet* — *lactet*, quae figura Varroni in deliciis fuisse videtur, tam multa reperiuntur in his Saturarum frr. ejus exempla.

18. Ap. Non. p. 100, 31. v. Diis, diutinis ac jugibus; et p. 183, 7. v. veget pro vegetat vel erigit. — *nobilem* Ald., Jun. *mobilem* Merc. et ed. noviss. ex suis Codd. *dinum* ms. Jun., Laurenb. *lirans* cj. Jun., Laurenb. — Mobilis lyra aut dicitur, quia facilis tractatu est, aut quia ad flebiles modos pariter quam ad hilares et jucundos parata et apta est. Harmoge est harmonia: de colorum tonis rite temperandis usurpat vocabulum Plin. XXXV, 5. — Adjectivum dius, a, um ea significatione, qua positum h. l. esse Nonius contendit, neque Forcell. neque Freund. in lex. agnoscunt. Neque opus est, motus dios explicare diutinos ac juges.

19. Ap. Non. p. 101, 1. v. Dioteria. — *Quam mobilem neque* Codd., sed recte omis. Merc. et Popma priora duo vocabula, quae ex superiore loco per errorem irrepserunt. — *orthopsalticium* Merc. et ed. noviss. *ortopsalticium* Cod. Lugd., Ald., Jun. *atque orthophallicum* praebet mg. Jun. *et* vel *atque orthophallica a. psalteria* cj. Scal. ad Manil. V, v. 178. p. 258. sq., Laurenb.,

Popma, prob. vel Forcell., qui orthophallicum interpretatur *τὸν φάλλον* erigens, h. e. obscenum. Equidem malui edere *orthiopsalticum* i. e. acutos sonos vel hilares et jucundos modos edens; nisi fortasse scribendum est *orthopsalticum*. Dio Chrysost. in Protheos. ad Psalm., cujus verba latine facta hic refero: „Psalterium unum est instrumentorum, quae fidibus tenduntur, sed erectum, cujus sonus altrinsecus ex superiore parte redditur. Habet autem decem verticilla, quae in jugo ipsius vertuntur, totidemque chordas sono dispares: dextra plectrum tractabat, laeva altrinsecus chordis oberrans per intervalla digitosque frequenter transponens vel gravem vel acutum mistumve sonum excitabat". — *Dicteria* explicat Scalig. l. l., dicens vocabulum esse scenicum, quasi *δείγματα*, „quia videlicet erant specimen futuri cantus aut modorum fidicinorum. Nam experimentum in antecessum dabant mimarii scurrae et pantomimi et citharistae. Cum autem scurra urbicarius prodiret in scenam, citharam aut psalterium adferebat, aliquid proludii loco praecenturus ad colligendum studia et favorem spectatorum". Rectius Freund., qui derivat a *δάκνω*, ut sit quidquid mordaciter aut salse dicitur. Cf. Eurip. Hecub. v. 235.: „*Μὴ λυπρὰ, μηδὲ καρδίας δηκτήρια — ἐξιστορῆσαι*". H. Steph. Thes. L. G. v. *Δεικτήριον*.

20. Ap. Non. p. 176, 19. v. Scenatilis vel scenaticus pro scenico. — *Ut comici, nothidi* Codd. *nothi dii* mg. Jun., Laurenb. *cinaedici* cj. Scal., Popma. Recte.

21. Ap. Non. p. 30, 30. v. Exordium est initium. — Collocare exordia i. e. exordia facere. — Cf. Scalig. l. l. et ad Varr. L. L. V, p. 67. ed. Bipont.

22. Ap. Non. p. 372, 29. v. Producere dicitur longius ducere. — *Valete meque p.* Scal. Catal. p. 255., Popma. Palmulis producere aliquem videtur esse palmarum plausu aliquem prosequi.

LXIV. PAPIA PAPAE, *ΠΕΡΙ ΕΓΚΩΜΙΩΝ*.

Nonii Codices constanter exhibent *Papiapapae π. Εγκ.* — „Est et Varronis Satirae titulus *Papia papae* (sic), quod est papae patercule: quo immodicos laudatores et assentatores vituperabat, qui in admirationem saepe solent prorumpere et assentatoria laude hominibus adulari". Haec Turneb. Adv. XVII, 22. Similiter Casp. Barthius Adv. XLVII, 20: „Inscriptio autem illa Satirae *Papia papae* (sic) mere latina videtur; nec audio doctissimos homines, qui trans mare eunt titulum illum explicaturi. Cum enim *περὶ Ἐγκωμίων* sit ea Satira, et amatores blandimentis suis pueros, etiam nondum verba recte formantes, superare soleant, Varro ex re ipsa nomen libello dedit, ut Papia papae! sit blandimentum puerile velut qualia fingunt amatorculi in mutuis collocutionibus".

1. Ille ales gallus, qui suscitabat Atticarum Musarum scriptores, an hic quia gregem rabularum?
2. Quare resides lingulacae, obtrectatores tui, jam nunc murmurantes dicunt: Μωμήσεταί Τις Μᾶλλον Ἢ Μιμήσεται.
3. Omni obstant in ministerio invidûm tabes.
4. Praetor vester eripuit mihi pecuniam; de ea questum ad annum veniam ad novum magistratum, cum hic rapo umbram quoque spei devorasset.
5. Imperito nonnunquam concha videtur margarita, putamen smaragdos.
6. Si et accusator et reus erunt tenebriones, uterque utrumque vituperato.
7. Qui potest laus videri versa? cum motu saepe furaces essemus, ac nequissimus civis juxta ac Publius Africanus.
8. „Hoc Graecis renuntiatio, ut facile intellegeres, nos ab his amari", conmurmurantur αὐτοί.
9. Dominum convivii, vinum, aliudve quidni? — laudato!
10. Dum vixi, promisca avis meis in chortibus
Pavit.
11. Sigilla inpressa in mento Amoris digitulo
Vestigio demonstrant mollitudinem.
12. Quos calliblepharo naturali palpebrae
Tinctae vallatos mobili septo tenent.
13. Collum procerum, fictum levi marmore,
Regillam tunicam discingit purpurâ.
14. Ante auris modo ex subolibus demittebantur sex cincinni: oculi suppaetuli nigellis pupulis quam hilaritatem significantes animi! rictus parvissimus ut refrenato risu roseo!

1. Ap. Non. p. 26, 21. v. Rabulae, litigiosi, a rabie dicti. — *an hic, quia* Codd. *an hic, qui* cj. Merc., Popma. — Per priorem gallum significantur bella Persica, quae Herodotus novem libris complexus est, qui postea Musarum nominibus Alexandriae sunt inscripti. Gallum autem signum Persarum militare fuisse

notum est ex Plutarch. Artax. c. 10. — Alter gallus notus ille praeco est matutini temporis, quo confluunt rabulae in forum: unde forenses rabulas dixit Symmach. Ep. III, 23.

2. Ap. Non. p. 26, 17. v. Lingulacae dicuntur verbosi. — *Quare residit l.* Codd. *resident* Ald., Popma. *desident* Laurenb. *resides l.* cj. Merc. *Quare fit, ut l. obtr.* — *dicant* cj. Turn. Adv. XVII, 24. — De proverbio Graeco Diogenian. VI, 74.: *M. T. M. H. M.* *Ὅτι ῥᾷότερον τὸ ψέγειν.* Proverb. e Cod. Coislin. 345. explicant *Ἐπὶ τῶν τὰ καλὰ βασκαινόντων.* Cf. Proverb. e Cod. Bodl. 243. Proverbii auctor dicitur Apollodorus, Atheniensis, pictor clarissimus. Plutarchi Proverb. II, p. 346. A. ed. Wyttenb.: „*Ἀπολλόδωρος ὁ ζώγραφος ἀνθρώπων πρῶτος ἐξευρὼν φθορὰν καὶ ἀπόχρωσιν σκιᾶς, Ἀθηναῖος ἦν, οὗ τοῖς ἔργοις ἐπιγέγραπται, Μωμ. T. M. H. M.* V. Plin. H. N. XXXIV, 8. et XXXV, 9.

3. Ap. Non. p. 495, 28. v. Accusativus numeri singularis positus pro genitivo plurali (sic). — *O mi optanti m.* Codd. Nos recepimus Popmae emendationem. *inviduum* ed. noviss.

4. Ap. Non. p. 26, 30. v. Rapones a rapiendo dicti. — *Praetor noster* Ald., Popma. *Pr. mihi eripuit* omisso τῷ *vester* Laurenb. *h. rapo etiam umbr. spei dev.* Laurenb.

5. Ap. Non. p. 213, 23. v. Margaritum — Feminini. — *conca* Codd. *mutami simargdos* Codd. *ut amethystus smaragdus* cj. Jun. *vitrum smaragdus* cj. Merc. *putamen smaragdos* cj. Gerlach. Optime.

6. Ap. Non. p. 19, 5. v. Nebulones et Tenebriones. — Cf. Terent. Phorm. V, 3, 17.: „Uterque utrique est cordi“ Caes. B. G. VII, 35, 1.: „Quum uterque utrique esset exercitus in conspectu“.

7. Ap. Non. p. 322, 6. v. Juxta, similiter. — *vera? cum* cj. Popma. *vera in noxiis* ms. Daniel. *vera? innoxius* (sive *innocuus*) *aeque furacei est servus ac n. civis* cj. Merc., cujus verba juvat hic addere: „Diximus supra Satiram fuisse de iis, quae falso admirari et laudare homines soliti; idque titulus ipse indicat. In iis laudibus liberum esse, civem Romanum esse, contra docet neutrum in laudis verae ac solidae parte ponendum; quando nec bonus servus minus servus sit quam malus, nec bonus civis, Africanus puta aut Laelius, magis civis quam Tubulus aut Catilina. Servum innoxium, aut innocuum, nam hoc fortasse propius ad librorum nostrorum scripturam, opponit furaci, quia vitia servorum vulgo, furtum ac fuga: quae fere juncta semper, ut Terentio, Martiali, Hieronymo. ‚Et furem non esse, fugitivum non esse‘, laudes servorum, non aliorum: Philostrato, atque Hieronymo: eaeque fere expressae in venditionib. servorum l. 17. in fine, et l. quod si nolit §. si venditor. De aed. edict. altera etiam

necessaria, quamvis non expressa, fugitivum non esse". — *c. motus saepe* Codd., pro quo conjectura reposuimus *c. motu s.*; *motu* significat κατὰ πάθος, καθ' ὁρμήν. — *nequiss. ibis j.* Codd. Dicit Varro omnibus hominibus, integerrimis pariter atque nequissimis, malos appetitus a natura insitos esse. P. Africani abstinentiam laudat etiam Cic. de Off. II, 22. — *furaces ciemus atque nequissimus ibis* sqq. Popma.

8. Ap. Non. p. 478, 8. v. Murmurari pro murmurare. — *auto* Cod. Guelf. *aucto* Merc. *autoi* ed. noviss.

9. Ap. Non. p. 281, 29. v. Dominus — convivii exhibitor. — *quid mi laudato* Codd. *quidni laudabo?* cj. Gerlach. *Aut dominum, aut vinum aliud quid ni laudato* Laurenb.

10. Ap. Non. 83, 16. v. Chortes sunt villarum intra maceriam spatia. — *promis caris mei in ch. pavit* Codd. *promis carus meis in* cj. Jun., Popma. *promiscam me meis* Laurenb. *promisca avis* cj. Roaldus; optime. *pavi* Laurenb., Popma. *promis caris me in cortibus pavit* cj. Turn. Adv. XXIX, 21.: „Jure enim promae cortes appellantur, quae multa promunt et suppeditant ad victum". Vereor tamen, ut adjectivum promus, a, um hac significatione apud ullum veterem scriptorem legatur. Diversa enim est vocabuli ratio apud Tertull. de Resurrect. Carnis c. 27.: „In cellis proma caro salita, et usui reposita servatur". — De cortibus v. Varr. L. M. V, 88. Schneid. ad Varr. de R. R. I, 13.

11. Ap. Non. p. 135, 22. v. Mollitudinem pro mollitie. — *demonstrat* Codd. *demonstrant* mg. Jun., Gulielm., Scalig. Catal. p. 252.

12. Ap. Non. p. 218, 28. v. Palpebrae feminino. — *Quos* intell. oculos. *mobilis septos* ed. noviss. ex suis Codd. *mobiles* cj. Jun. *mobili* cj. Scal., Merc. *septo* cj. Scal., Jun., Merc.

13. Ap. Non. p. 539, 12. v. Regilla vestis deminutive a regia dicta, ut et basilica. — *diffingitur purp.* ed. noviss. *diffungitur p.* ed. princ. *discingitur* cj. Jun., Laurenb. *diffinitur p.* cj. Scalig. *discingit purp.* (= privat h. e. praestat) nostra conjectura est.

14. Ap. Non. p. 456, 6. v. Rictum ferarum dici volunt, cum auctor sit etiam hominis dici debere. — *nodo ex* cj. Scal., Gifan., Palmer., Laurenb. contra Codd. fidem. Neque cincinni nodo solent complicari. *sed cincinni* Codd. *demittuntur sex cincinnoli* cj. Scal. *seu cinc.* cj. Pitisc. in thes. v. Cincinni, qui testatur aliquot Codd. habere *sex cinc.* — *ex cinciunis* cj. Gifan. *oculis supetulis nigellis populi quam hilar.* ed. noviss. *oculis suppaetulis, nigellis pupulis, quam hil.* Merc. *oculi suppaetuli* Jun., Gifan., Scal., Lips., Palm. *pupilli* Ald., Jun., Gifan. *sed cincinni oculis suppaetulis, nigellis pupillis* Scriver. l. l. CX, p. 51. *pupulis* Scal., Lips., Palm. *aliquam* cj. Gifan. *nescio*

quam cj. Lips. *quandam* cj. Scal., Palm. *animitus, at r.* cj. Scal. *purissimus* cj. Lips. *p. ore frenato* cj. Lips., Palm., Popma. *refrenatus* cj. Gifan. — Suboles in arboribus sunt *αἱ παραφυάδες*. Hinc de capillis Varro, et Appulej. Met II, p. 218., de Fotide sua: „Cum capillus frequenti subole cumulat verticem". Cf. Adr. Jun. de Coma c. I. Boettig. Sabin. p. 122 et 162. — Cincinni, quos describit Varro, sunt antiae alias appellati. Cf. Fest-Paull. sub ea voce, et Isidor. Origg. XIX, 31.: „Anciae sunt cincinni dependentes prope auriculas, graeco vocabulo ab auribus dictae". De vocabulo *rictu* videsis Doederl. Synon. III, p. 249.

LXV. PAPPUS AUT INDIGENA.

Titulus conjecturae ope a nobis restitutus. Alii inscribunt *Pappus aut Judex*, *P. aut Index*, *P. aut Indiges*, vel *P. aut de Indigamentis;* sed perperam. Locus Nonii, in quo liber citatur, in omnibus Codd. sic habetur: „Varro Pappo, aut indige: nasturcium indige non invides in eo dici quod nasum torqueat? sqq. Quem locum, una eademque corruptela bis infectum, ita restituendum esse: V. Pappo aut Indigena: Nasturcium indigena non vides ideo dici sqq., nemo est quin videat. — Mercerus putat librum Varronis etymologicum fuisse, in quo senex pueris (?) indicaret vocum latinarum origines. Neque veri valde absimile hoc, si quidem fragmenti rationem sequi liceat. Senex autem ille etymologicen tractans ipse ille videtur esse Pappus, Atellanarum ridiculus senex, de quo v. Munk. de Fab. Atell. p. 32. et Reuvens. Collect. Liter. C. IX, p. 149. — Ceterum cf. supra in Comment. Cap. III, p. 61.

1. Nasturcium, indigena, non vides ideo dici, quod nasum torqueat: vestispicam, quod vestem spiciat?

1. Ap. Non. p. 12, 22. v. Vestispici appellabantur vestium custodes servi. — *Nasturtium nonne vides dictum* — — *vestispicum, quod v. speciat?* Laurenb. *nonne vides ab eo dici* cj. Merc., Popma. Cf. supra in adn. ad inscr. libri. — Varro L. L. VII, 12.: „Sic dicta vestispica, quae vestem spiceret, id est videret vestem ac tueretur". Masculinum praebet inscriptio ap. Reines. Synt. XI, 95.: Philodamus — C. Sulpici. Vestipi — H. S. E.

LXVI. PARMENO.

Inscriptio ex proverbio, uti videtur, explicanda, quod affert Gaisford. in Proverb. e Cod. Coisl. ed. 220. p. 140: „*Εὖ μὲν, ἀλλ' οὐδὲν πρὸς τὴν Παρμένοντος ὗν: Ἐπὶ τῶν πειρωμένων τι μιμεῖσθαι οὐκ ἐφικνομένων δέ. Παρμένων γὰρ ὁ ζωγράφος ὗν γράψας ἀνέθηκεν, ἣν καὶ φωνὴν ἀφιέναι οἱ θεώμενοι ἐδόκουν.*" Paullo aliter rem narrat Plutarch. Symposiac. V, 1.: „*Ὁ δὲ μιμούμενος ἀλεκτορίδα βοῶσαν καὶ κορώνην, εὐφραίνει. Καὶ φθισικοὺς μὲν ὁρῶντες δυσχεραίνομεν· ἀνδριάντας δὲ καὶ γραφὰς φθισικῶν ἡδέως θεώμεθα, τῷ τὴν διάνοιαν ὑπὸ τῶν μιμημάτων ἄγεσθαι κατὰ τὸ οἰκεῖον. Ἐπεὶ*

τι πάσχοντες, ἢ τίνος ἔξωθεν γενομένου πάθους, τὴν Παρμένοντος ὗν οὕτως ἐθαύμασαν, ὥστε παροιμιώδη γενέσθαι; καίτοι φασὶ τοῦ Παρμένοντος εὐδοκιμοῦντος ἐπὶ τῇ μιμήσει, ζηλοῦντας ἑτέρους ἀντεπιδείκνυσθαι· προκατειλημμένων δὲ τῶν ἀνθρώπων, καὶ λεγόντων· Εὖ μὲν, ἀλλ' οὐδὲν πρὸς τὴν Παρμένοντος ὗν· ἕνα λαβόντα δελφάκιον ὑπὸ μάλης, προσελθεῖν· ἐπεὶ δὲ καὶ τῆς ἀληθινῆς φωνῆς ἀκούοντες ὑπεφθέγγοντο· Τί οὖν αὕτη πρὸς τὴν Παρμένοντος; συναφεῖναι τὸ δελφάκιον εἰς τὸ μέσον, ἐξελέγχοντα τῆς κρίσεως τὸ πρὸς δόξαν, οὐ πρὸς ἀλήθειαν· ᾧ μάλιστα δῆλόν ἐστιν, ὅτι τὸ αὐτὸ τῆς αἰσθήσεως πάθος οὐχ ὁμοίως διατίθησι τὴν ψυχὴν, ὅταν μὴ προσῇ δόξα τοῦ λογικῶς ἢ φιλοτίμως περαίνεσθαι τὸ γενόμενον". — **De argumento Saturae Popmae conjectura haec est: „Insectatur mortalium stultam temeritatem, qui, cupiditatibus et ambitione praecipites, se ipsos assiduis laboribus fatigant, cum nihil sit beatius, quam rebus omnibus relictis, studiis ingenuis operam navare. E quibus humanissimam et aptissimam ad tranquillitatem vitae curarumque levationem judicat poeticen, cujus partes multas et varia genera (?) recenset".**

1. Lepusculi timentes hoc quadrangulum:
Dedit Diana rete nexile, ἄρκυας,
Viscum fucatum lineamque compedem.
2. Ferens ferream humero bipennem securem.
3. Alius caballum arbori ramo in humili adligatum relinquit.
4. Alius teneram abietem solus percellit.
5. Caeditur lotos, alta frons decidit Palladis platanus ramis.
6. Alia trabs pronis in humum accidens proxumae frangit ramos cadens.
7. Exeunt citi, strepunt, [exeunt,] bount.
8. Cedit velocibus juvenis membris, levis, nitidus oleo.
9. Cavo fonte ut cum inrigavit cavata aurium anfracta, in silvam vocans.
10. Micandum erit cum Graeco, utrum ego illius numerum, an ille meum sequatur.
11. Pudet me tui et Musarum agnoscere: piget currere et una sequi.
12. Paginae hujus nascuntur pueri Rythmus et Melos.
13. Dimittis acris pectore curas cantu castaque poesi.
14. In quibus partibus in argumentis Caecilius poscit palmam, in ἤθεσιν Terentius, in sermonibus Plautus.

15. Poema est λέξις ἔνρυθμος id est verba plura modice in quandam conjecta formam; itaque δίστιχον ἐπιγραμμάτιον vocant poema. Poesis est perpetuum argumentum ex rythmis, ut Ilias Homeri et Annalis Enni. Poetice est ars earum rerum.

1. Ap. Non. p. 28, 9. v. Compedes non a pedibus dictae, sed ab impedimento; et p. 451, 25. v. Viscum positum pro rete, a tenacitate. — *timentis* quod praefert Scal., major Codd. numerus praebet in altero loco; *timentes* habent in priore Codd. Guelf. et Lugd., ed. Ald. et 1526., Popma, Turneb. Adv. XXIX, 17. Nec alias insuctum est Nonio, sententias scriptorum abruptas et nexu legitimo privatas laudare. — Quadrangulum interpretatur Scal. ad Varr. L. L. V, p. 46. ed. Bip. ex Polluce *τετράγωνον τὸ σχῆμα βρόχων*. — *ἄρκυας* explicat Suid. s. v. *Ἄρκυς. τὸ θηρευτικὸν δίκτυον. τὰ λίνα, ἃ ἱστᾶσι πρὸς ἄγραν τῶν λεόντων. παρὰ τὸ ἕλκω, τροπῇ τοῦ λ εἰς ρ. ἢ παρὰ τὸ εἴργειν, τὸ κωλύειν. τοῦ δὲ ἄρκυς ἐκτείνεται ἡ ὑστέρα συλλαβὴ, ὁμοίως ἐπί τε τῆς ὀρθῆς καὶ τῆς αἰτιατικῆς πτώσεως. καὶ ἄρκυς γὰρ καὶ τὰς ἄρκυς. Καὶ Ἀρκυωρός, ὁ φύλαξ, ὁ τὰς ἄρκυς, τουτέστι τὰ λίνα, φυλάττων. ἔστι δὲ ταῦτα τὰ κυνηγετικὰ πάντα λίνα. Καὶ Ἀρκυωρεῖν, τὰς ἄρκυς τηρεῖν· αἵ εἰσι θηρευτικὰ λίνα.* — Pro *fucatum*, quod ex conj. dedimus, Codd. praebent *fugam* vel *fuge*.. Merc. cj. *fugai*, Turn. Adv. XXIX, 17. *fugamque*, alii *fugelam*, Jun., Laurenb., Popma, ed. 1583. *sagenam*, Gerl. *viscatam fundam* (!). — *Viscum* v. Serv. ad Virg. Georg. I, 139. Martial. Spectac. XI: „Praeceps sanguinea dum se rotat ursus arena, Implicitam visco perdidit ille fugam. Splendida jam tecto cessent venabula ferro, Nec volet excusso lancea torta manu Deprendet vacuo venator in aëre praedam, Si captare feras aucupis arte placet“. — *compedam* Codd. utroque loco.

2. Ap. Non. p. 79, 19. v. Bipennis sqq. — *securem* Codd. — Priscian. VII, p. 758. Putsch. *securim* Laurenb. Bipennem securem ancipitem vocat Ovid. Metam. VIII, 396. Cf. Isidor. Origg. XIX, 19.

3. Ap. Non. p. 86, 15. v. Caballus. — *arboris* ante Jun., Laurenb.

4. Ap. Non. p. 152, 10. v. Percellere, evertere, percutere.

5. Ap. Non. p. 486, 12. v. Frons pro fronde. — V. Merc. adnot. ad Non. p. 679. — *lucos* Ald., Jun. *lucus* cj. Bentin., mg. Jun., Scal., Laurenb., Popma. *lutos* ed. noviss. ex suis Codd. *lotos* Merc. Plin. XIII, 17. ibique interprr. Spanheim. ad Callim. H. in Dian. v. 244. p. 345. ed. Ern. et Interprr. ad Martial. Epigr.

VIII, 51, 14. — *frus* Laurenb. in Antiq. s. v., sed idem alio loco (s. lit. N.) praebet *fros*. Cf. Sosip. Charis. 1, 21, §. 106. et §. 107. ed. Lindem. (p. 105. ed. Putsch.). — *platanus* genitivus est; cf. Heyne ad Virg. Culic. p. 123., ubi arbor Palladi sacrata item componitur cum loto. — *alta* Ovid. Met. XIII, 794.

6. Ap. Non. p. 178, 30. v. Trabs; et p. 494, 32. v. Pronis positum pro prona. — *Alia* Codd. utroque loco; fortasse *alta* restituendum. Trabs hic arbor est. — *proxume* vel *proxime* Codd., quibus novissimi edd. usi sunt. *proxumae* vel *proximae* Scal., Merc.

7. Ap. Non. p. 79, 7. v. Bount dictum a boum mugitibus. — Alterum *exeunt* om. Ald., Jun., Merc., Laurenb., Popma.

8. Ap. Non. p. 251, 9. v. Cedere, — incedere. — *velocius* Popma.

9. Ap. Non. p. 193, 8. v. Anfractum. — *E cavo f.* Popma.

10. Ap. Non. p. 347, 30. v. Micare est sortiri digitis. — *ego* om. Casaub. ad Suet. Octav. c. 13.

11. Ap. Non. p. 424, 10. v. Pudet et piget hoc distant: pudet enim verecundiae est, pigere poenitentiae. — Nota structuram luxatam, quum pro genitivis *tui et Musarum* proprie exspectentur accusativi *te et Musas*. — Sententia aperta est.

12. Ap. Non. p. 213, 13. v. Melos — Masculino. — Pro *Paginae huj.*, quod conj. dedimus, Codd. tenent *Paci in huj. Pari huj.*, quae Popmae conjectura est, haud displicet. *Bacchiis nasc.* Laurenb. *Palimbacchiis nasc.* cj. Jun., Palm. *Patri huj.* cj. alii.

13. Ap. Non. p. 240, 33. v. Acre, — austerum, acerbum, asperum; et p. 267, 13. v. Castum, — suave, jucundum.

14. Ap. Non. p. 374, 7. v. Poscere, accipere. — *In qu. part.* Haec verba omisit Popma. Merc. in adn. ad hunc locum putat ea reliqua esse ex antecedente Varronis clausula; sed hac conjectura vix opus est, quum satis commode possint cum reliquis intelligi. — *ethesin* Codd. *ethesi* Popma, Orell. — De Caecilio cf. Volcat. Sedig. ap. Gell. XV, 24. De Plauto Varronis epigr. ap. Gell. I, 24. De Terentio eundem ap. eund. VII, 14. Cf. Bernhardy Hist. Lit. Rom. p. 189. sqq. — Poscere palmam Varro jam supra dixit in Sat. Γνῶθι Σεαυτὸν fr. 6.: „Non subsilis ac plaudis? et ab Arato posces astricam coronam? — Quid enim hoc mirius?“

15. Ap. Non. p. 428, 19. v. Poesis et poema hanc habent distantiam: poesis est textus scriptorum, poema inventio parva, quae paucis verbis expeditur. — *e rythmis* Popma. *et rythmis* habent Cod. Lugd., ed. Ald. et Jun. *arg.* ἔνρυθμον Gothofr. *quae iisdem rythmis composita sunt carmina, ut Il.* sqq. supplenda

cj. Gerlach.; sine justa causa. Cf. Lucil. Sat. VIII, fr. 16. p. 331. ed. Haverk. (ap. Non. p. 428, 19. laudatum), quod aliis constituendum relinquo.

LXVII. ΠΕΡΙ ΑΙΡΕΣΕΩΝ.

Philosophicarum sectarum placita perstrinxisse Varronem hoc libro, et inscriptio et vel ipsa ratio Varronianae verisimile facit. — Neque abs re videtur apponere hic verba Varronis e libro *De Philosophia* citata ab Augustin. De Civ. Dei XIX, 1: „M. Varro tam multam dogmatum varietatem diligenter et subtiliter scrutatus advertit, ut ad CCLXXXVIII sectas, non quae jam essent, sed quae esse possent, adhibens quasdam differentias facillime perveniret".

1. Porro inde ab unoquoque compito ternae viae oriuntur, e quibus singulae exitum ac τέλος habent proprium. A primo compito dextimam viam munit Epicurus.
2. Neque in pulvere mythico coquam carnes, quibus satullem corpora ac famem ventris.
3. Tum contremula, aquilenta apud alta litora oriris ac nobilis omnibus reluces.

1. Ap. Non. p. 94, 27. v. Dextima pro dextra; et ap. Priscian. III, 4, p. 120. ed. Kr. — *ad coelos hab.*, quod praebent Nonii Codd., Prisciani Cod. Dresd., edd. Venet. 1 et 2., probante Krehlio, ineptum est; et Gifan., Lips., Laurenb., Popma et Mercerus jam dudum reposuerunt ex aliis exemplaribus *ac τέλος*. Tautologice loqui Varroni non insuetum; cf. Sat. *Agath.* fr. 7.: „Numnam caelatus in manu dextra scyphus Caelo dolitus artem ostentat Mentoris?" — Fragmento Varronis lucem fortasse aliquam adspergit Augustin. de Civ. D. XIX, 1., qui ex libro ejus de Philosophia haec affert: „Quatuor esse (ait Varro) quaedam, quae homines sine magistro, sine ullo doctrinae adminiculo, sine industria vel arte vivendi, quae virtus dicitur et procul dubio discitur, velut naturaliter appetunt: aut voluptatem, qua delectabiliter movetur sensus: aut quietem, qua fit, ut nullam molestiam quisque corporis patiatur, aut utramque, quam tamen uno nomine voluptatis Epicurus appellat: aut universaliter prima naturae, in quibus et haec sunt et alia: vel in corpore, ut membrorum integritas, et salus atque incolumitas ejus: vel in animo, ut sunt ea, quae vel parva vel magna in hominum reperiuntur ingeniis. Haec igitur quatuor, id est voluptas, quies, utrumque, prima naturae, ita sunt in nobis, ut vel virtus, quam postea doctrina inserit, pro-

pter haec appetenda sit, aut ista propter virtutem, aut utraque propter seipsa ac per hoc fiunt hinc duodecim sectae. Per hanc enim rationem singulae triplicantur, quod cum in uno demonstravero, difficile non erit id in ceteris invenire. Cum ergo voluptas corporis animi virtuti aut subditur aut praefertur, aut jungitur, tripertita variatur diversitate sectarum sqq.“ Qui Augustini, aut Varronis, rectius dicam, locus si recte ad Sat. fr. a nobis accommodatus est, quaenam sint illa compita dicta, quorum ab unoquoque ternae viae oriantur, omnino in plano erit.

2. Ap. Non. p. 171, 14. v. Satullem pro saturem. — *mitico* Codd. *mythico* ante Ald., ed. 1526., Jun., Popma, Gulielm. Veris. III, 13. *in pulv. Libyco* cj. Mercurialis. *Nec in polubro mystico* cj. Scalig., Laurenb., qui versus inesse putant. *carnem* Codd., Merc. et noviss. edd. *carnes* ed. 1526., Jun., Laurenb., Scalig. — Intelligo de nimio et inepto antiquitatis studio, quo docti homines interdum laborare solent.

3. Ap. Non. p. 351, 27. v. Nobilis dicitur et notus. — *relucens* Codd. *reluces* Turneb. Adv. XXIX, 28., Popma, Davis. ad Cic. N. D. II, 19., qui cum Gothofredo versus trimetros restituit sic: „Tum contremula, aquilenta apud alta litora Oriris, ac reluces nobilis omnibus“. De vocab. *aquilentus* Turn. l. l.: „Aquilentum pro aquatico, ut a musto mustulentum, a vino vinolentum“. Locum de luna accipiendum esse nemo est qui non videat.

LXVIII. *ΠΕΡΙ ΕΔΕΣΜΑΤΩΝ.*

Castigasse videtur hoc libro scriptor profundae gulae libidinem, quae terra marique coenas conquirit. Similis et argumenti et rationis fuerunt Ennii *Hedyphagetica*, saepius scriptoribus laudata (cf. fr. servat. ap. Apulej. Apolog. p. 484.), quae Archestratum Geloum imitatum illum composuisse non abs re statuisse videtur Heins. de Sat. Horat. II, p. 103. Comparandi sunt etiam Horatii Ofellus et Catius.

1. *Varro in Satura, quam* Περὶ Ἐδεσμάτων *inscripsit, lepide admodum et scite factis versibus coenarum ciborumque exquisitas delicias comprehendit. Nam pleraque id genus, quae helluones isti terra marique conquirunt, exposuit exclusitque in numeros senarios. Et ipsos quidem versus, cui otium erit, in libro, quo dixi, positos legat. Genera autem nominaque edulium et domicilia ciborum omnibus aliis praestantia, quae profunda ingluvies vestigavit, quae Varro opprobrans exsecutus est, haec sunt ferme, quantum nobis memoriae est: Pavus e Samo,*

Phrygia attagena, grues Melicae, haedus ex Ambracia, pelamys Chalcedonia, muraena Tartessia, aselli Pessinuntii, ostrea Tarentina, pectunculus Chius, elops Rhodius, scari Cilices, nuces Thasiae, palma Aegyptia, glans Hiberica.

2. Si, quantum operae sumpsisti, ut tuus pistor bonum faceret panem, ejus duodecimam philosophiae dedisses, ipse bonus jam pridem esses factus. Nunc illum qui norunt, volunt emere milibus centum, te nemo centussis.

1. Gell. VII, 16., ubi v. quae interprr. adnotarunt.
2. Ap. Gell. XV, 19. — Cf. Bernhardy Hist. Lit. Rom. p. 311. n. 571.

LXIX. ΠΕΡΙ ΕΞΑΓΩΓΗΣ.

Erat hic liber de Stoicorum placito, qui docebant esse aliquando sapientis officium, voluntaria morte e vita excedere. Cf. Wyttenbach. ad Plat. Phaed. p. 336. Cicer. de Finn. III, 18. Diog. Laert. VII, 130. 176. Stobaei Ecl. Eth. II, p. 226. — Mortem autem sibi consciscere ἐξάγειν ἑαυτὸν veteres dicebant, unde ἐξαγωγή vocabulum, hac peculiari mortis significatione usurpatum etiam Plutarcho Moral. p. 1063: „Ἀλλὰ καὶ τούτοις μόνην οἴονται καθήκουσαν εἶναι κἀκείνοις ἐξαγωγήν“, et Origeni c. Cels. p. 414: „Φαμὲν δὲ καὶ πρὸς ταῦτα, ὅτι εὔλογος ἐξαγωγὴ οὐδεμία ἡμῖν εἶναι δοκεῖ; εἰ μὴ ἡ δι' εὐσέβειαν καὶ ἀρετὴν μόνη.“ — De Varronianae Saturae ratione Mercerus ad Non. p. 745. haec adnotavit: „Disputatio omnis Varronis in hoc libro de causis abeundi ex hac vita: in iis de communi illa passimque usurpata veteribus, qui victi ne victoribus ludibrio essent praeoptabant mortem, idque cum laude. Plena exemplorum omnia. Et ad hanc caussam exemplum Annibalis. Altera causa desperatione vitae in angustiis rebus, exemplo Andromedae, quam non probavit Varro (?), ut improbata consensu optimi cujusque et sapientissimi veterum, qui mollitiei tribuunt non fortitudini, ferre adversa non posse. Tertia videtur fuisse, vitandi mali causa, mali dico Stoici, hoc est, ne quid mali in te admittas, si ferri te ad vitium sentias; si corpus invitet te ad flagitium, quam causam abitionis videtur probasse Varro (?), idque exemplo morborum, qui corpori accidunt. Digitus praeciditur, ne malum serpat ad brachium: quidni et folliculus hic, ne perrepat ad animum? speciosa ratio, falsa tamen. Malum ac vitium vitandum est aliis rationibus, non malo ipso: quae disputatio longa et praeclara“.

1. Quaerit ibidem ab Hannibale, cur biberit medicamentum: „Quia Romanis“, inquit, „me Prusiades tradere volebat“.

2. Andromeda vincta et proposita ceto, non debuit patri suo, homini stupidissimo, in os spuere vitam?
3. Non vituperamus, cum sciamus digitum pracidi oportere, si ob eam rem gangraena non sit ad brachium ventura.
4. Quemnam te esse dicam, fera qui manu corporis fervidos fontium aperis lacus sanguinis teque vita levas ferreo ensi?
5. Quid puer rogasset et petasatus capite annuisset, ac discedens numero venire ait adulescentem.
6. Quam sympathian lumbi ad oculos haberent? — quid magnum interesset, puerum utrum essem devirginatum usurus, an μονογέροντας, pueros dum cogito?

1. Ap. Non. p. 345, 21. v. Medicamentum rursus venenum, ut Graece φάρμακον. — *Prusias* mg. Jun. *Prusiades* quod Codd. tenent, dictum, ut Scipiades pro Scipione Lucilio ap. Gell. IV, 17. et Lucretio III, 1047. Cf. Priscian. II, p. 582. Patronymico vero uti hic scriptor eo facilius poterat, quia plerique Bithyniae reges Prusiae dicti erant *Pr. me tr.* Laurenb., Popma. De Annibalis morte cf. praeter alios et Solin. Polyh. c. 44.

2. Ap. Non. p. 400, 10. v. Stupidus — stultus et iniquus. — *spuere* Merc. et ed. 1842., sed *exspuere* praebent Codd. Guelf. et Lugd., ed. Jun., et 1583., Popma. — In os spuere vitam dictum est metaphora desumpta de Anaxarcho, philosopho, qui linguam dentibus praerosam Nicocreonti, Cypri tyranno, in os exspuit, ut narrant Plin. VII, 23. Diog. Laert. IX, 58. Justin. XII, 13. Valer. Max. III, 36.

3. Ap. Non. p. 117, 23. v. Gangraena est cancer. — *mox sit* Laurenb., Popma.

4. Ap. Non. p. 336, 31. v. Levare — etiam minuere. — *Quemnam* — *feram* Codd. *Quamnam* cj. Turn. XXIX, 28., Laurenb. *ense* Laurenb. Hermannus Elem. D. M. p. 303. versus Bacchiacos systematum perpetuitate cohaerentes scrutatus sic locum restituit: „Quemnám te esse dícam, ferá qui manú cor-porís fervidós fontium áperis lacús san-guinís, teque víta levás ferreo énse?“ prob. Beyero ad Cic. Off. p. 353. — *fontium lacus* cf. Sat. *Quinquatr.* fr. 8. — Vita se levare commode eum dicimus, cui vita plena laborum et taedii fuit.

5. Ap. Non. p. 352, 23. v. Numero significat cito. — *Quod* Popma. *ait venire* Laurenb.

6. Ap. Non. p. 458, 25. v. Virgines — etiam pueri investes: nam et quicunque ex ephebis excesserant devirginati dicebantur. — *quid imaginum int.* Codd. *quid magnum int.* cj. Jun., Laurenb., prob. Merc. Recte. *quid inguinum* cj. Lips., Popma. Inepte. *puer utrum esse dev.* Codd. *puerum u. esset* cj. Jun., Lips., Laurenb., prob. Merc. *puerum u. essem* Popma, quem secuti sumus. *an monucepωc αc purus, d. c.* Codd., *an μόνον ἐρώσας*, quod cj. Jun., Lips., Laurenb., Popma, prob. Merc., quid unquam significet, assequi nondum potui. Nobis quidem sine omni dubitatione legendum videbatur esse *an μονογέροντας* (i. e. *γέροντας* morosos et omnem voluptatem, quae ex hominum usu capi possit, plane aspernantes) *pueros dum c.* h. e. dum mihi fingo senes istos decrepitos pueros esse.

LXX. *ΠΕΡΙ ΚΕΡΑΥΝΟΥ.*

Si recte autumo hic liber fuit in homines superstitiosos et meticulosos, qui, rerum caelestium ignari, fulmen, Jovis telum, expavescebant idque pro summo omine habebant. Vide quae disputat Odofr. Mueller in Etrusc. tom. II, l. III, c. 7. p. 162 sqq.

1. *Testatur etiam Terentius Varro in ea Satura, quae inscribitur* Περὶ Κεραυνοῦ, *majores solitos decimam Herculi vovere nec decem dies intermittere, quin pollucerent ac populum* ἀσύμβολον *cum corona laurea dimitterent cubitum.*

2. Cum dixisset Vitulus, ecce tibi caldis pedibus quidam navicularius semustulatus irrumpit se in curiam!

3. Cognito enim tonitru fulget, et tonitruum fulgura a fulmine orta.

1. Macrob. Saturn. III, 12. — V. Hartung. Relig. Rom. tom. II, p. 27 sqq. Cf. Plut. Sulla. c. 35. Munck. de Fab. Atell. p. 141. Dion. Halic. Antiqu. I, 40. Interprr. ad Plaut. Stich. I, 3, 80.

2. Ap. Non. p. 268, 19. v. Calidum — caldum, citatum, velox. *tibi* om. Jun., ed. 1583., Laurenb, Popma et Barth. *irrupit se* Ald., Jun., Popma. *irrupit in c.* ms. Fabri. *semiustulatus* ed. 1583., Jun, Palm., Popma. Vitulus erat agnomen Mamiliorum et Pomponiorum. Cf. Varro de R. R. II, 1, 11. et II, 11, 12., ubi memorat scriptor quendam Vitulum, quem inter amicos habuit. C. Mamilium Vitulum, qui a u. 547 colonos de oppidis Siculorum Agrigentum deduxit, memorat Cic. in Verr. II, 50, 123., ubi cf. Zumpt.

3. Ap. Non. p. 28, 16. v. Fulgura dicuntur coruscationes a fulgore. — *Cognitio enim tonitrum f. et tonitrium fulguris a f. o.*

ed. noviss. *enim trium fulget* Mss. Merc., Guelf. et Ludg. *enim tonitrum* Ald., Jun. *trium fulgetrae tonitrui fulguris* cj. Merc. *enim trium, fulgetri, tonitrui et fulguris a f.* cj. Salmas. ad Solin. p. 1135 (1629.). *enim fulgetruo, tonitrui, fulguris* Turn. Adv. XXIX, 17. *Cognito e. tonitru fulget et post tonitrum fulgura a* sqq. cj. Popma. *Cognito enim tonitru fulget, sed tonitru ut fulgur a fulmine ortum* cj. Gerlach. Nos dedimus fragmentum ex nostra conjectura. — Ceterum cf. Doederl. Synonym. II, p. 77 sqq.

LXXI. *ΠΕΡΙΠΛΟΥ* LIB. I, ET LIB. II. *ΠΕΡΙ ΦΙΛΟΣΟΦΙΑΣ.*

Περίπλους Varronis opus erat bipartitum, cujus altera pars separatim *περὶ Φιλοσοφίας* inscripta citatur. Operis ratio quae fuerit, in tanta reliquiarum paucitate non satis cognitum est; sed si quid ex titulo conjici licet, didacticum fuit, in quo omnium disciplinarum, philosophiae maxime, orbem adumbravit breviterque descripsit, quasi eorum instar, qui terram circumnavigarunt, et, Oceani incognita ratibus permensi, *Περίπλους* condiderunt, ut Hanno, Pytheas alii. — Ceterum moniti sint lectores, *Περίπλου* libros a Popma aliisque non esse inter Saturas relatos, ad quas tamen pertinuisse certum facit quum duplex inscriptio (cf. supra in Commentat. Cap. III, p. 61.), tum versus, qui insunt, et festivus color orationis. — Liber Varronis *de Philosophia*, qui ab Augustino saepius citatur, prorsus diversus esse videtur a *Περίπλου* hujus secundo. —

LIB. I.

1. Tum vero doces historiam necessariam: semel unum singulum esse.
2. In hac civitate agros colunt harenosos; praeter hos fluit amnis, quam olim Albulam dicunt vocitatam.
3. In hac civitate tum regnabat Dionysius, homo garrulus et acer.

LIB. II, περὶ Φιλοσοφίας.

1. Et ne erraremus: ἐκτροπὰς esse multas: omnino tutum esse sed spissum iter.
2. Ac nulla ambrosia ac nectar, non alium [et] sardae, sed:

   Panis, πέμμα, lucuns, cibu' qui purissimus multo est.
3. Itaque videas barbato rostro illum commentari et unumquodque verbum statera auraria ponderare.

I. 1. Ap. Non. p. 171, 19. v. Singulum pro singulare. — *Tu vero* cj. Roth. *simul unum* Codd. *historiam* h. e. rem, ut nos dicimus: das ist eine schöne Geschichte, das ist eine schlechte

Geschichte, die Geschichte ist einfach, pro das ist ein schöner, ein schlechter Vorfall, et die Sache ist einfach. — *semel unum singulum esse* cf. supra Sat. *Octogess.* περὶ Νομισμάτ. fr. 2.

2. Ap. Non. p. 192, 7. v. Amnem — feminino. — *harenosos* Codd. *propter hos* Laurenb. — Cf. Schneider. ad Varr. R. R. III, 5, 9 („altera amnis"). Tiberinum amnem antea Albulam esse vocitatam narrant Plin. III, 5. Varr. L. L. V, 3. Augustin. de Genesi c. Manich. II, 10.: „Sicut nunc Tibris dicitur fluvius, qu prius Albula dicebatur".

3. Ap. Non. p. 316, 14. v. Garrulae, — Garrulus est rursum cordatus. — Garrulo epitheto Varro notat Dionysii (qui major est) argutiam et vanitatem illam, qua se literarum cultorem ostentare amabat.

II. 1. Ap. Non. p. 392, 32. v. Spissum significat tarde. — ἐκτροπαὶ sunt deverticula, ut explicant Vett. Gloss. et Turn. Adv. XXIX, 2. Plut. Moral. p. 580. F.: „Πορευομένοις δὲ αὐτοῖς διὰ τῶν ἑρμογλυφίων παρὰ τὰ δικαστήρια σύες ἀπαντῶσιν ἀθρόοι βορβόρου περίπλεοι καὶ κατ' ἀλλήλων ὠθούμεναι διὰ πλῆθος· ἐκτροπῆς δὲ μὴ παρούσης, τοὺς μὲν ἀνέτρεψαν ἐμβαλοῦσαι, τοὺς δὲ ἀνεμόλυναν". Aen. Tact. XV, p. 43.: „Περί τε — τὰς ἐκτροπὰς τῶν ὁδῶν, ὅπου ἂν τρίοδοι ὦσιν, εἶναι σημεῖα". Cf. Aristoph. Ran. v. 130. ibique schol.

2. Ap. Non. p. 131, 22. v. Lucuns. — *sed* quod tenent Codd., male omiserunt Jun., Scal., Laurenb., Turn. Adv. XVIII, 20. — *alium et sarde* Codd. *alia, sardae* Jun., Scal., Laurenb. *allia: sardae et Panis* cj. Popma. — Lucuns est genus operis pistorii, ut explicat Fest-Paull. p. 119., ubi cf. Muelleri adnot.

3. Ap. Non. p. 455, 18. v. Rostrum hominis dici non debere consuetudo praesumpsit. — *illum* intell. philosophum, fortasse Cynicum vel Stoicum, in quorum πωγωνοτροφίᾳ irridenda multi sunt veteres scriptores. Statera auraria ponderare prorsus nostrum est: auf die Goldwage legen, vel: auf der Goldwage abwägen. Cf. Cic. de Orat. II, 38.: „Haec nostra oratio multitudinis est auribus accomodanda ad ea probanda, quae non aurificis statera, sed quadam populari trutina examinantur".

LXXII. ΠΛΟΥΤΟΡΙΝΟΣ.

Sosip. Charis. I, 8, 29. p. 59. ed. Lindem. (p. 81. Putsch.): „*Scriptulum*, quod nunc vulgo sine *t*, Varro in *Plautorino* (sic Cod. et vett. edd.) dixit". — Libri titulum corruptum esse iam vidit Popma, qui conjecit *Plutorinen* (a πλοῦτος et ῥινή = lima) esse restituendum, quod receperunt et alii. Popmae verba exstant in adnot. ad Sat. *Κοσμοτορ.*, περὶ Φθορᾶς Κόσμου: „*Cosmotorinen* (sic!) et *Plutorinen* Varro Satiras inscripsit, in quibus videtur disseruisse, repentinas calamitates bel-

lerum, eluvionis, pestilentiae, turbare mundum et divitias, et tandem conficere atque consumere, perinde ac cochlear omnia, quae in olla, commiscet, et ut lima ferrum atterit". — Mihi verisimilius est, libro inscriptum a Varrone fuisse *Πλουτόρινον*, vocabulum compositum ex *πλοῦτος* et *ῥινός*, quo notetur vulgi opinio, opes scilicet et divitias tanquam pro validissimo scuto esse contra tristes et infelices casus vitae humanae. Ceterum non improbabilis Popmae conjectura est, ad hanc *Πλουτόρινον* pertinere locum Arnobii adv. Gent. VI, p. 203. ed. Cant. (p. 129, 4. ed. Elmenb.): „Ubi denique Apollo divinus, cum a piratis maritimisque praedonibus et spoliatus ita est et incensus, ut ex tot auri ponderibus, quae infinita congesserant saecula, nec unum quidem habuerit scrupulum, quod hirundinibus hospitis, Varro ut dicit Menippeus, ostenderet". De quo loco vide etiam supra in Commentat. Cap. II, p. 48 sqq. et infra ad Sat. fr. inc. 3.

LXXIII. PRANSUS PARATUS.

Inscriptus est liber proverbiali locutione, qua supra jam erat Varro usus in Sat. *Flaxtab.*, *περὶ Ἐπαρχιῶν* fr. 6: „Quare, o Marce, pransum ac paratum esse te hoc minume oportet!" — Translata est ea locutio a militibus, qui pransi et curatis corporibus, expediti ac parati ducebantur ad pugnam. Cicer. pro Milon. c. 21: „Adde inscitiam pransi parati oscitantis ducis". Cato ap. Gell. XV, 13. „Exercitum suum pransum paratum, cohortatum eduxit foras atque instruxit".

1. Lunâ exspectant Adriam se itiner longum sermone levare.

2. Contra coactus cervus latratu canum
Fertur bisulcis ungulis nitens humu.

1. Ap. Non. p. 482, 19. v. Itiner dictum pro iter. — *exspectante* Jun., Laurenb., Popma. *expectans* Cod. Lugd., ed. princ., Ald. *spectant* Mercer. *Adria se it.* Codd. *Adriam* cj. Roth. Recte. *sese it.* mg. Jun., Laurenb., Popma. *itiner* v. Priscian. VI, 7, 38. Kr. Sosip. Charis. I, 16, 55. ed. Lindem., Non. p. 490, 12. sq. et p. 485, 3. — *Luna* v. Plin. III, 5. Muell. Etrusc. tom. I, p. 106. sq. et p. 293. sq. — *Adriam* v. Plin. III, 13.

2. Ap. Non. p. 335, 18. v. Niti, ambulare; et p. 488, 6. v. Humu pro humo.

LXXIV. PROMETHEUS LIBER.

Nonii exemplaria hunc librum ita fere laudant, tanquam simplex titulus ejus sit *Prometheus*, et ipsum opus pluribus libris comprehensum fuerit. Signo enim compendii in verbis: „Varro *Prometheo lib.*'," quod etiamnunc in optimis mss. servatum passim reperitur, non intellecto aut certe neglecto librariorum oscitantia paulatim factum est, ut hodie in plerisque locis corrupte legatur: „V. *Prometheo lib. I.*", vel „V. *Prometheo lib. II.*", vel etiam in „V. *Prometheo lib. XV.*" Mendum agnovit primum Mercerus, qui ad Nonium p. 653. haec adnotavit: „Cre-

dunt vulgo *Promethei* nomine scriptos Varroni plures libros; nam et ex primo quaedam adferuntur, et ex secundo et quintodecimo, infra v. evirescat: et saepe ex Prometheo libro, sine adjectione numeri. Mihi fere certum, titulum fuisse libri *Prometheus liberatus*. Id compendium scriptum qui non intelligebant addiderunt pro arbitrio libri nomen, interdum suppresserunt". Verissime hoc; quamquam cum novissimis Nonii editoribus titulum maluimus scribere non *Prometheum Liberatum*, ut Mercero placuit, sed *Prometheum Liberum*, ut critica religio postulare videbatur. Simili errore purgavimus Diomedem I, p. 395. ed. Putsch., ubi s. v. Demolio citatur Varro *Poetico libro*. Is enim Poeticus liber Varronis nunquam exstitit, neque ulli alii scriptori laudatur; sed erat corrigendum: „V. *Prometheo Libero*". Cf. etiam supra in Comment. C. III, p. 65 sq. — *Prometheo Libero*, quem versus satis frequentes vindicant Saturis, inter quas eum non receperat Popma, de hominis natura tractatum fuisse, Merceri conjectura est ad Non. p. 696.

1. Ego infelix non queo a me vim propulsare atque inimicum orco inmittere! necquicquam saepe aeratas manus compede conor revellere!

2. Sum ut supernus cortex aut cacumina
Morientum in querqueto arborum aritudine.

3. Atque exsanguibus dolore evirescat colos.

4. Mortalis nemo exaudit, sed late incolens
Scytharum inhospitalis campis vastitas.

5. Levis mens numquam somnurnas imagines
Adfatur, non umbrantur somno pupulae.

6. Et tamen non demolio astra.

7. Gallica porta carros adcurat usque politos.

8. Aemulum illius artis atque obstrigilatorem; quapropter aliquot annos quaesti nihil fecerit.

9. Humanae quandam gentem stirpis concoquit,
Frigus calore atque humore aritudinem
Miscet.

10. Retrimenta cibi qua exirent per posticum vallem feci.

11. Cum sumere coepisset, voluptas retineret,
Cum sat haberet, satias manum de mensa tolleret.

12. In tenebris ac suili vivunt: nisi non forum hara, atque homines, quî nunc plerique, sues sunt existimandi.

13. Eburneis lectis et plagis sigillatis.

14. Chrysosandalos locat sibi amiculam de lacte et cera

Tarentina, quam apes Milesiae coegerint ex omnibus floribus libantes, sine osse et nervis, sine pelle, sine pilis, puram, putam, proceram, candidam, teneram, formosam.

15. Alia emit mitram ricinam aut mitram Melitensem.

16. Id ut scias, audi hoc, quod falsum dicis esse: nemini oculos opus esse, si habet.

1. Ap. Non. p. 28, 2. v. Compedes non a pedibus dictae, sed ab impedimento. — *non queam vim pr.* Codd. *queo avim pr.* cj. Merc. sc. vulturem, de quo v. versiculi ex Aeschyli tragoedia conversi ap. Cic., Qu. II, 10, 24.: „Namque, ut videtis, vinclis constrictus Jovis, Arcere nequeo diram volucrem a pectore". — *queo a me vim* scripsimus ex conjectura. *compedes con.* Codd. *aeratas manu compedes con. rev.* cj. Gerlach.

2. Ap. Non. p. 199, 26. v. Cortex — Masculini. — *Tum ut si supernus* Codd. *Tum visus sup.* Ald., Jun., Popma. *Dum iis subernus* cj. Scal.; perquam inepte. *Sum ut sup.* ex conj. restituimus. Verba sunt ipsius Promethei, in Caucasi rupibus adfixi et siti cruciati. *querqueto et arb. amaritudine* Codd., quod correxerunt Is. Voss., Schneid. ad Varr. R. R. I, 17., Meyer in Anthol., et Roth.

3. Ap. Non. p. 101, 22. v. Evirescat. — *exsangui calore* cj. Scalig.

4. Ap. Non. p. 417, 13. v. Vastitas, desertio. — Sunt verba Promethei. — *Mortales* Codd. *Mortalis* cj. Scal., prob. Merc. *incolens* bellum oxymoron, quare reprehendendus est Gerl., qui vult *insolens*, quod vel per se non potest placere. *campis* Codd. *campi* Laurenb. Cf. Plaut. Rud. IV, 2, 3.: „Neptuno, qui salsis locis incolit". *Sattharum inh.* Codd. *Sacarum* cj. Jun. *barathrum inh.* Jun., Popma. *Scytharum inh.* cj. Jun., prob. Merc.

5. Ap. Non. p. 172, 3. v. Somnurnas dixit quae in somnis videantur Varro. — *Levis mens* Codd. *Levisomna mens* cj. Scal., Popma, Laur. *Levius m. nunquam somnorinas* cj. Bentl. ad Lucret. IV, 451. *umquam* Codd. *numquam* corr. Salmas. *somnurnas* Codd. constanter utroque loco. *sonorinas* cj. Scal. et interpretatur ἤχους ἐναύλους, quod nimis longe petitum est. *somnorinas* Popma, Laurenb., Bentl. Somnurnae imagines sunt phantasmata; cf. Macrob. in Somn. Scip. I, 3. Adjectivum somnurnus, a, um, a somnus, ut diurnus, Viburnus, nocturnus, quae exempla sat docent suffixum — urnus, a, um cum pura vocabuli, a quo adjectivum formetur, radice copulari. Freundius quidem in lex. lat. s. v. adjectivum somnurnus non agnoscit, sed somnurns, nescio qua causa, emendandum esse censet. *umbratur* Codd.

6. Ap. Diomed. I, p. 395. ed. Putsch. — Cf. supra ad Sat. inscr. *demolio rostra* Putsch. *dem. astra* Laurenb. v. Molio, quod praeferendum erat.

7. Ap. Non. p. 195, 30. v. Carra, Masculini. — V. nos supra in Comment. Cap. III, p. 65. sq. — De sententia fragmenti nihil potest constitui.

8. Ap. Non. p. 492, 18. v. Quaesti pro quaestus. *quae propter* Codd. noviss. ed. *quae per* Popma. *qui per* Jun., Merc. *quapropter* cj. Roth, quod recepimus. Refer verba ad Prometheum homines fabricantem et Jovis aemulum.

9. Ap. Non. p. 71, 22. v. Aritudinem pro ariditate. — *Humanarum quandam g. st. conquit* Codd. *Humanam* Ald., Jun. *Humanae — concoquit* cj. Scal., Laurenb., prob. Merc *calore atque humore ar. Miscet* Codd. *calori atque humori ar. Miscens* cj. Scal., Laurenb. Varr. de L. L. V, 59. sq.: „Qui caldor e caelo, quod hic innumerabiles ac immortales ignes; itaque Epicharmus (sc. Ennii) de mente humana dicit istic: „Est de sole sumptus ignis, isque totus mentis est", ut humores frigidae sunt humi, ut supra ostendi. Quibus junctis caelum et terra omnia exgenuerunt, quod per hos natura: „Frigori miscet calorem atque humori aritudinem". — Varronianae Saturae fr. refer iterum ad Prometheum hominum fabricatorem. — F. Osanni (in Diar. Lit. Hal. 1843. suppl. p. 694), Cod. Ms. Fabri fide perquam suspecta parum caute innitentis, conjectura, qua statuit hoc fr. Varronis pertinere ad libros ejus Rer. Hum., inepta et nihili prorsus facienda est.

10. Ap. Non. p. 217, 23. v. Posticam — Neutro. — *exierint* Codd. plerique. *exierunt* praebet Cod. Lugd., ed. Ald. et Jun. *exirent* cj. Roth. optime. *vallum feci* Codd. novissime collati. *p. evallefeci* Merc. *vallem feci* Laurenb. Recte. *canalem feci* cj. Ruhnk. *Per posticum* h. e. per podicem. Nam verba sunt ipsius Promethei describentis, quomodo homines edolaverit. — Erravit hunc locum Varronis ad sua probanda citans Muellerus ad Fest-Paull. p. 577. v. Vallescit.

11. Ap. Non. p. 172, 9. v. Satias pro satietas. — *tollere* Codd. *tolleret* cj. Merc., cujus verba appono: „De natura hominis tractatum eo libro (sc. *Prometheo Lib.*); in eo tractatu notarat ex animadversione veterum philosophorum, inditam a natura voluptatem esui ac potui, ut ea illecebra animalia ferrentur ad pastum necessarium tuendae vitae; satietatem, ne nimia sumptione onerarentur". — Versus constituendos aliis relinquo.

12. Ap. Non. p. 120, 20. v. Hara est porcorum stabulum. — *homines ibi nunc* cj. Gerl; inepte. Qui h. e. cujusmodi vel quales.

13. Ap. Non. p. 378, 8. v. Plaga aliquando pars lecti, ali-

quando omnis. — De plaga cf. Non. p. 537, 20., ubi explicat „grande linteum tegmen, quod nunc torale vel lectuarium sindonem dicimus, quorum deminutivum est plagula". Sigillatae plagae sunt plagae ζωδιωταί. Gloss.: „Sigillum, ἀνδριαντάριον, ζώδιον". — De eburneis lectis cf. infra ad Sat. *Quinquatr.* fr. 2.

14. Ap. Non. p. 27, 24. v. Putus dictus est a putando. — *Chrysen* δοῦλος Turn. 17, 24. qui citat ex Sat. Ἑκατ. περὶ Θυσιῶν, et Laurenb. *vocat sibi* Ald., Jun., Popma et Cod Lugd. *osse et sine nerv.* Turn. — Bellissimum fragmentum.

15. Ap. Non p. 539, 26. v. Rica est quod nos sudarium dicimus — *Aliae mitram* (vel *mitrant*) Codd., unde commode restituimus *Alia emit mitr.* *mitram ricinam* Merc., Laur. Ricinus, a, um adj. agnoscitur etiam a Freund. in lex. et significat quod rica vel ricinio instructum est. Melite insula insignis fuit textrinis, auctore Diod. Sic. V, 12. Cf. Cic. in Verr II, 4, 46. Quod qui bene tenent, medicinam paratam habebunt Novii fr. ap. Non. p. 540, 12. v. Supparum (ubi vulgo legitur *belliensem*), et loco Isidori Origg. XIX, 22 („Velenensis tunica est, quae affertur ex insulis.").

16. Ap. Non. p. 497, 23. v. Accusativus pra ablativo. — *esse emis.* God. Guelf. et ed. Merc.

LXXV. PSEUDAENEAS.

Variant Codd. Prisciani in hoc titulo. Vulgata est *Pseudonea* (abl.); Dresdens. habet *Seudoneam*, Lips. 2. *pseudoena*, Lips. 1. *seute denea* (suprascr. *speudonea*), Lips. 3. *speudemona*. Ms. Heidelb. et Edd. Venet. 1 et 2. *pseudena*, Erlang. 1. *Pseudo acnea*, Erlang. 2. *Pseudenea*. Popma conjecit restituendum esse *Pseudoneus* (Ψευδόνεως), „ut hac Satira templorum cultum vanum et inutilem magnificentiam notasse putandus sit". Qui vulgatam tuentur, non inepte derivant vocabulum a ψεύδω et νέος et intelligunt de muliere vetula, quae puellam mentitur.

1. Per aeviternam hominum domum, tellurem, propero gradum.

1. Ap. Priscian. II, 11, p. 101. Kr. (p. 595. ed. Putsch.).

LXXVI. PSEUDULUS APOLLO, *ΠΕΡΙ ΘΕΩΝ ΑΝΑΓΝΩΣΕΩΣ*.

Citant hanc Saturam *Ps. Ap.*, *π.* Θεῶν Ἀπαντήσεως (Ald. et Popma), *Ps. Ap.*, *π. Θ.* Ματαιώσεως (Jun. et Laurenb.) vel *Ps. Ap.*, *π. Θ.* Ἀναγνωρίσεως (Turn. Adv. IV, 8); sed Mercerus et novissimi Nonii editores in suis libris clare scriptum invenerunt Ps. Ap., *π. Θ.* Ἀναγνώσεως. — De argumento Saturae Popma haec adnotat: „An religionem Deorum Varro queritur neglectam? cum homines improbi Deos quasi servos excipiunt, et ad omnia, quae volunt et affectant, producunt. An su-

gitat ipsos Deos? quos constat certis hominibus, ad libidinem suam designatis, mutata forma occurrisse et, quo liberius flagitiis suis indulgerent, servisse etiam mercenariam servitutem: sicut Apollo flagrans amore Admeti regis, ejus armenta pavit, nec agnitus fuit Deus (cf. Turn. l. l. et VI, 29.)". Quae conjectura si vera est, restituendum fortasse erit *Ψευδόδουλος Ἀπ. π. Θ. Α.* Sed magis placet vulgatam retinere, ut Pseudulus Apollo sit Apollo *Ψευδόμαντις* vel *Λοξίας*, ut passim appellatur. V. quae adnotavimus supra in Comment. Cap. IV, p. 82.

1. Cum sex pueri et puellae pariter item sex — haud septem sinuero —, quae cum choro pari vagarunt.
2. Quod in ejus Dei templa calceati introeunt: nam in oppido quae est aedes Appollinis et quae ibi alia Herculis, ut introeat nemo se excalciatur.

1. Ap. Non. p. 468, 2. v. Vagas pro vagaris. — *aut septem sin vero, quae* Codd. *aut septem numero quae* cj. Bentin., Jun. *aut sept. in utroque cum* cj. Merc „Vult parem chorum nec imparem numerum admittit; itaque legendum puto: *haud septem sinuero*". Popma; bene. — Ceterum nota particulas *Cum — et,* quae sibi respondent, ut ap. Liv. III, 50. Cic. ad Famil. Ep. XV, 11. „cum studiose ac libenter".

2. Ap. Non. p 478, 13. v. Excalceatur pro excalceat. — *et quae ibi ad Herculis* Codd. *et qui ibi ad Herculis* Jun., Scalig., Laurenb., Popma. *alia Herculis* ex conj. scripsimus. *ut* omissum ante Merc., Scal., Popma, Laurenb. *excalcietur* Codd. *excalceatur* Scal. *excalciatus* ed. princ.

LXXVII. QUINQUATRUS.

Quinquatrus (vel *Quinquatria*, ut Popma aliique inscribunt; sed cf. Ernest. ad Tacit. Ann. XIV, 12) — liber inscriptus Varroni a Minervae festo, de quo videndus est Muellerus in Etrusc. III, 3, 2. tom. II, 49. — De argumento Saturae Turn. Adv. XVII, 21. haec adnotat: „*Quinquatrus* de philosophia et medicina: nam Quinquatria Minervae, quae scientiis et artibus praeest, honori dicavit antiquitas". Fragmenta certe cuncta ad rem medicam pertinent; nec veri absimilis conjectura est, Varronem hoc libro medicorum aliquod certamen repraesentasse, qualia a poetis et oratoribus illo Minervae festo institui solitum esse traditum est. V. Xiphilin. LXVII, p. 759. A. Sueton. Domit. c. 4. Juvenal. Sat. X, 114.

1. Quid medico mihi est opus? — nempe tuo, absinthium uti bibam gravem et castoreum, levemque robur.
2. Tu, Phedi, contra turdas audes dicere, cum in eborato lecto ac purpureo peristromate cubare videas aegrotum, et ejus prius alvum, quam *τρυφὴν* subducere malis?

3. Quam in testudineo lecto, culcita plumea, in die dormire.
4. Qui Tarentinum tuum ad Heraclidem Ponticon contenderet!
5. An hoc praestat Herophilus Diogeni, quod ille e ventre aquam mittit? ad hoc te jactas? At hoc pacto utilior te Tuscus aquilex.
6. Hic bipensiles forcipes, dentarpagae.
7. Cape hanc caducam Liberi mollem dapem,
De fronde Bromiae autumnitatis uvidam!
8. Quam lympha melius e lacuna fontium
Adlata nido potili permisceat.

1. Ap. Non. p. 190, 25. v. Absinthium — Masculini; p. 314, 13. v. Grave, amarum; et p. 337, 5. v. Levare — relevare. — *opus Menippe tuo* cj. Merc. Inepte. „An legendum *nempe duo?* ut consequar illa duo scilicet, ut bibam amaras et insuaves potiones et vires corporis deminuam". Popma. Inepte.

2. Ap. Non. p. 229, 16. v. Turdi — Feminini. — *Phedi* ed. noviss. *Pledi* Cod. Lugd., ed. Jun., Merc. *Phaedi* Popma. Nomen nobis ignotum. *contra caudes audes dic.* Codd., quae conjecturas anavimus. Turdum feminine dici posse negavit Varro L. L. IX, 55. Id. R. R. III, 5. 6.; usurpat femininum Pers. Sat. VI, 24. — *ac purpure* (*purpurae* Merc.) *operis toro cub.* Codd. Merc. et ed. noviss. *purpurei* Ald., Jun., Popma. *ac purpureo peristromate cub.* Rothii ingeniosissima est conjectura, quae recipienda erat. *album quam typen subd. m.* Codd. *alphum* mg. Jun., cj. Popma. *alvum quam turdum* cj. Scal. *turdum quam alvum* cj. Lips. *quam τῦφον* cj. Ley. *quam tymben* Ald., Jun. *quam tylen* vel *tymben* cj. Popma. *alvum qu. typhen* cj. Roth. *alvum qu. τρυφὴν* ex nostra conjectura scripsimus. — Sermo medici cujusquam de aegroto divite et luxurioso. Alvum subducere dixit Cels. III, 4. — Turdos inter delicias habuerunt veteres; Horat. Ep. I, 15, 41. Martial. XIII, 92. Varr. R. R. III, 5, 6. — Eborati lecti sunt eburneis laminis vestiti; Plin. XVI, 42. et IX, 11. Cf. Plaut. Stich. II, 2, 53. Clem. Alex. Strom. II, 3. „*κέδρου τε εὐκεάτοιο, καὶ θύου, καὶ ἐβένου, καὶ ἐλέφαντος, κλιναί τε ἀργυρόποδες καὶ ἐλεφαντοκόλλητοι καὶ χελώνης πεποικιλμέναι κοῖται*". Plat. Com. ap. Athen. Deipnos. II, 48.: „*Κᾆτ' ἐν κλίναις ἐλεφαντόποσιν καὶ στρώμασι πορφυροβάπτοις — κἀν φοινικίσι Σαρδιανικαῖς κοσμησάμενοι κατάκεινται*". Cf. supra Sat. *Prometh. Lib.* fr. 13.

3. Ap. Non. p. 86, 4. v. Culcita. — *in diem* conj. quidam; haud male. De lectis testudineis v. quae adnotata sunt ad fr. antecedens.

4. Ap. Non. p. 260, 18. v. Contendere — Contendit, proripuit vel direxit significat. — *Tarentinum tuum* Codd. *Tarentum tum* cj. Merc. *Ponti contenderet* Codd. *Ponticum* edd. *contenderit* Ald., Popma. Heraclides Tarentinus, Herophili discipulus celeberrimus et empiricae scholae addictus. — Si recte locum intelligo, Varro dicit medicis a philosophis discendum esse.

5. Ap. Non. p. 371, 23. v. Praestare, antecellere; et p. 69, 18. v. Aquilex. — *In hoc pr.* Laurenb. *Diogene* Merc. bis. *Diogene* vel *Diogenis* ed. noviss. *Diogeni* Turn. Adv. XXIX, 3., Laurenb. *ad hoc te j.* Turn. l. l., ed. noviss. *an hoc te* Laurenb., Jun., Merc., Popma, qui cum Turnebo sic interpretatur: „An hoc te jactas, medice, inquit, quod e ventro hydropici aquam emittis? Sed hac re multum te praestat aquilex, qui arte elicit aquam e scaturiginibus". Gloss: „Aquilices, οἱ τὰ ὑδραγώγια ἐργαζόμενοι, οἱ ἀνοχετάριοι, ποταμῖται, ὑδροσκόποι". V. Mueller. Etrusc. IV, 8, 2. tom. II, p. 340. — De Herophilo, Chalcedonio medico, v. Schoell. Hist. Lit. Gr. tom. II, p. 265. sqq. et Fabric. Bibl. Gr. tom. VI, p. 240. sqq.

6. Ap. Non. p. 99, 24. v. Dentarpagas, quas Graeci ὀδοντάγρας vocant, Latine voluit appellari Varro. — *dentharpagae* Laurenb., Freund. s. v. in lex.

7. Ap. Non. p. 71, 16. v. Autumnitas pro autumno; p. 254, 11. v. Capere — accipere. — Uvidum de pomis succo abundantioribus usurpat Tertull. de Jejun. I, fin.: „Siccantes cibum ab omni carne et omni jurulentia ut uvidioribus quibusque pomis".

8. Ap. Non. p. 145, 2. v. Nidus pro poculo. — *lympham* — *Adlatam* ed. noviss. *limfa* — *Adlata* Scal., Popma, Laurenb. *permisceas* Gerl. *lacuna fontium* cf. supra in Sat. Περὶ Ἐξαγωγῆς fr. 4.

LXXVIII. SARDI VENALES.

Proverbium plenius et senario numero conceptum invenitur apud Cicer. ad Famil. Ep. VII, 24: „Sardi venales alius alio nequior". Commodus ejus est usus ubi magna frequentia sordidorum hominum, quorum ars et opera venum it. De origine adagii adeas Festum p. 322. ibique Mueller. — Recentiore tempore Petrus Cunaeus mutuatus a Varrone hunc titulum Saturae indidit cuidam, quam conscripsit contra homines inepte eruditos et quaecunque scripsere pueris ancillisque a furno et lacu redeuntibus offerentes. Prodiit Cunaei Menippea una cum Senecae Apocolocynthosi et Lipsii Somnio cum perpetuis notis G. Cortii Lips. 1720.

1. Non te tui saltem pudet, si nihil mei
Revereatur?

1. Ap. Non. p. 496, 33. — Pacuv. ap. Non. p. 497, 2.: „Nihilne te populi veretur, qui vociferare in via?“

LXXIX. *ΣΕΡΑΠΑΡΗΚΤΗ.*

Corrupte hic titulus in Nonii libris legitur *Sera parecte*. Ludere videtur hoc vocabulo *Σεραπαρήκτη* Varro in eos, qui a Serapide morborum curationem exspectant, praestigiatore illo Deo, quem perstrinxit etiam in Sat. *Eumenid.* frr. 16 et 17. Cf. nos supra in Comment. Cap. IV, p. 82 sq.

1. Purgatum scito, quoniam videbis Romae in foro ante lanienas pueros pila expulsim ludere.

1. Ap. Non. p. 104, 26, v. Expulsim dictum a frequenti pulsu. — *quam vid.* Codd., Merc. et ed noviss. *quoniam vid.* ante Merc., Laurenb., Turn. Adv. XX, 3., sed idem Adv. VI, 4. legit *quia vid.* — *quum videb.* cj. Jun. De sententia fragmenti nihil certi potest constitui. „Varro, ut opinor, dicit nullam esse in foro hominum frequentiam, alioqui pila pueri ante lanienas fori non luderent“. Turn. Adv. XX, 3. *ante januas* Laurenb. — De triplici pilae ludo adeas Turn. Adv. VI, 6. Dempster. Paralip. ad Rosin. Antiqu. p 187. sqq. Alex. ab Alex. Genial. Dier. III, 21. ibique interprr. — Lanienas in foro fuisse docet etiam Plaut. Epid. II, 2, 14. Cf. Nardin. Rom. Vet. V, 8.

LXXX. SERRANUS, *ΠΕΡΙ ΑΡΧΑΙΡΕΣΙΩΝ.*

Serranus, cujus nomine inscripta est haec Satura, est C. Atilius Serranus, quem sua manu spargentem semen qui missi erant invenerunt et ab aratro ad summos populi honores arcessiverunt. Valer. Max. IV, 4. Plin. H. N. XVIII, 5. Columell. de R. R. I, init. — Satura nobis videtur vitae ruralis et privatae laudes continuisse prae hominum ambitiosorum studiis, quibus reipublicae honores petunt. Aliter Popma: „Comitiorum ratio severa et integra, temporibus majorum, Serranos Curiosque tulit, fascesque per arva Tradidit, eque suo dictator venit aratro, ait Manilius: postea corruptis moribus, populus nullo delectu, nullo judicio usus in mandandis magistratibus; ita faex hominum irrupit in curiam, quod haec Satura notat“. — De tempore quo scripta est *Serranus περὶ Ἀρχαιρεσιῶν* vide nos supra in Comment. Cap. II, p. 46 sq.

1. Ait consulem mihi pilum cedere: subsilio et hostias ad extispices disputantes relinquo.

2. Retinet viatorem meridie praetereuntem fontem, quod autumnitas in anni tetrachordo mensum praeterierat.

3. Et petere imperium populi et contendere honores.
4. Dum in agro studiosius ruror, aspicio Triptolemum sculponeatum bigas sequi cornutas.
5. Occipitium a rivo deo ostendo, ex oraclo elimino me.
6. Noster Atticus, rivalis homo, item lectus in curiam macore macescebat.
7. Hunc vocasse de liquida vita in curiae vestrae fecem.
8. Dormit alius? nimirum vigilant, clamant, calent, rixant.
9. Rostrum in protrudendum cesserent.

1. Ap. Non. p. 16, 12. v. Extispices proprie aruspices dicti sunt, quod exta spiciant. — *pelum ced.* Codd. Merc. et ed. noviss., Popma. *pedum* Ms. Palat. et Basil. *pilum* Jun., quod recepi in textum, quamquam suspicio mihi est, olim in libris fuisse *mihi imperium cedere.* — *ed extispicis disputanti r.* Codd. *et extispices disputantis* cj. Merc. *hostias extispici disputanti r.* Laurenb., Popma.

2. Ap. Non. p. 71, 13. v. Autumnitas pro autumno; et p. 193, 19. v. Autumnus — Feminini. — *mensem* Codd. in priore loco, Laur. *mensium* Popma. *mensum* Codd. in altero loco, Turn. XXIX, 3., Jun.; mensum est spatium legitimum. *tetrachordio* Popma contra Codd. fidem. Tetrachordon, proprie instrumentum („Tetrachordos est chordarum cum certa qualitate divisio“ Mart. Capella IX, p. 303. ed. Grot.), quod tradunt Mercurium invenisse ex legitima varietate quatuor anni temporum. Macrob. Saturn. I, 19.

3. Ap. Non. p. 259, 31. v. Contendere — extorquere. — Est hexameter.

4. Ap. Non. p. 164, 22. v. Rurant pro rusticantur. — *ruro* Laurenb. *ruror* Codd., quod verum esse, licet Nonius activam formam citet, facile est intelligere. Grammaticus enim nil aliud vult probare, quam veteribus pro rusticari etiam rurare vel rurari verbum in usu fuisse. Sculpeonatus est qui sculponeis (h. e. calceamenti lignei genus, quo rustici utuntur) vestitus est. De origine vocis sculponea videsis Doederl. Etymol. VI, p. 325. Cf. Schneid. ad Cat. de R. R. c. 59. Turneb. Adv. VI, 23. Planc. Fulgent. de Prisc. Serm. p. 582, 33.

5. Ap. Non. p. 292, 23. v. Eliminare est exire. — Glossar. Steph.: „Eliminaverunt, ἐξώρισαν, ejecerunt“. — *arivo deo* Codd. *Arivo d.* Popma, quem fabulosum deum putat ipsum Triptolemum esse. *ἄρει Deo* Laurenb. *armo deo* cj. Jun. *a rivo* (sc. ablutum) cj. Gulielm. ad Plaut. Aulul. I, 1, 16. et P. Scriver. I. l. XIV, p. 19.: „Ait, ni fallor, se rivo ablutum Deo se stetisse;

tum oraculo audito templum egressum esse". Sequitur enim Scriverus vulgatam lectionem Codd., qui omnes praebent *ex oraclo el.*, excepto uno Bernensi, qui habet *exorando elimino me*, quod probat Gerlach. Legendum fortasse *ex ora clam el. me.*

6. Ap. Non. p. 137, 3. v. Macore pro macie. — *Atticus rivalis h.* Codd. *antiquus ruralis* cj. Gulielm. Veris. III, 18., Popma, qui confert Sat. *Γεροντοδιδ.* fr. 5. „priscus homo ac rusticus Romanus". *riv. domo iturus in curiam* cj. Gulielm. prob. Merc.; inepte. *in curiam cummacescebat* vel *commacescebat* Codd., unde restituimus *in curiam macore macescebat.* Vocabulum enim macor, sub quo citatum fragmentum a Nonio, omissum est a librariis. Macore autem macescere dictum, ut iracundia irasci, honore honestare, lucere luce, memoria meminisse et similia, quibus prae ceteris Plautinus abundat sermo. Aliorum conjectura *cum macore accedebat*, quam probat Forcellinus, mihi quidem displicet. — Rivalem quare Atticum dixerit Varro, me nescire fateor. An forte quia et ille erat rerum Romanarum diligentissimus auctor? ut appellat Nepos in Att. c. 18. Cf. Cic. ad Att. XII, 5, 3. 20, 2. 23, 2. XIII, 6, 4. 30, 3. 32, 3. Id. Brut. 11, 44. 19, 74. 5, 19. 3, 14. Ascon. in Pison. p. 13. Ceterum vide nos supra in Comment. Cap. II, p. 46. sq., ubi de hoc fragmento conjecturam fecimus ad aetatem ipsius Saturae.

7. Ap. Non. p. 334, 16. v. Liquidum, — purum. — *vocasset* Cod. Bern., mg. Jun. *vocas sed et l.* Cod. Lugd., Ald., Jun. *de liqu.* Popma. *v. ex. l. v.* Merc.

8. Ap. Non. p. 477, 23. v. Rixat pro rixatur. — *alius alii vig.* Laurenb. Intelligo haec verba de senatu.

9. Ap. Non. p. 455, 21. v. Rostrum hominis dici non debere, consuetudo praesumpsit. — *in protrud. cesserent* Codd. *in protrudendo inc.* cj. Jun. *intro trudendum cesserint* cj. Popma. *in protrudendum incesserent* ex conj. mutavi. — *Rostrum* cf. Sat. *Περίπλ. π. Φιλοσ.* fr. 3.

LXXXI. SESQUIULIXES.

Nonii libri passim citant *Sesquiulixem*, passim *Sesqueulixem*, passim *Sesqu: ulixem* (Plin. Praefat. ad H. N.: *Sesculyssem); Sesquiulyssem* scribunt Laurenb., Popma, Mercer. — Popma de hac Satura haec adnotat: „Hunc titulum ut magnificum notat Plin. in praefat. libror. Nat. Hist. (v. adn. ad inscr. Sat. *Flaxtab.*, *περὶ Ἐπαρχιῶν*). Videlicet Homerus fingit Ulyssem in mari decem annos solidos jactari: Varro suum, quem inducit, pares labores et errores subire in mari; hoc amplius haerere et errare in deverticulis philosophiae. Itaque (?) Sesquiulysses accipitur pro callidissimo et prudentissimo". Speciosa profecto conjectura; sed tamen conjectura.

1. Hic enim omnia erat: idem sacerdos, praetor, parochos, denique idem senatus, idem populus, caput.
2. In castris permansi, inde caballum reduxi ad censorem.
3. Itaque tum equum mordacem, calcitronem, horridum miles ac vir non vitabat.
4. Nunc emunt trossuli, nardo nitidi, vulgo Attico talento equum.
5. Quid enim est, quod homo masculus lubentius videre debeat bella uxore?
6. Antequam militia subactus aliquot annis erat.
7. Alteram viam deformasse Carneadem virtutis e cupis acris aceti.
8. Unamque viam Zenona moenisse, duce virtute, hanc esse nobilem: alteram Carneadem desubulasse, bona corporis secutum.
9. Qui se[se] in ganeum accensum conjecit amicae.
10. Quod Minerva propter stetit, significare eum propter doctrinam.
11. Navibus duodecim domo profectum decem annos solidos errasse.
12. Ventus sub occasu vehementius sufflare et calcar admovere.
13. Jugere volitans milvus visus aquam e nubibus tortam indicat fore, ut tegillum pastor sibi sumat.
14. Omnes inritans ventos omnesque procellas.
15. Ipsum audivi
Vino invitari poculis large atque benigne.
16. Vias stelligeras aetheris explicans aëre cavo sonitum emisit coturnix.
17. Ubi quondam lupam alumni fellarunt olim.
18. Ubi nitidi ephebi, veste pulla candidi,
Modestiam intus pascunt pectore.

19. Ubi et dicantur barbari innumerabiles
Lateres aureos habuisse.

20. Diogenem postea pallium solum habuisse, et habere Ulixem meram tunicam: pileum ideo non habere.

21. Pieridum comes, quae tenent cavata gelo putri montium laxa.

22. In Thespiadum choro derepente.

23. Quo cum ire vellemus, obvius flare: ubi corpori aërias compedes impositas video —.

24. Adversi venti ceciderunt: album et mare. Quod si pergunt diutius mare volvere, vereor, ne me quoque, cum domum ab Ilio cossim revertero, praeter canem cognoscat nemo.

25. Suspendit Laribus marinas molles pilas, reticula ac strophia.

1. Ap. Non. p. 48, 31. v. Parochos; a Graeco tractum est nomen, quod vehicula praebeat, — et est officii genus, quod administrantibus paret. — *parochus* Popma, Laurenb. *populi caput* cj. Laurenb., Lips. Ep. Quaest. III, 2., qui citat Petronii locum Satyr. c. 23.: „Nunc nec quid, nec quare, τὰ πάντα est“. Adde Ovid. Her. Ep. XII, 151.: „Deseror — conjuge, qui nobis omnia solus erat“. Liv. XL, 11.: „Demetrius iis nunc omnia est“. Item Graeci; Lucian. Abdicat. 21.: „πάντα ἦν ἐγώ“. Id. Tyrannic. 4.: „πάντα ὁ παῖς ἦν αὐτῷ“. Id. de Morte Peregr. 11.: „προφήτης, καὶ θυσιάρχης, καὶ ξυναγωγεὺς καὶ πάντα μόνος αὐτὸς ὤν“. Id. de Dea Syr. 22.: „καὶ οἱ πάντα Κομβάβος ἦν“. De parochis cf. Acron. in Horat. Sat. I, 4, 45., ibique Torrent., Sigon. de Jure Provinc. II, 5.

2. Ap. Non. p. 86, 17. v. Caballus.

3. Ap. Non. p. 45, 2. v. Calcitrones, qui infestant calcibus. — *ecum* ed. noviss. *equum* Merc. *horridus* mg. Jun., Victor., Popma.

4. Ap. Non. p. 49, 3. v. Trossuli dicti sunt torosuli. — De trossulis v. Jun. Gracchan. ap. Plin. XXXIII, 2, 9. Fest-Paull. s. v. p. 367. ed. Muell., Vet. Gloss. in Pers. Sat. I, 82. Apud Senecam ep. 76 et 87. eo vocabulo significatur homo delicatulus et omni luxuria diffluens, ut saepius apud Patres inprimis in Hieronymi Epistolis. — Cf. etiam Salmas. in Lamprid. Commod. c. 2., et de vocis origine Doederl. Etymol. VI, p. 377.

5. Ap. Non. p. 248, 15. v. Bellum — eligans, melius prudens. — *debeat quam bellam uxorem* Popma, Lips. Ep. Quaest. III, 3. contra Codd. fidem.

6. Ap. Non. p. 401, 12. v. Subigere — mollire vel exercere. — *Antequam mitia* Codd. *Anteq. militia* cj. Merc., qui haec adnotat: „Hoc fragmentum addidi e libris, quod deerat in omnibus editionibus. In eo notabat Varro vetitum bono more, ne quis ad imperia eveheretur antequam legitima stipendia meruisset". Etiam Popma omisit fragmentum.

7. Ap. Non. p. 88, 25. v. Cupas. — *Alt. oram def.* Laurenb. *Alt. vitam def.* Turn. Adv. XXVIII, 13., qui interpretatur: „Acrem disputatorem acris aceti cupas habere dicit". Cf. seq. fr.

8. Ap. Non. p. 99, 3. v. Desubulare, perfodere. — *Unam veniam* ed. noviss. ex suis Codd. *Unamque viam* cj. Lips. Ep. Quaest. IV, 18., Merc., Laurenb. *Unam enim viam* Popma. *Unam viam Zen. novisse* cj. Jun. Animadv. VI, 24. *desabulasse* cj. Scal. Lect. Auson. II, 31., probante Popma et Lips. l. l., qui confert voc. delapidare i. e. lapidibus sternere, ut explicat Fest-Paull. p. 73. ed. Muell. Scaligeri verba sunt haec: „Vide num qui viam munit is recte dicatur eam perfodere, et qui perfodit viam, num recte subula id facere possit. Sed ejusmodi sunt Grammaticorum judicia. Quis nescit diversam sententiam Zenonis et Carneadis fuisse περὶ τελῶν h. e. de finibus bonorum et malorum? hujus quidem meram ἀρετήν, Carneadis autem τὰ πρῶτα τῆς φύσεως. Hae sunt igitur duae illae viae, de quibus Varro sentit. At hodie ut leguntur illa verba apud Nonium quis intelligat? Monstra enim plane sunt illa. — — Ergo *desabulasse* recte dictum de aggere publico muniendo". Vereor, ut recte conjecerit Scaliger. Retineo vulgatum *desubulasse*. Verbum *desubulare* facete formatum a subula, quod non sutorum solum est, sed lapicidarum quoque instrumentum, quo lapides poliuntur. Utuntur vocabulo Gromatici passim, ut Simplic. ap. Goes. p. 88.: „Si superior tantum pars dolata est et inferior subulis impolita relicta"; et alius auctor ap. eund. p. 3.: „Terminus si superius politus fuerit, et inferius subulis impolitus, monumentalis est; non habet fidem finitionis". Desubulare igitur non est perfodere, ut explicat Nonius, sed potius polire, et magnum interest, utrum dicam „viam munio", an si „viam desubulo", quod non satis percepisse videtur Scaliger. Desubulare enim viam erit viam complanare, contra munire viam lapidum molibus sternere et firmis fundamentis superstruere. Quum de philosophorum scholis sermo est, alterum pertinebit magis ad Academiam, alterum ad Stoam, cujus severior doctrina est. — Bona corporis, quae Carneadem dicit secutum esse, sunt prima naturae. Cic de Finn. V, 7.

9. Ap. Non. p. 208, 14. v. Ganeum neutro. — *ac censum* ed. noviss. *accensum* Laurenb., Popma, Merc., Gulielm. qui, ut versum compenset, legit *sese in* pro *se in*, quod Codd. tenent. Lectio *ac censum* aliquomodo defendi potest, si explicabis: qui se adeo in manum ac potestatem amicae dedit, ut tanquam ad censum ejus pertinere videatur.

10. Ap. Non. p. 367, 17. v. Propter, — alicujus rei causa; et p. 367, 29. v. Propter, — juxta; in quo altero loco Codd. habent *propter est et id s.* — Verba sunt de Ulixe intelligenda, cujus patrona erat Minerva.

11. Ap. Non. p. 405, 20. v. Solidi, — solidum, continuum, juge.

12. Ap. Non. p. 451 28., v. Calcar pro impetu. — *succasu veh.* Codd. *sub occasu* cj. Jun., Popma. *sub occasum* cj. Lips. *ex occasu* mea est conjectura. — Calcar addere similiter dixit Varro supra in Sat. *Bimarc.* fr. 8.

13. Ap. Non. p. 179, 2. v. Tegillum deminutivum a tecto. — *uigere volitans mulsas aqu.* Codd. *adfore* cj. Gulielm. et habet Laurenb. semel, quum altero loco praebeat simplex *fore*, quod Codd. constanter tenent. *Jugere volit. milvus visus aqu.* cj. Scalig., prob. Laurenb., Gulielm. (cf. Veris. II, 5.) aliisque. Reuvens. Coll. Lit. p. 2. versus restituendos esse conjicit sic: „Jugere volitans milvius Visus aquam e nubibus tortam indicat fore, ut Tegillum pastor sibi sumat". Alii aliter tentarunt locum, sed minus feliciter, ut Jun., qui cj. *In aëre volit. milv. aqu.* et Salmas., qui cj. *Jugens et volitans.* De voce jugere Fest-Paull.: „Jugere milvi dicuntur, quum vocem emittunt", quod fere idem praebent Isidori Glossae et Gloss. Labbaei, quae explicant: „Jugit, ἰκτὶν βοᾷ. — Tegillum explicat Fest-Paull. s. v. „cuculiunculum ex scirpo factum". Cf. Schneid. ad Caton. de R. R. c. 2.

14. Ap. Non. p. 31, 30. v. Inritare proprie est dictum provocare; tractum a canibus, qui cum provocantur, irritantur.

15. Ap. Non. p. 321, 29. v. Invitari significat repleri. — *Ipsum audi Vino inv.* Merc. et ed. noviss. *audivi non inv.* Codd. Guelf. et Bern. *avide vino invitavi* cj. Lips. Ep. Quaest. IV, 23. *avidum invitari* cj. Merc. Nos Popmam secuti sumus. Verba videntur ipsius Ulixis esse de Polyphemo, Cyclope, narrantis. Invitari mediali sensu accipiendum esse, vix est quod moneam.

16. Ap. Non. p. 299, 33. v. Explicare, — emittere, extendere. — *aere c. sonitum hic in coturnis* (*cothurnis* Merc.) Codd. Locum conjectura restituere conati sumus. *Aër cavus* est aër convexus, caelum. Ovid. Metam. I, 26.: „convexum caelum". Virg. Aen. IV, 451.: „caeli convexa". Explicare verbum venuste

usurpatum de avi, quae quum alarum remigio auras pervolat, eas tanquam explicat. Coturnix nautis pro prognostico erat terrae appropinquantis. Cf. Plin. X, 23.: „Advolant et hoc simili modo non sine periculo navigantium cum appropinquavere terris. Quippe velis saepe insidunt, et hoc semper noctu, merguntque navigia. — — Aura tamen vehi volunt propter pondus corporum viresque parvas. Hinc volantium illa conquestio labore expressa". Cf. Aristot. H. A. XII, 8.

17. Ap. Non. p. 242, 32. v. Alumnos consuetudo quos alas vel educes, vel eos, qui alunt, dici voluit. — *Ubi quod lup.* Codd. Pro *quod,* quod corruptum videbatur, *quondam* restituendum esse censuimus. Terent. Eun. II, 2, 15: „Olim isti fuit generi quondam quaestus apud saeclum prius". Plin. III, 5.: „Oppidum Formiae Hormiae prius olim dictum".

18. Ap. Non. p. 368, 28. v. Pullum, — non album. — *Ubi nitidi* Codd. *Ubi nunc* cj. Canter. Nov. Lect. V, 22. fortasse metri causa; quod non opus erat, si quidem proceleusmaticus in primo pede satis frequens et apud Graecos et apud Latinos est. *Modeste amictus pascunt p.* Codd. corrupte; quamvis obloquente Turnebo Adv. XXIX, 28., qui „pascere amictum pectore" mirifice interpretatur: pectori amictum adstringere et apprimere. Acidal. (in Gruter. Lamp. VI, p. 20.) putabat scribendum esse *veste pura c. modico et modesto amictu pascunt* (h. e. compescunt) *pectora.* Popma, Codd. fidem secutus, explicat pascunt per „fovent". Mercerus accedit Palmerii conjecturae, qui voluit *amicti pascunt pecora.* Novissime tentavit fragmentum Doederl. Synon. III, p. 206 sq., cujus verba appono: „Vielleicht schrieb Varro: *Ubi n. eph., veste pulla cand., Modeste amicti * * pectora.* Die Luecke enthaelt hoechst wahrscheinlich ein Epitheton von pectora, welches einen Gegensatz gegen modestus bildete, wie candidi gegen pulli, etwa animosa, wie bei Virgil. Georg. I, 81., oder ein aehnliches, und folgenden Sinn gab: wo schoene Juenglinge mit reiner Seele unter schwarzem Kittel ein Heldenherz in bescheidener Kleidung hegten". — Nobis sine omni dubitatione reponendum esse videbatur *Modestiam intus pascunt pectore.*

19. Ap. Non. p. 131, 14. v. Later — masculini. — *Ubi educantur barbati* ed. noviss. *Ubi edicantur barbari* cj. Merc. *Ubi edicuntur barbari* cj. Jun. *Ubi et dicantur* vel *dicuntur* nostra conjectura est. — Cf. supra Sat. Ἑκατ., περὶ Θυσιῶν fr. 1. ibique adnot.

20. Ap. Non. p. 344, 8. v. Merum est solum. — *pilleum ideo* Codd. *pileum* Popma. *ideo* sc. quia praeter tunicam nullo alio amictu vestitus erat. — Apud Plin. XXXV, 10. narratur, Nicoma-

chum, pictorem, primum Ulixi pileum addidisse. Alii aliter. V. Odofr. Mueller. Archaeol. der Kunst, p. 416. ibique adnot.

21. Ap. Non. p. 492, 5. v. Gelo pro gelu. — *comites* cj. Jun. *que tenent* ed. noviss. ex suis Codd. *quae tenes* cj. Scal., Merc. *cata* — *laxa* Codd. *cavata* cj. Scal., prob. Merc., Gebhardt. Antiqu. Lect. II, 19. *strata* mg. Jun. *montium saxa* cj. Bentin., Scal., Gebhardt. Laxa videntur esse cavernae nive et glacie formatae.

22. Ap. Non. p. 518, 21. v. Derepente. — *Thesp. oro der.* ed. noviss. *ore* ed. 1586., Jun. *oro* cj. Bentin. *ora* Popma. *agro* cj. Merc. *choro* cj. Roth. — Sententia misere truncata. Sed legendum fortasse *In Thesp. adsum choro derep.* vel *In Thesp. choro ero derep.*

23. Ap. Non. p. 28, 12. v. Compedes. — *vellemus* Codd. *vellem is* mg. Jun., Laurenb. *aerinas* Codd., Popma, Scriver. *aereas* Laurenb. *aërias* meo nomine scripsi. Loquitur de adverso Austri flatu.

24. Ap. Non. p. 247, 25. v. Album, — mite vel placidum; et p. 276, 8. v. Cognoscere, — agnoscere. — *ceciderunt; quod si* Codd. *conciderunt; album est mare; quod si* Laurenb. in Antiq. s. v. Album. Optime. Verba *album est mare*, quae Laurenb. praebet, apud nullum alium leguntur; sed non dubium est, quin Codd. olim ea tenuerint. Ac mirifice profecto virorum doctorum ingenia conjecturis exsultarunt, ut vocabulo *album*, sub quo fragmentum citatur a Grammatico, aliquem locum pararent. Itaque Turn. Adv. XXIX, 20. conj. in sequentibus *praeter album canem cogn. n.* et interpretatur de Argo (!), Ulixis cane; nihil plane curans, quod ἄργος canis nequaquam per „mitis canis" vel „placidus canis" poterat explicari. Imo *album est mare* unice verum est; et mare ita dicitur a Varrone propter spumam, qua omne aequor tegitur, postquam venti ceciderunt caelique tranquillitas rediit. — *cossim* ed. noviss. ex suis Codd. utroque loco. *cessim* reliquae edd. *c. venero* ed. noviss. in priore loco. *c. revenero* Ms. Pii ap. Gruter. Lamp. tom. I, p. 408. *c. revertero* ed. noviss. in altero loco et reliq. edd. *cessim* — *revertero* Laurenb. Ceterum praeter Hom. Od. XVII, 290. sqq., ubi narratum hoc de Ulixe exstat, cf. etiam Cic. ad Fam. Epp. I, 10.: „Nam illo (sc. in Apuliam) si veneris (L. Valeri), tamquam Ulixes cognosces tuorum neminem", ubi miro quodam σφάλματι μνημονικῷ hoc dictum est pro „cognosceris a tuorum nemine".

25. Ap. Non. p. 538, 4. v. Strophium est fascia brevis, quae virginalem horrorem cohibet papillarum; et p. 542, 11. v. Reticulum tegmen capitis muliebre. — *marinas* tenent Codd. utroque loco. Turneb. Adv. XVIII, 13. et Popma reposuerunt *marinis*,

ut intelligantur Lares permarini illi (θεοὶ διαπόντιοι, ut explicant vett. Gloss. ap. Turneb. ad Varr. L. L. p. 30. (15.) ed. Bipont.), quorum aedem, a L. Aemilio Regillo navali praelio adversus praefectos Antiochi regis votam, M. Aemilius censor a. u. DLXXV dedicavit, teste Livio XL, 52. Cf. Macrob. Sat. I, 10. p. 250. ed. Zeun. — Vulgatam defendit Scaliger in adnot. ad Catal. p. 58.: „Nam mox nupturae pilas cum pupis et strophiolis suspendebant Veneri. Varro *Sesquiulixe:* sqq. — —". Quamquam et Varro de eo lusu intelligere potuit, de quo apud Ovidium (A. A. III, 361.). „Reticulo pilae leves fundantur aperto: Nec nisi quam tollas, ulla movenda pila est". Marinas autem vocavit Varro quae non fiebant Romae, sed aliunde devehebantur. Sic „pastinacam marinam" Celsum (V, 27.) dixisse puto, h. e. peregrinam. Sic „passer marinus" Plautus in Persa (II, 2, 17. Cf. Turn. Adv. XVI, 22. Scal. Lect. Auson. II, 7.) et Ausonio ἡ στρουθιοκάμηλος. — Transmarinas igitur intelligo velut veteres loquebantur „permarinas". — Si vera est lectio vulgata *marinas,* pilas potius inde ita dictas esse putaverim, quod suspenduntur Laribus propter exhausta pericula maris. — Ceterum v. Fest. s. v. Pilae, p. 237. ed. Muell.

LXXXII. SEXAGESSIS.

Codd. Nonii constanter citant: „Varro *Sexagesi*"; corrupte haud dubie. V. nos supra ad inscr. Sat. *Octogess.*, περὶ Νομισμάτων, ubi locum Prisciani adscripsimus indeque utrique huic Saturarum inscriptioni medicinam afferre suscepimus. Nihilominus haesitamus, quaenam ratio sit hujus tituli *Sexagessis:* quamquam hoc saltem pro certo affirmari posse videtur, proverbium illud Sexagenarios de ponte, quod affert Fest. p. 334. (cf. p. 75. v. Depontani senes) ed. Muell., neque a titulo *Sexagessi*, neque ab ipso Saturae argumento alienum fuisse. Cf. frr. 17. et 18. — De argumento autem Popmae conjectura haec est: „Hac Satura inducitur senex quidam, qui cum se longo itineri commisisset, in via somno oppressus, continuos quinquaginta annos obdormivit, inde experrectus concessit Romam, ubi reperit antiquis et moribus et viris, quibus stare quondam respublica solebat, nihil esse loci. Ergo quod senex ille multa queritur de contemtu sexagenariorum, ab eo titulus *Sexagesis*" (!).

1. Se circumspexe atque invenisse, cum dormire coepisset tam glaber quam Socrates, calvum esse factum ericium e pilis albis cum proboscide.
2. Romam regressus ibi nihil offendi, quod ante annos quinquaginta, cum primum dormire coepi, reliqui.
3. Ubi tum comitia habebant, ibi nunc fit mercatus.
4. Avidus judex reum ducebat esse Κοινὸν Ἑρμῆν.

5. Quod leges jubent non faciunt: *Δὸς Καὶ Λαβὲ* fervit animo.
6. Tunc nuptiae videbant ostream Lucrinam.
7. Ut nitens
Pavonis collus, nihil extrinsecus sumens.
8. Ergo tum Romae parce pureque pudentes
Vivere in patria nunc sumus in rutuba.
9. Adest fax involuta incendio.
10. O stulta nostri pectoris dormitio
Vigilabilis, quae me puellum impuberem
Cepisti!
11. Eo, ut viaticum adderem in vulgam.
12. Sic canis fit e catello, sic e tritico spica.
13. In quarum locum subierunt inquilinae inpietas, perfidia, impudicitia.
14. Nunc quis patrem decem annorum natus non modo aufert, sed tollit, nisi veneno?
15. Qui nobis ministrarunt pueri diebus festis cicer viride, qui nos provocare, advocare cum audeant, — nos illo revocare timemus?
16. Erras, inquit, Marce! accusare nos ruminaris antiquitates.
17. Acciti sumus, ut depontaremur: murmur fit verus.
18. Vix ecfatus erat, cum more majorum ultro casnares arripiunt, de ponte in Tiberim deturbant.
19. Senibus crassis, homuli, non vidimus quid fiat?
20. An, si equam emisses quadripedem, ut meo asino Reatino admitteres, quantum poposcissem dedisses equimenti?
21. Neque agipennes anates, tremipedas, buxeis rostris pecudes, paludibus nocte nigra ad lumina lampadis sequens.

1. Ap. Non. p. 49, S. v. Proboscis Graecum nomen est, dictum quod ante depascat, et est porrecta corporis pars inhaerens

naribus, quae excepto homine in aliis animalibus invenitur; et p. 106, 16. v. Ericium. — *invenisse se* legitur in Codd. in loco priore, ubi omittuntur verba *Se circumspexe*. — *eric. e pilis* Codd. utroque loco; praepositionem omisit Popma. *t. glaber quam Socrates* cf. supra adn. ad Sat. *Γνῶθι Σεαυτὸν* fr. 1.

2. Ap. Non. p. 359, 19. v. Offendere, — invenire.

3. Ap. Non. p. 212, 26. v. Mercatus; et p. 431, 18. v. Merx et Mercatura. — Mercatus, locus, in quo agitur mercatura.

4. Ap. Non. p. 283, 18. v. Duci, — (ducere) existimare, judicare. — De proverbio tritissimo *Κοινὸς Ἑρμῆς* videsis Proverb. e Cod. Bodlej. ed. 518, p. 61. Gaisf., Diogenian. V, 38. Bernhardy ad Suid. v. *Ἑρμαῖον*. Casaub. ad Theoph. Char. p. 250. Cf. Senec. Ep. 120.: „Quoties aliquid inveni, non exspecto donec dicas in commune; ipse mihi dico".

5. Ap. Non. p. 503, 10. v. Fervit pro fervet. — Proverbium quod Varro jacit in judices in corruptionem pronos, Pseudo-Plato in Axiocho p. 366, C. tribuit Epicharmo, Comico, et hujus versiculum: „*Ἡ δὲ χεὶρ τὴν χεῖρα νίζει, δός τε καὶ λάβε τι*", Prodico, Sophistae, semper ait in ore fuisse.

6. Ap. Non. p. 216, 14. v. Ostrea generis feminini. — *ostreas Lucrinas* Ald., Jun., Popma. Lucrinae ostreae prae ceteris in deliciis erant propter eximium et saporem et magnitudinem. V. Martial. XIII, 27. et III, 60. Petron. Satyr. c. 79. Juvenal. Satyr. IV, 140. Plin. XXXII, 6.

7. Ap. Non. p. 200, 26. v. Collum, — Collus masculino. — *extrinsecus humens* edd. praeter noviss., quae habet *extrinsecus umens*. — *extrins. sumens* Merceri est conjectura. Pavonis enim collus nihil splendoris sui extrinsecus mutuatur.

8. Ap. Non. p. 167, 7. v. Rutuba, perturbatio. — *pudentis Vivere* Codd. *pudentes* mg. Jun., Popma, Forcell. *putantes* cj. Lips. Epist. Qu. IV, 24. *cum patria nunc* cj. Lips., Popma. *pudentes Vixere* cj. Laurenb., Gulielm. Veris. III, 18., Is. Voss. et Meyer in Anthol. Sed hae conjecturae non satisfaciunt Varroni; et ipse qua ei succurram medicinam non habeo. Quare satius duxi, mendose exprimere locum, ut est in Codd. scriptus, quam intempestivi quid aut inepti corrigendo verborum sententiam mutare. Infinitivus *Vivere* pendet ex praecedente participio verbi pudere, quod veteribus pro personali in usu fuisse docet Priscian. XI, p. 922. ed. Putsch., ex Capro Grammat. Cf. Plaut. Cas. V, 2, 3.: „Ita nunc pudeo atque ita nunc paveo". — De rutuba vocabulo adeas Doederl. Etymol. VI, p. 310. s. v., qui derivat a radice *ΡΟΘΕΤΩ*, unde *ἐρέθω*, *ὀροθύνω*. — Gloss. H. Steph.: „Rutubatur, *ὀρίνεται*, commovetur". Rutubare verbum desideratur in lexicis.

9. Ap. Non. p. 112, 24. v. Fax pro face; et p. 328, 23. v.

Involvere, — Involutum, occupatum, comprehensum. — Cf. vet. poet. ap. Cic. de Divin. I, 31.: „Adest, adest fax obvoluta sanguine atque incendio".

10. Ap. Non. p. 100, 2. v. Dormitio; et p. 158, 23. v. Puellos, pueros. — *invigilabis* cj. Jun.; sine causa. Nota oxymoron *dormitio Vigilabilis*. Cf. infra Sat. frr. inc. 8., quod fortasse ad Sat. *Sexagessem* referendum.

11. Ap. Non. p. 187, 19. v. Vulga (sic), capacitas vel sinus cum laxitate. *abderem* cj. Fr. Dousa ad Lucil. frr. I, 13. p. 263, ed. Haverkamp.; sine causa. V. nos supra in adn. ad Sat. *Octog.*, *π. Νομισμ.* fr. 3. — Formam *vulga* pro *bulga* (qua altera Varro usus est in Sat. *Octog. π. Νομισμ.* fr. laudato) defendit Dousa ad Lucil. Sat. XXVI, fr. 36. p. 384. sq. ed. Haverk.; sed lexica non agnoscunt. Interim nos nihil mutare conati sumus. Praeter Varronis fr. Nonius citat et aliud Lucilii, in quo eadem forma usurpata sit quamvis alio sensu: „In vulgam penetrare pilosam".

12. Ap. Non. p. 225, 22. v. Spicae.

13. Ap. Non. p. 403, 27. v. Subit, — (subire) succedere. — *In quarum* sc. prisci aevi virtutum, ut ego autumo. Vocabulo inquilina similiter usus est Cic. ad Famil. Ep. XV, 18.: „Ubi igitur, inquies, philosophia tua illa quidem inquilina?"

14. Ap. Non. p. 407, 9. v. Tollere, occidere; et p. 422, 22. v. Inter tollere et auferre est diversitas; tollere est levare et erigere, auferre levatum transferre. — In quo altero loco nisi diserte sub voc. Auferre citatum esset fr., praeferremus lectionem *non modo fert, sed —*, quam tuentur Codd. in priore. *Nunquis* ed. noviss. in priore et mg. Jun. etiam in altero loco. *Nam quis p. nunc d. annos n. n. m. aufert seu tollit* cj. Scal. — Cf. distichon illud in Neronem factum ap. Sueton. Neron. c. 39.: „Quis neget Aeneae magni de stirpe Neronem? Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem". — Verbis ferre et tollere Varro lusit etiam supra in Sat. *De Officio Mariti* fr.

15. Ap. Non. p. 167, 12. v. Revocare positum per vices mutuo revocare. — *advocare* om. ante Ald., prob. Bentin., Turn. Adv. XXVIII, 13. *ac vocare* cj. Jun., Gulielm. *nos illo rev.* Codd. *nos illos rev.* ante Merc. — De sententia nihil constituere conor.

16. Ap. Non. p. 480, 22. v. Ruminatur. — Cf. supra Sat. *Bimarc.* fr. 14. Symmach. Ep. III, 13.: „Dum carmina tua ruminas".

17. Ap. Non. p. 214, 13. v. Murmur, — masculini. — *depontare murmur* Codd. *depontaremur murm.* cj. Jun., prob. Merc., Laurenb., Popma. Verbum depontare desideratur in Freundii lex.

18. Ap. Non. p. 86, 20. v. Carnales (Casnares cj. Scal.; sed v. Freund. in lex. lat. tom. I, p. 683. et Odofr. Muell. ad Fest. p. 47.), seniles (sic enim legendum est cum Scal. pro vulg. „sedu-

les"). — De re vide Fest. p. 334. et p. 75. s. v. „Depontani senes" et „Sexagenarios de ponte", ibique Mueller., Schoemann. in Ind. schol. aest. Univ. Lit. Gryph. 1837. p. 5. sqq. Non. p. 523, 21. v. Sexagenarios per pontem mittendos male diu popularitas intellexit, quum Varro de Vita Pop. Rom. l. II, honestam causam religiosamque patefecerit: „Cum in quintum gradum pervenerant atque habebant sexaginta annos, tum denique erant a publicis negotiis liberi atque otiosi. Ideo in proverbio quidam putant venisse, ut diceretur sexagenarios de ponte dijici oportere, quod suffragium non ferant, quod per pontem ferebant". Quae verba Varronis qui legant, meminerint, Saturici et rerum scriptoris provinciam non eandem esse.

19. Ap. Non. p. 86, 24. v. Crassum positum pro hebeti et stulto. — *humili* Cod. Lugd., Jun., Laurenb., Merc. *humuli* ed. Ald.; item Cod. Guelf., sed priore *u* in *o* mutato. *homuli* ante Ald., mg. Jun. *heu muli* cj. Scal. *hui muli* Popma. *heu mali* mea est conjectura. *videmus* cj. Scal.

20. Ap. Non. p. 69, 24. v. Equimentum positum est, non aequamentum, quasi parem vicem, sed merces pro eo, quod dicitur admissura. — *Aequimentum* edd. vulg. scribunt et in Nonii et in Varronis loco; *equimentum* quod unice verum est et probatum a Freund. in lex. s. v., praebet Cod. Lugd., Turneb. Adv. XXIX, 3., et Laurenb. in Varronis loco s. v. Aequimentum. *quadripedem* Codd. *quadrup.* Laurenb. — Asini Reatini prae ceteris in Italia erant nobilissimi, ut testantur Varr. R. R. II, 1, 14. I, 8, 6. Plin. VIII, 43.

21. Ap. Non. p. 460, 7. v. Pecudes non solas quadrupedes, sed et alia animalia dicere — possumus. — *Neque quas agi pen nas an.* Merc. et ed. noviss. *Nec quassagipennas* Laurenb. s. v. Incurvicervicum, Palmer., Popma. *pennis* Cod. Lugd., Ald., Jun., etiam in Cod. Guelf. *i* super *a* script. *quas agilipennes* cj. Bentin. *Neque quassati pennes* cj. Schneid. ad Varr. R. R. III, 11. p. 853. et intelligit querquedulas. *Neque agipennes* ex conj. scripsimus; syllaba *quas*, quam omisimus, oriunda est ex literis finalibus proximi et initialibus sequentis vocabuli per errorem conduplicatis. Agipennis, e adject. formatum ad analogiam adj. agipes. — *tremipedas* Codd. *remipedes* cj. Schneid., Freund., Roth. Cf. Auson. Ep. ad Hesper. II, 11. — Nos librorum auctoritatem non temere deserendam esse arbitrati retinuimus *tremipedas*. Formatum hoc adjectivum est ut fluxipedus, aequipedus, multipedus, quadrupedus. Anates autem appellantur tremipedae, quia, quum natant, per aquas tremere earum pedes videntur.

LXXXIII. ΣΚΙΑΜΑΧΙΑ, ΠΕΡΙ ΤΥΦΟΥ.

Σκιομαχίαν inscribunt Gellii, Σκιαμαχίαν Nonii libri. — Σκιαμαχεῖν veteres dicebant eum, qui certamen suis viribus impar suscipit inque eo frustra labores consumit. Suid. s. v. Σκιαμαχῶ· ἐπὶ τῶν ἀδυνάτων, τῇ σκιᾷ μάχομαι. Cf. Plut. Syll. c. 13.: „Δεινὸς γάρ τις ἄρα καὶ ἀπαραίτητος εἶχεν αὐτὸν (sc. Syllam) ἔρως τὰς Ἀθήνας· εἴτε ζηλῶ τινὶ πρὸς τὴν πάλαι σκιαμαχοῦντα τῆς πόλεως δόξαν, εἴτε sqq. — De argumento Saturae nihil constat nisi quod fuit adversus stultitiam et arrogantiam; et, si conjecturae locus est, inscriptio Σκιαμαχία fortasse indicat, duo illa primaria generis humani vitia oppugnare, laborem aeque inutilem esse, quam si quis cum umbris certamen inire vellet.

1. Te Anna et Perenna, Panda, te Lato, Pales,
Nerienes et Minerva, Fortuna ac Ceres!
2. Vinum, πέμμα, lucuns, nihil adjuvat ista ministrans.
3. Postremo quaero: Parebis legibus, an non?
Anne exlex solus vivis?
4. Ego, inquit, eam suppetias? — Atqui nunc mihi nec res nec ratio est: dissociata aeque omnia ac nefantia.
5. Hoc dico: compendiaria sine ulla sollicitudine ac molestia ducundi ad eandem voluptatem posse perveniri.

1. Ap. Gell. XIII, 22.: „Est enim rectus casus vocabuli ejus, sicut in libris veterum scriptum est, Nerio, quamquam M. Varro in Satura Menippea, quae inscribitur Σκιομαχία, non Nerio, sed Nerienes vocative dixit in his versiculis:" sqq. — De Anna Perenna v. Hartung. Relig. Rom. II, p. 229. sqq. De Panda, alias Empanda dicta, v. eund. II, p. 76. et Odofr. Muell. ad Fest-Paull. p. 76. Junonem Patulciam, quae nemoratur in vetere marmore Ostiae reperto, eandem esse cum dea Empanda sive Panda, verisimile facere studet Reines. in Syntagm. Inscr. I, 33. — *Nerienes et* Codd. *Neriene te Min.* cj. Lindem. ad Fest. p. 409. De Neriene adeas Hartung. I. l. II, p. 172. — Hoc totum fragmentum tentavit Turn. Adv. XIX, 11.

2. Ap. Non. p. 131, 25. v. Lucuns. — *istam instrant* ed. noviss. cum Cod. Guelf., qui *n* posteriorem compunctam habet. *ista ministrat* Popma, Merc., mg. Jun., Turn. *lucuns: illi nihil ista ministrant* cj. Scal., Laurenb. *istam miseram* cj. Roth. *ministrans* vel *ministram* corrigendum esse nostra est conjectura. — De lucunte cf. supra ad Sat. *Περίπλ. l. II, π. Φιλοσοφ.* fr. 2.

3. Ap. Non. p. 10, 18. v. Illex, et exlex est qui sine lege vivit.

4. Ap. Non. p. 489, 17. v. Nefantia pro nefanda. — *suppe-*

tias? qui tunc Codd. Merc. et ed. noviss. *quae tunc* Ald., Jun., Laurenb., Dousa. *atqui nunc* cj. Roth. *dissociat atque omn.* Codd. *dissociaque omnia* Popma. *ratio dissociat omnia bona ac nefantia* Laurenb. *ac om.* Ald., Jun. Scribendum haud dubie *dissociata aequa omn. ac nef.* vel *dissociata aeque omn. ac nef.*, quod alterum praetulimus. — Fr. Dousa ad Lucil. frr. p. 420. ed. Haverk. hanc totam sententiam Varronem ab Lucilio sumpsisse censet.

5. Ap. Non. p. 202, 3. v. Compendium, compendiaria. — *mol. dicundi* Ald., Jun. — *Compendiara* sc. via dicit Petron. Satyr. c. 2. Senec. Ep. 119. Compendiario (sc. itinere) dicit idem Ep. 73.

LXXXIV. ΣΥΝΕΦΗΒΟΣ, ΠΕΡΙ ΕΜΜΟΝΗΣ.

Genuinam inscriptionem Nonii libri uno tantum in loco (p. 226, 17. v. Lux.) servant, in quatuor reliquis citant: „Varr. in Efebo", quod olim Turnebum (Adv. XXIX, 28.), Mercerum (ad Non. p. 689.), et post hunc qui novissimam Grammatici editionem curarunt, Gerlachium et Rothium, movit, ut *Ephebum* vel *Ἔφηβον* statuerent libro inscriptum fuisse. Sed perperam hoc; ut inde potissimum potest judicari, quod Nonius ubi veterum scriptorum libros laudat, simplici solet ablativo casu laudare, nec nisi perquam raro *in* praepositione uti. Loci, in quibus hoc factum praeter consuetudinem observavimus in Saturarum fragmentis, sunt p. 243, 20.: „V. in *Lege Maenia*", p. 253, 30. et p. 286, 18.: „V. in *Meleagris*", p. 231, 4.: „V. in *Ταφῇ Μενίππου*", p. 247, 18.: „V. in *Agathone*", p. 361, 24.: „V. in *Caprino Praelio*", p. 231, 31. et p. 282, 1.: „V. in *Endymionibus*", p. 242, 33. 245, 23. 250, 14. 264, 20. 267, 9. 272, 2. 285, 23. et 538, 23.: „V. in *Eumenidibus*", p. 267, 2.: „V. in *Γνῶθι Σεαυτόν*". — De argumento Saturae *Συνεφήβου, περὶ Ἐμμονῆς* Turneb. l. l. haec est commentus: „Varronis Satira erat nomine *Ephebus, π. Ἐμμονῆς*, in qua de institutione et disciplina juventutis praeclare disserebat, et ejus in bonis artibus permansione et perseverantia". Ineptius Popma: „*Synephebus* inscribitur Satira, quae damnat consociationes infidas et instabiles, quales fere sunt inter dominos et servos: ideo quod inter eos, qui una adolescunt, plerumque existunt istiusmodi coitiones consensionesque nec sincerae nec diuturnae. Nimirum in illis morum studiorumque similitudo gignit quandam benevolentiae vinctionem, quae mox, confirmatis et ingeniis et aetatibus, facile dissolvitur" (!!).

1. Crede mihi, plures dominos servi comederunt, quam canes. Quod si Actaeon occupasset, et ipse prius suos canes comedisset, et non nugas saltatoribus in theatro fieret.

2. Verere, ne manu non mittat? — Cum tot Romae vicarios honestos avidissimo dare possis, mittet. Quod

si non mittit, fugies, si me audies: cum tempus revocat, ea praecox est fuga.

3. Quid te facere oportet, litteris imbutum solis Minervae?

4. Hodie si possumus quod debemus populo in foro medio luci claro decoquere.

5. Hic narium Seplasiae, hic ἡδύπνους Neapolis.

1. Ap. Non. p. 355, 19. v. Occupare est proprie praevenire. — *comedere* Jun., Popma. *plur. canes dom. comedere, quam servi* cj. Carrio l. l. III, 10. *primum suos* mg. Jun. *et non nugasset salt.* ed. noviss. *non nugax esset* mg. Jun., Rutgers. *non nugas esset salt. in th. fabula* ms. Fabri. *comedisset, et non nugas s. in th. f.* Merc. et Laurenb. *comedisset, non nugas salt. in th. f.* Codd. Guelf., Bern. duo, lib. Elnonens. prob. Carr. l. l., Palm., Popma. — De indeclinabili *nugas* v. Charis. I, p. 15, 23. et 120. Priscian. V, p. 649. et VI, p. 701. ed. Putsch. — Cf. Schneider. ad Varr. de R. R. II, 9., qui commode affert vetus illud proverbium: Quod servi, tot hostes.

2. Ap. Non. p. 156, 31. v. Praecox, id est praecoqua. — *cum toctro medicarios honestos audissemus d. p.* Merc. et ed. noviss. ex suis Codd. *cum octo* ante Merc. *tot ero* mg. Jun. *cum hero boves tot* Laurenb. *octo paedicarios* (= pathicos, meritorios pueros) cj. Popma. *h. aut HS semis dare* cj. Palm., Laurenb., Popma; inepte. *C. tot Romae vicarios hon. avidissimo* ex nostra conj. scripsimus. Vicarii autem servi quinam sint neminem latere arbitramur.

3. Ap. Non. p. 324, 20. v. Imbuere est initiare.

4. Ap. Non. p. 210, 13. v. Lux, — Masculino. — *luci claro* i. e. palam et publice. Cf. supra adnot. ad Sat. *Bimarc.* fr. 9. — Decoquere quo sensu h. l. accipiamus, ambigimus; est fortasse rem debitam dilapidare et luxuriose vivendo consumere, ut usurpavit vocabulum Plin. XXXIII, 10.: „Qui primus accepit cognomen Divitis, decoxit creditoribus suis".

5. Ap. Non. p. 226, 17. v. Seplasium, — Seplasiae feminini. — *h. hedycus* (*hedicus* Cod. Guelf. et Merc.) *meapolis* ed. noviss. ἡδύβιος cj. Gerlach., non satis apte, ut videtur; quare *ἡδύπνους Neapolis* scripsimus.

LXXXV. TANAQUIL.

„Uxor Tarquinii Prisci, quae, ubi Romam venit, appellata fuit Caja Caecilia, et eam probitatis atque industriae laudem consecuta, ut in nuptiarum solemnibus fuerit observatum, nomen Cajae boni ominis causa a nubentibus frequentari. Hinc titulus Satirae Varronis, in qua honestae

matris familias virtutes et officia persequitur. Videndi Festus (p. 95. ibique Muelleri adn.), Plin. VIII, 48., Plutarch. (Quaest. Rom. 27.)". Haec Popma. Sed alias, ut apud Auson. Epigr. 23, 31. et ap. Juven. Sat. 5, 561., Tanaquil est pro muliere imperiosa. — Cf. supra Commentat. Cap. III, p. 63.

1. Non modo absens quicquam de te sequius cogitavit, sed etiam ruminabitur humanitatem.

1. Ap. Non. p. 166, 25. v. Ruminari dictum in memoriam revocare. — *cogitabit* Merc., Turn., Laurenb., Popma; recte fortasse.

LXXXVI. *ΤΑΦΗ ΜΕΝΙΠΠΟΥ.*

De Saturae argumento non satis liquet. Popma ex fragmentis conjecit, fuisse de structura aedium, in qua homines lautos queri sumptu et magnificentia modum excedere.

1. Sed ut canis sine coda.

2. Ille nobilis quondam canis
Hic liquit homines omnes in terrae pila.

3. Diogenem litteras scisse tum usioni quod satis esset, tum quod etiam acroasi bellorum hominum.

4. Saltem infernus tenetor ὁ κακὸς δαίμων atque habeat homines sollicitos, quod eum pejus formidant, quam fullo ululam.

5. In charteo stadio ἐπιτάφιον ἀγῶνα quo qui certasset animo bellus homo, magis delectatus Stoicorum pancratio, quam athletarum.

6. Perrexit in interiores partes domuis posticae, ut ait Plautus, penitissime.

7. Ubi lubet, ire licet accubitum! A sede strenue sussilimus, quod esurigo findebat costas.

8. Haec Numa Pompilius fieri si viderit, sciet, suorum institutorum nec volam nec vestigium apparere.

9. Inde putidas uvas, acinis electis et comestis, extendit in lectis quondam.

10. Nihil magis decere mulierem, quam de muliebri ricinio pallium simplex.

11. Et ἀπαντήσουσιν Edones Romam, ut turba intendant

annonam: sed propter Phagones ficedulam pinguem aut turdum, nisi volantem, non video.

12. Romani ψαμμακόσιοι, non qui in urbe inter nundinum calumniarentur.

13. Nec pistorem ullum nossent, nisi eum, qui in pistrino pinseret farinam.

14. Περιχονδριᾷ mihi facies maeandrata atque vermiculata, atque etiam adeo pinges orbem terrae.

15. Quod coeperas modo in via, narra, ut ad exodium ducas!

16. Λιθόστρωτα pavimenta et parietes [in]crustatos.

17. In pavimento non audes facere lacunam, at in humo calceos facis elixos!

18. Ut antiqui nostri in domibus, latericiis paululum modo lapidibus suffundatis, ut humorem ecfugerent, habitabant.

19. Sed quae necessitas te jubet aquam effundere domi tuae? Si vasa habes pertusa, plumbum non habes? Ad quam rem nobis est confluvium? ad quam rem urnarium?

20. Non vides in publico nocte tabernas, qua populus ambulando perinde ut in arato porcas reddit?

21. Non vides in magnis peristylis qui cryptas domi non habent sabulum jacere a pariete aut e xystis, ubi ambulare possint?

22. At in segetibus post messem colligebant stramenta, qui domicilia colerent.

23. Ut hirundines in culinis obliti luto tegulas fingebant.

24. Aliquot Romae sunt, qui cellas vinarias fructuis causa fecerunt.

1. Ap. Non. p. 86, 19. v, Coda.

2. Ap. Non. p. 333, 24. v. Linquere est dimittere. — *Menippos ille nobiles quondam Canes Heic liquit* cj. Scal. Catal. p. 194 (188). Menippi nomen ante *Ille* excidisse cj. etiam Popma et Merc. *Hinc linquit* Turn. Adv. XXIX, 28. et mg. Jun. — *Hic*

(intell. ubi sepulchrum est) *linquit* ed. noviss. ex suis Codd. *Hic liquit* Merc. *Ille nobiles quosdam canis hic linquat hom.* habent Codd. Guelf. et Bern. *terra pila* Codd. constanter et Turn. Adv. l. l. *terrae pila* cj. Popma, Scal., Forcell. — Voluntariam mortem, qua obiisse Menippum tradunt Diogenes Laert. VI, 101. et Lucian. Dial. Mort. X, his verbis a Varrone significatum esse arbitratur Ley l. l.

3. Ap. Non. p. 231, 4. v. Usus, — Feminino; et p. 248, 10. v. Bellum, eligans, melius prudens. — *vixdum pusioni quod* cj. Gerlach.; perquam inepte.

4. Ap. Non. p. 318, 13. v. Habere, — facere. — *tenebro κ. δαίμον* Codd. *tenebrio κακὸς δαίμων* mg. Jun., Laurenb. *tenetor* (i. e. se coerceat vel remaneat in inferno) ὁ κ. δαίμων ex nostra conj. scripsimus. *tenebrosus κακοδαίμονας tenet, atque habet h.* Ald., Popma. *teneat atque habeat* Laur. et Turn. Adv. XXIX, 27. *aulam ulula* cj. Popma, quod scilicet „ollarum strepitu terreantur omne avium genus"; inepte. — *Κακὸς δαίμων* est larva; *δαίμονας καταχθονίους* interpretantur Gloss. vett. — Ulula vero est inauspicata avis, quae funera portendit. Plin. X, 12. Quum autem fullones maculas albarum vestium eluere solerent, nec eorum interesset atris vestibus uti, inde Varro eleganter dixit fullones ululas formidare, quod scilicet luctus eos ad inopiam adigeret.

5. Ap. Non. p. 248, 13. v. Bellum, eligans, melius prudens. — *epitafion agoa quo quis certasset* Merc. et ed. noviss. ex suis Codd. *In ch. st. epitaphion agona ago, quo qui certasset a. b. h. magis delectatur St. p. quam athletarum* cj. Gerl. Dedimus locum ex nostra conjectura.

6. Ap. Non. p. 217, 17. v. Posticam feminino genere consuetudine appellamus; et p. 491, 21. v. Domuis pro domus. — *interioris* quod ed. noviss. habet in priore loco, Cod. Guelf. tenet utroque. *penitissime* Codd. Corrigendum fortasse *penitissimae*, quo adjectivi superlativo usus est Plaut. Cistell. I, 1, 65. et Pers. IV, 3, 53 et 71. Adverbii superlativum usurpavit Sidon. Apollinar. Ep. IV, 9.: „Actiones ejus quotidianus penitissime inspexi".

7. Ap. Non. p. 106, 13. v. Esurigo. — *accedo strenuo suss.* ed. noviss. *accedo strenue* Jun., Merc. *accede strenue* Laurenb. *A sede strenue suss.* ex nostra conjectura scripsimus.

8. Ap. Non. p. 416, 21. v. Vola est media manus. — *videret, sciret* Codd. Genev. et Bern., Turn. Adv. XXIX, 2. — Quaenam Numae instituta intelligenda sint, nescire me fateor. Popma nescio quo jure intelligit legem Numae servatam ex Cassio Hemina ap. Plin. XXXII, 2. Alii, Saturae tituli *Ταφὴ Μενίππου* memores, probabilius retulerunt ad fr. legem Numae relatam a Plinio

XIV, 12.: „Numae regis posthuma lex est: Vino Rogum Ne Respergito". — *Nec vol. n. vest. apparere* est proverbialis locutio, qua Varro jam supra usus erat in Sat. *Epitaph., περὶ Τάφ.* fr. 2.

9. Ap. Non. p. 152, 22. v. Putidum, putre. — *in lectis quondam* ed. noviss. *lectis quandam* Merc., Cod. Guelf. *lecti spondam* cj. Popma; interpretans de Cynico, convivii praebitore, qui putidas uvas epulantibus proposuerat.

10. Ap. Non. p. 542, 3. v. Ricinium, quod nunc mafurtium dicitur, palliolum femineum breve. — *Nihilo magis dicere muliebre* Codd. *Nihil magis decere mulierem* cj. Bentin., prob. Jun., Laurenb. Recte. *palliolum simpl.* Ald., Jun., Laurenb.

11. Ap. Non. p. 48, 18. v. Edones et Phagones, ab edacitate, unum Latinum, aliud Graecum. — *ἢ ἀπαλάντοισος* (quasi sit tituli pars) *edones* ed. noviss. *ἡ ἀπαντήσις edones* Ald., Jun., Laurenb. *ἢ ἀπαντοίσος* (tanquam pars tituli sit): Turneb. *ἢ ἀπαντήσει ed.* cj. Popma. *ἀτάλαντοι ὡς* vel *παντοίως edones* cj. Roth. *Et ἀπαντήσουσιν Edones R.* (nisi fortasse malueris: *Ἢ ἀπαλῶνται ἴσως Edon. R.*, quod olim conjecimus) nobis videbatur restituendum esse. — Edones et Phagones, ficta populorum nomina, qualia in Plauti Captivis (I, 2, 54. sqq.) sunt illi Pistorienses, Panicei, Placentini, Turditani et Ficedulenses. — In sequentibus dedimus *ut turba intendant* cum ed. noviss ex Codd. Guelf. et Lugd. — Merc. habet: *Edones Romani; et turba incendant annonam.* Ald., Jun., Popma et Laurenb. legunt: *roram ut turba intendat. Romam, ut turba incendat annonam* cj. Scalg., Cujac. Observ. XI, 10. Ac sane *incendat ann.* rectius fortasse, quam *intendat ann.* Annonam incendere veteres dicebant pro annonam ad summam caritatem adigere; et utitur Varro ea locutione de R. R. III, 2., ubi et posuit excandefacere annonam. Cf. Valer. Max. II, 3., ubi plerique Codd. Mss. praebent „accenderant", teste Jureto ad Symmach. Ep. I, 82. — Similiter Plaut. Trin. III, 2, 49. dixit „genus incendere" pro genus vel familiam ad extremam miseriam adducere. Cf. etiam Casaub. ad Ael. Lamprid. p. 220, 26.

12. Ap. Non. p. 214, 31. v. Nundinae, — Masculini. — *Romam ipsam marcosiae non qui in orbe* ed. noviss. *ipsam in arcosice* Ald., Jun. *Romani ipsam narcosin aenon* mg. Jun. *Romani psammatocosiae non qui in urbe* cj. Merc. *Romani ψαμμακόσιοι, non* (vel *an*) *qui in urbe* nostra conjectura est. Macrob. Saturn. V, 20.: „*Ψαμμακόσια* autem pro multis Varro saepe in Menippeis suis posuit".

13. Ap. Non. p. 152, 14. v. Pinsere, tundere vel molere. — *pinseret far* pro *pins. farinam*, quod Codd. tenent, cj. Schneid ad Varr. de R. R. I, 69, p. 383.; sed sine justa causa.

14. Ap. Non. p. 140, 3. v. Maeander est picturae genus, adsimili opere labyrinthorum ortum, claviculis inligatum. — *Περιεχοντάριαν mihi* ed. noviss. et Merc. *περιέχον τὴν γαῖαν* Jun., Laurenb. *ἢ περιέχον τὰς ταριχείας* (ut sit tituli pars): *Mihi* Scal. ad Fest. p. 497. ed. Lindem. *περὶ ἔχοντος ταριχείας* (ut sit pars tituli): *Mihi* Popma, cujus hic verba sequuntur: „Ita habent libri antiqui, quos varii varie interpolant. Emendarim: *Περὶ ἔχοντος τὰ τειχία μύχου*; elegans (!) periphrasis tectorii conclavis, cujus facies, inquit, est implexa et distincta parvis insiticiis tessulis, tum pictura orbis terrae adornata. Sic enim legendum *radio pingens*, pro *adeo cingens*“. Dubito, an hoc Popmae commento quid ineptius excogitari potuerit. Corrigendum erat *Περιχονδριᾷ* mihi facies. *Χονδριᾶν* est polentae vel alicae globulorum instar esse, et festive usurpatur de facie variolarum cicatricibus insigni aut rugis persulcata, planeque similiter ejusmodi facies solemus facete dicere: Erbsengesichter vel Graupengesichter. — *maeandr. et vinculata* Codd. *maeandr. et vermiculata* ante Merc., Scal., Laurenb., Dousa aliique. *adeo inges* ed. noviss. et Merc. *ingens* ante Merc. *cingens* mg. Jun., Laurenb., Scal. *pingens* cj. Popma, Dousa. *pinges* cj. Roth. Recte. — De maeandro, picturae genere, v. interprr. ad Fest.-Paull. s. v. Maeandrum. — Sententia fragmenti plana est.

15. Ap. Non. p. 27, 20. v. Exodium, — finis. — *narra, ut* Merc. et ed. noviss. (ex Cod. Guelf.). *narrare, ut* Ald., Popma, Scal. et Cod. Lugd. *narrare, ad exod.* Laurenb.

16. Ap. Non. p. 129, 3. v. Incrustatum. — *crustatus* ed. noviss. *crustatos* Jun., Merc. *incrustatos* Laurenb., et probat Freund. in lex lat. s. v. Crustatus. *crustati* Popma.

17. Ap. Non. p. 48, 26. v. Elixum, quicquid ex aqua mollitur vel decoquitur; nam lixam aquam veteres esse dixerunt; et p. 488, 8. v. Humo pro humu. — Turn. Adv. XV, 1. lacunam facere (cf. nostrum: eine Pfütze machen) interpretatur per: humi aquam fundere. Aliter Popma: „Non audes, inquit, in pavimento facere lacunam, in quam aquarum effusiones deriventur, at in molli et quasi investita humu calceos facis elixos: quo nihil potest esse ab elegantia et urbanitate magis alienum“.

18. Ap. Non. p. 48, 13. v. Suffundatum dictum est subjectum; dictum a fundamentis — *ut* om. Ald., Scal., Laurenb., Popma. *in* om. Scal., Popma. *lapiditus suff.* Codd. Merceri, Guelf. et Lugd., Scal. *lapidibus* Ald., Laurenb., Popma, prob. Merc. et Freund. in lex. s. v. Suffundatus.

19. Ap. Non. p. 544, 17. v. Urnarium. — Cf. Varr. L. L. V, 126.: „Praeterea erat tertium genus mensae et quadratae vasorum, vocatum urnarium, quod urnas cum aqua positas ibi po-

tissimum habebant in culina. Ab eo etiam nunc ante balineum locus, ubi poni solebat, urnarium vocatur". — Plumbo autem veteres uti solitos esse ad committenda fictilia vasa, notum est ex Juvenal. Sat. XIV, 308. et ex Caton. R. R. c. 39. Cf. Gesneri Thesaur. s. v. Plumbum.

20. Ap. Non. p. 152, 19. v. Porcas. — *in publica nocte te tab.* Codd. *nostra taberna* cj. Scal., Laurenb. *in publico nocte tabernas* cj. Gerlach., quem secuti sumus. Tabernae, de quibus Varro loquitur, videntur lupanaria esse. *proinde* Cod. Lugd., ed. Ald. *in arato* sc. agro. Cf. Propert. El. I, 6, 32.

21. Ap. Non. p. 169, 10. v. Sabulum. — *peristyliis* Scal., Popma. *ubi habitare possint* Scal.; falso. — De xystis v. Schneid. ad Varr. R. R. III, 5. p. 509 sqq.

22. Ap. Non. p. 251, 30. v. Colere, ornare. — *quis dom.* Ms. Fabri, Popma. *quo dom.* alter Bern.

23. Ap. Non. p. 309, 15. v. Fingere, — formare et facere. — *hirundine singulinis obl.* ed. noviss. ex Codd. Guelf., Lugd. et Bern. *singulis* Merc. *tigillis* cj. Popma. *figuli* cj. Jun. *hirundines figulis oblitis* Ald., Jun., Popma. *singuli oblinitti* mg. Jun. *hirundines in culinis* cj. Roth.; optime. — Suntne hae culinae fortasse pauperum illa sepulcra, de quibus Aggenus Commentar. in Frontin. de Limit. Agrar. p. 60. ed. Goes.: „Sunt in suburbanis loca publica, inopum destinata funeribus, quae loca culinas appellant"?

24. Ap. Non. p. 492, 16. v. Fructuis pro fructus. — V. supra adnot. ad Sat. *Meleagr.* fr. 1.

LXXXVII. TESTAMENTUM, *ΠΕΡΙ ΔΙΑΘΗΚΩΝ.*

Inter scripta veterum philosophorum haud raro testamenta memorantur. Diog. Laert. V, 66. et V, 11. servavit Lyconis, Troadensis, et Aristotelis testamenta, et de Theophrasti et Epicuri tabulis supremis legimus apud eundem Laert. X, 16. V, 51 sq. et ap. Cic. de Finn. II, 31., et in Athenaei Deipnos. V, p. 186. Peregrinum Proteum, paulo antequam rogum ascenderet, Διαθήκας τινὰς καὶ παραινέσεις ad civitates familiares perscripsisse, narrant Lucian. de Morte Peregr. c. 41. et Philostrat. VII, 35. p. 314. Lampetii, haeretici, διαθήκην in commentarios suos regessit Photius (Bibl. LIII, 19.). Quid? quod et Orpheus carmen illud, quod, ut Apologetae significant, quasi mortalium operum postremum Musaeo suo haereditatis loco relinquere statuit, Διαθήκας inscripsit. Lobeck. Aglaoph. p. 366. Inprimis autem hic memorandum nobis est, quod Menippus quoque, Gadarensis Cynicus, testamentum condidit, auctore Diogene Laert. VI, 101. Cujus quidem libri quamquam ne unum quidem fragmentum superest, unde, quae ratio ejus fuerit, aliquomodo possit cognosci, quum tamen constet, philosophum illum proprio quodam et salso et festivo scribendi genere floruisse et in philosophorum maxime ridicula invectum esse, si dicas in Menippi Διαθήκαις mirificam illam philosophorum consuetudinem, qua testamenta condere solebant, facete traductam

atque irrisam fuisse, meo quidem judicio a vero non procul aberraveris. — Varronis Satura, *Testamentum* inscripta, cujusmodi argumenti fuerit, certo dici nequit. Sed quum Varronem in Saturis constet Menippum Cynicum aemulatum esse, nihil impedit, quominus putemus, Romani et Graeci Cynici libellos rationem non valde diversam habuisse.

1. Sic ille puellus Veneris repente Adon cecidit cruentus olim.

2. E mea φιλοφθονίᾳ natis quos Menippea haeresis nutricata est tutores do

Qui rem Romanam Latiumque augescere vultis!

3. Venio nunc ad alterum genus testamenti, quod dicitur φυσικὸν, in quo Graeci belliores, quam Romani nostri.

4. Si quis mihi filius unus pluresve in decem mensibus gignuntur, ii si erunt Ὄνοι λύρας, exhaeredes sunto. Quod si quis undecimo mense κατ' Ἀριστοτέλη natus est, Attio idem quod Titio jus esto apud me.

1. Ap. Non. p. 158, 13. v. Puellos, pueros. — *Adon* Merc. *Vadon* ed. noviss. *fato* cj. Jun. — V. Fest. s. v. Pullus: „— — antiqui autem puerum, quem quis amabat, pullum ejus dicebant". Servius ad Virg. Ecl. X, 18. statuens, *Adon* nominativum Latinis inusitatum esse, et hoc Varronis fragmento erroris convincitur et vers. Venantii Fortunat. Carm. VII, 12 et 18.

2. Ap. Non. p. 478, 17. v. Nutritur et nutricatur pro nutrit et nutricat. — ἔμεα φιλοφθονία *natis* Merc. et ed. noviss. ex suis Codd. *E mea* φιλοφθ. ex conj. scripsi et conjungo non cum *natis*, sed cum *tutores do*. — *Menippi haer.* Popma. *Menippe haer.* ed. noviss. *Menippea haer.* Merc. — Versus est Ennii (Ann. I, 121.), cujus verba plenius citat Porphyr. ad Horat. Serm. I, 2, 67.: „Audire est operae pretium, procedere recte Qui rem Romanam Latiumque augescere vultis!" *augiscere* Laurenb., cj. Merc. — Varro natis suis Cynicos constituit tutores, ut ejus sectae severitate ad priscam victus cultusque simplicitatem reducantur, qua stabat antiqua Romanorum respublica.

3. Ap. Non. p. 77, 27. v. Bellioris est melioris. — Quodnam testamenti genus φυσικὸν Varro dixerit, ex hoc quidem loco non satis liquet. Videtur illud significare, quo qui sint quasi jam natura constituti literis quoque haeredes declarentur. Quod autem Graecos belliores i. e. aequiores dicit in eo genere esse, refero ad Solonis legem servatam Demosth. in Steph. II, p. 1133., quae οὐκ ἐᾷ διαθήκας διαθέσθαι, ἐὰν παῖδες ὦσι γνήσιοι.

4. Ap. Gell. III, 16. — Est pars testamenti Varroniani. Di-

cit Varro, se nihil curare Decemvirorum definitionem, in decem mensibus hominem gigni et in lucem edi, ut qui post decimum mensem a parentis morte nascerentur, pro genuinis non haberentur, nec inter haeredes numerarentur: se potius contra hanc legem constituere testamento, ne, qui forte decimo mense nati fuerint, pleniore jure uterentur, quam qui forte undecimo fuerint; quo tempore etiam gigni posse vel sit ipsius Aristotelis (Aristot. Hist. Anim. VII, 4. Cf. Lindenbrog. ad Censorin. de Die Nat. c. 7.) sententia, seque tam parum curare legitimi temporis in ea re descriptionem, ut tantum absit, ut eos, qui decimo mense nati fuerint, prae illis, qui undecimo, haeredes scribat, ut exhaeredes declaret, si stupidi fuerint et ὄνοι λύρας. — De proverbialibus locutionibus *Idem Atti Quod Titi* et Ὄνος Λύρας v. supra adnot. ad Saturas iis inscriptas.

LXXXVIII. TITHONUS, *ΠΕΡΙ ΓΗΡΩΣ.*

Tithoni, Laomedontis filii, senectam in proverbium abiisse notum est. V. Diogenian. VIII, 37. Zenob. VI, 18. ibique Schott.

1. Qua voluptate aevitatis extimam attigit metam aevitas!
2. Quam dereliquit multicupida juvenilitas.
3. Ac mammam lactis sugentem pascere pupum.
4. Sic invitata a natura anima corporeum corticem facile reliquit.
5. Risi multum, lusi modice jambis.

1. Ap. Non. p. 193, 7. v. Aevum, — aevitas feminini. — *Qua voluntatem aev.* Codd. *Qua voluptate auctoritatis ext.* cj. Gerlach.; inepte. — Dedimus locum ex nostra emendatione.

2. Ap. Non. p. 123, 7. v. Juvenilitas pro juventus; et p. 433, 25. v. Juventus, — juvenilitas, quod ὁρμὴν vel πάθος vocant Graeci.

3. Ap. Non. p. 156, 21. v. Pupae et pupi. — *pascere et pup.* Codd. *et* particulam, qua metrum violatur, recte ejecerunt Scal., Laurenb., Popma.

4. Ap. Non. p. 199, 28. v. Cortex, — Masculini. — *invitatam matura* ed. noviss. ex suis Codd. *invitata matura* Turn. Adv. III, 20., Jun., Popma. *invitata a natura* scripsimus ex emendatione Merceri. *relinquit* Cod. Lugd., ed. Ald., Jun. — Quo sensu corporeum corticem h. l. Varro usurpat, eodem alii „folliculum" posuerunt. Ita Lucil. Sat. XXVI, 27. p. 383. ed. Haverk.: „Ego quis sim et quo folliculo nunc sim indutus non

quaero". Arnob. adv. Gent. II, p. 98. ed. Cant.: „Nihil enim est nobis promissum ad hanc vitam, nec in caruneulae hujus folliculo constitutis opis aliquid sponsum est auxiliique decretum". Tertull. Apolog. c. 50. in narratiuncula de supplicio Anaxarchi philosophi (quam petiit ex Diog. Leert. IX, 58.): „Tunde, tunde, ajebat, Anaxarchi follem (*θύλακον*)! Anaxarchum enim non tundis".

5. Ap. Non. p. 343, 3. v. Modicum in consuetudine pauxillum volumus significare. Modicum veteres moderatum et cum modo dici volunt. — *modice ambis* Merc. et ed. noviss. ex suis Codd. *ambos* mg. Jun., Popma. *modice jambis* nostra est conjectura.

LXXXIX. *ΤΟ ΕΠΙ ΤΗΙ ΦΑΚΗΙ ΜΥΡΟΝ, ΠΕΡΙ ΕΥΕΤΗΡΙΑΣ.*

Codd. Merceri et ed. noviss. praebent inscriptum: „V. *T. E. T. Φ. M.*, *περὶ Εὐτερία* vel *π. Εὐτερίας*, et semel *π. Εὐισηρίας*. sed ed. 1526., Jun. et Laurenberg. jam olim restituerunt *π. Εὐετηρίας*. Turn. Adv. XXIX, 3 et Popma invita Codd. auctoritate inscribunt *π. Εὐτελείας*. — Memorat hanc Saturae inscriptionem proverbialem M. Fronto ap. Gell. XIII, 28. ubi, disputans de discrimine quod intercedat si dicas „multi mortales" et si dicas „multi homines,": „Videte tamen," inquit, ne existimetis, semper atque in omni loco mortales multos pro multis hominibus esse dicendum, ne plane fiat Graecum illud de Varronis Satura proverbium *T. E. T. Φ. M.* Item meminit Athenaeus Deipnos. IV, p. 160.: „*Πρὸς ταῦτα ὁ καλὸς ἡμῶν ἑστιάτωρ Λαρήνσιος καὶ αὐτὸς ἔφη· Ὦ ἄνδρες κύνες οἱ, κατὰ τὴν Σράττιδος, τοῦ κωμῳδιοποιοῦ, Ἰοκάστην, ἥτις ἐν ταῖς ἐπιγραφομέναις Φοινίσσαις φησί·*

Παραινέσαι δὲ σφῷν τι βούλομαι σοφόν
ὅταν φακῆν ἕψητε, μὴ 'πιχεῖν μύρον.

Καὶ ὁ Σώπατρος δέ, οὗ τὰ νῦν μέμνησαι, ἐν Νεκυΐᾳ μνημονεύει οὕτως·

Ἴθακος Ὀδυσσεὺς τοὐπὶ τῇ φακῇ μύρον
πάρεστι· θάρσει, θυμέ.

Κλέαρχος δέ, ὁ ἀπὸ τοῦ περιπάτου, ἐν τοῖς περὶ παροιμιῶν ὡς παροιμίαν ἀναγράφει τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον. Ἧς μέμνηται καὶ ὁ ἐμὸς προπάτωρ Οὐάῤῥων, ὁ Μενίππειος ἐπικαλούμενος· καί οἱ πολλοὶ τῶν γραμματικῶν τῶν Ῥωμαϊκῶν οὐχ ὁμιλήσαντες πολλοῖς Ἑλληνικοῖς ποιηταῖς καὶ συγγραφεῦσιν, οὐκ ἴσασιν, ὅθεν εἴληφεν ὁ Οὐάῤῥων τὸ ἰαμβεῖον." Usurpatur autem id proverbium in hominem aut in rem quampiam, quae neutiquam in tempore adhibeatur iis, quibus minime congruit, veluti si philosophum juvenum lascivientium convivio misceas, aut quum inter pocula de rebus gravibus et seriis incipias disputare. Quemadmodum videlicet lenticulae vili legumini inepte quis admiscuerit unguentum. Cf. Cic. ad Att. Ep. I, 19, 2. et Mos. Solan. ad Luciani Epp. Saturn. p. 404. adn. 13. — Saturam Varronis Popma putat fuisse scriptam in homines sumptuosos pariter atque inertes, „qui nihil possunt vel animi contentione vel labore corporis efficere et sunt in omni vitae ratione lauti ac elegantes. Cum autem vitam, quam tenuis cultus corporis facile sustentat, obruunt copia atque rerum omnium affluentia, tum vero lenti admiscent unguentum".

1. Ac tu quidem ut facias censeo, quoniam tu quoque adulescentiaris.
2. Nec multinummus piscis ex salo captus
Helops, neque ostrea illa magna captata
Quivit palatum suscitare.
3. Legendo autem et scribendo vitam procudito!

1. Ap. Non. p. 71, 30. v. Adulescentiaris. — *Ac tu qu. ut faciat* ed. noviss. *Tu qu. ut faciat* Merc. *Ac tum qu. ut facias* Popma, Laurenb. et Jun., nisi quod illud *Ac* omittunt.

2. Ap. Non. p. 216, 8. v. Ostrea generis feminini. — *multinummus* cf. Varr. R. R. III, 17.: „multinummos alo asinos". De helope adeas Interprr. ad Gell. 17, 16. *ulla magna* Jun., Popma. *m. capta* ed. noviss. *m. captata* cj. Scal, Merc., Laurenb., Popma. Recte. Ostrea Varro fortasse intelligit tridacna illa, de quibus Plin. XXXII, 5.

3. Ap. Non. p. 156, 27. v. Procudere dixit prolatare, producere Varro. — Locutio a fabris aerariis translata, qui ferrum cudendo malleis producunt et extendunt.

XC. *ΤΟΥ ΠΑΤΡΟΣ ΤΟ ΠΑΙΔΙΟΝ, ΠΕΡΙ ΠΑΙΔΟΠΟΙΙΑΣ.*

Proverbialis locutio, significans, in liberis inesse paternam effigiem tam animi indole quam corporis lineamentis expressam eosque mores parentum fere sequi inque horum vestigia incedere. Usurpat Basilius M. in Epist. ad Liban. 146: „*Ει δὲ ἐμός ἐστι παῖς, τοῦ πατρός ἐστι τὸ παιδίον· πένης ἐκ πένητος*". — Turneb. Adv. XVII, 21. Varronem conjicit hac Satura „de procreatione liberorum disseruisse, et eis, qui parentes esse optimorum liberorum vellent, praecepta dedisse".

1. Ac liberos parare cui necesse sit
Non est merum, nec tu edepol quid simulas tuis.
2. Annos multos quod parere ea non poterat, mulierem foras betere jussit.
3. An etiamsi audisset, reddere potuisset mulieri tetricae horrentes? Ducat ad Appiam, moribus bonis virginem!
4. Quare si Diogenes est ad amussim, per me licet adsumas *γενεθλιακόν.*

1. Ap. Non. p. 344, 3. v. Merum est solum. — *non est merum*, uti nostrum macht's nicht allein aus.

2. Ap. Non. p. 77, 21. v. Betere, id est ire. — *Sanos mult.* ed. noviss. *Annos multos* Turn. Adv. XXIX, 3., cj. Carrio, Merc.

A se annos cj. Haverk. ad Tertull. Apol. Cap. 6. et Muret. V. L. XV, 15. *Assa non multo post quod, — mulier cum f. b. j.* cj. Scal., Laurenb.; perperam. — Foras betere jubere est formula divortii, neque veri absimilis est conjectura Haverkampii, Varronis hoc fr. referendum esse ad Spurium Carvilium, qui primus Romanorum divortium fecit ob ventris sterilitatem, auctore Gell. IV, 3. Valer. Max. II, 1, 4. Plut. Qu. Rom. 13.

3. Ap. Non. p. 181, 12. v. Tetrica est severa. — *An* om. ante Merc., Laurenb. *mulier tetricae horrentis?* ed. noviss. *mulieri t.* Jun., Laurenb., Merc. *horrenti* Popma. *horrentis* vel *horrentes* omisit Jun., prob. Gerlach., quod scilicet ex sequente loco, qui Virgilii est, irrepserit. Nos retinendum esse censuimus, verborum sententia ipsa flagitante; horrentes enim illi sunt liberi ad novercam reduci horrentes ejusque severitatem detestantes. Sequentia in Codd. sic vulgo habentur: *Ducat ad Appiam moribus bonis.* ad quae verba aliquid desiderari in aperto est. Exciderat haud dubie vocab. *virginem*, quod eruimus ex sequentibus Nonii verbis (*Virg. Aen.*), qui locum Virgilii post illum Varronis laudat.

4. Ap. Non. p. 9, 15. v. Examussim dicitur examinate ad regulam vel coagmentum: est enim amussis regula fabrorum, quam architecti, quum opus probant, rubrica illinunt. — *Quare si diu gens est* Codd.; mendosissime. *dia gens* cj. Merc., quod non minus ineptum est quam Junii *id ingens* aut Palmerii *dium genus es.* Nos conjectura certissima restituimus *Quare si Diogenes est.* In sequentibus Codd. plerique praebent corrupte *per me l. adsumas teneo διακον*, pro quo Ald. et Jun. *οἰάκων.* — *μακρὸν* est lectio vet. alicujus Cod. ap. Jun. *τὸν νέον διάκονον* cj. Gerlach., quod minime placet, nec aptum sensum praebet. Emendandum erat *adsumas γενεθλιακόν.* Diogenes vero fortasse est ille Babylonius, Stoicus celeberrimus, cujus librum de divinatione saepius laudat Cicero in suo cognomini.

XCI. *ΤΡΙΚΑΡΑΝΟΣ.*

Memorat hanc Saturam Appian. de Bell. Civ. II, 9: „*Καὶ τρεῖς οἵδε* (sc. Caesar, Pompejus et Crassus), *τὸ μέγιστον ἐπὶ πᾶσι κράτος ἔχοντες, τὰς χρείας ἀλλήλοις συνεράνιζον. Καί τις αὐτῶν τήνδε τὴν συμφροσύνην συγγραφεὺς, Βάῤῥων ἐνὶ βιβλίῳ περιλαβὼν, ἐπέγραψε Τρικάρανον.*“ — Diximus de hoc Varronis libello supra in Commentat. Cap. II, p. 45 sq.

XCII. ΤΡΙΟΔΙΤΗΣ ΤΡΙΠΟΛΙΟΣ, ΠΕΡΙ ΑΡΕΤΗΣ ΚΤΗΣΕΩΣ.

Codd. Nonii priorem inscriptionem partim citant „V. *Trihodite trifolio*“, partim: „V. *Trihodite trifilio*, (vel *Triphylio*, aut *Tripylio*, ut habent Jun., Laurenb. et Merc.), et semel „V. *Trihodite tripolio*, quod unice verum est. Altera inscriptio corrupte in Codd. habetur περὶ ἀρετήσεως, (vel: *peri aretescos*), περὶ ἀτῆς κιτήσεως, vel περὶ ἀρετῆς καιήσεως. Ald., Jun. et Laurenberg. inscribunt περὶ Ἀρετῆς καὶ Φύσεως, sed rectius Mercerus, qui ubique περὶ Ἀρετῆς Κτήσεως emendandum esse conjecit. — Τριοδίτης autem Τριπόλιος Varronis, ni fallor, est homo dictus, qui nullo artium virtutumve genere antea institutus postquam in triviis semel consenuit atque incanuit, illis non amplius potest assuesci. — De argumento Saturae varii varia sibi excogitarunt, quae hic singulatim adscribere juvat. Turneb. Adv. XVII, 21. haec adnotat: „Citatur Varro in *trihodite trifolio* (sic), περὶ ἀρετῆς ἕως (sic). Ego sic censeam inscriptam Satiram *Triviale Trifolium* propter triplicem vivendi sectam, voluptuariam, in cogitatione et contemplatione occupatam et in actione positam: vel potius ob tria bonorum genera, animi, corporis, vitae“. Aliter Popma, qui: „Censet,“ inquit, „hominem non posse contendere adversus impendentes vitae calamitates, nisi firmatum assidua exercitatione, atque instructum in omni genere virtutis et scientiae. — — Hinc titulus *Triodite trifolius* (sic) vel τριοδιτὶ (sic) τριφώλιος (sic): quo significatur homo constans et exercitus, qui in se firmissimum praesidium habet adversus mala animi, corporis et fortunae: vel qui est versatus in triplici genere virtutis et vitae, otioso, actuoso et ex utroque temperato. Τριφώλιος constans, peritus, cui contrarium ἀποφώλιος (!!), vanus et indoctus“. Mercerus denique (ad Non. p. 640.) haec adnotat: „Argumentum libri: Virtus a natura, an διδακτός. Videtur docuisse, ad eam perficiendam tria quaeri, naturam primo, dein doctrinam, quae illam informet; quod docuit exemplo tolutarii equi, qui tametsi natus ad vehendum, tamen traditur magistro, qui tolutarium gradum doceat: postremo usum et exercitationem, qui utramque perficiat. Id docuit exemplo pythaulae, qui priusquam in orchestra tibias inflet, domi suae ramices rumpit. Hinc titulus libri *Trihodite* (sic) *trifolio* (sic), an *tripylio* (sic): quia tribus viis, tribus portis pervenitur ad virtutem“.

1. Priusquam in orchestra pythaules inflet tibias, domi suae ramices rumpit.
2. Sed ut equus, qui ad vehendum est natus, tamen hic traditur magistro, ut equiso doceat tolutim.
3. Illud vero quondam egi, ut ego non metuam fulmen, non aruspicem tristem: simulans dici non quaero.
4. Nec coruscus imber, alto nubilo cadens multus, grandine implicatus albo.

1. Ap. Non. p. 166, 10. v. Ramices dicuntur pulmones vel hernia. — Pythaulae quinam sint, docet Horat. A. P. v. 414.: „— — qui Pythia cantat Tibicen didicit prius timuitque magistrum“, et Hygin. fab. 273.: „His quoque ludis pythaulae qui Pythia can-

taverunt". — Ceterum cf. Merceri adn. supra in adnotatione ad hujus Saturae inscr.

2. Ap. Non. p. 4, 13. v. Tolutim, — quasi volutim vel volubiliter; et p. 105, 30 v. Equiso pro equite. — *Nam ut* (vel *aut*) *equus* quod praebent Codd. in altero loco, occupavit praeter Popmam et Dousa ad Lucilii frr. p. 216. ed. Haverk. *ecus* Codd. noviss. ed. *equus* Merc. *doceat tolutim* sc. ire.

3. Ap. Non. p. 410, 4. v. Triste, — (tristis) doctus. Fragmentum corruptissimum, cui commodam medicinam non habeo. *Illud v. quondam meae* Merc. et ed. noviss. *quodam* Codd. Lugd. et G. *quondam egi ut* Popma. *fecit ut* mg. Jun. *quondam animo meo sedet, ut* cj. Stewech. *simul ac dici* Merc. et ed. noviss. *ac simul dici quaero* Codd. Bern. et G. *simul addici* cj. Stewech. *simul addicit* cj. Jun., Laurenb. *si μύλαξ δίκει* cj. Popma. *simulans d. n. qu.* ex mea conj. dedi.

4. Ap. Non. p. 208, 9. v. Grando, Masculini. — *implicatur* Cod. Guelf., Merc.

XCIII. *ΤΡΙΦΑΛΛΟΣ, ΠΕΡΙ ΑΡΡΕΝΟΤΗΤΟΣ.*

Codd. Nonii citant: V. *Tripallo, π. 'Αῤῥ.*; mendose, quare jam olim Scaliger correxit: „V. *Triphallo, π. 'Αῤῥ.*" Recte; nam et Cod. Charisii, cujus collatione, a Niebuhrio instituta, Lindemannus usus est, I, 16 (p. 44 ed. Lindem.), clare scriptum exhibet: „Varro *Trifallo*". *Τρίφαλλος*, erat cognomen Priapi, (Vet. Gloss. ap. Scal. Catal. p. 211: „Trepallos, *πρίαπος*". Cf. Auct. Priap. 83, 9. Burm. ad Anthol. Lat. II, p. 560 sq.), et est vocabulum facete formatum, ad significandum hominem magnis genitalibus instructum. — Naevii fabulam quandam *Triphallum* inscriptam citat Gell. II, 19., et *Τριφάλητα*, Aristophanis fabulae cujusdam (v. Aristoph. frr. p. 508. ed. Paris.) titulum Toupius in Addend. ad Theocr. p. 409, item de eo explicat, qui aequo membrosior est. Quamquam secus a Toupio statuit L. G. Schneider, in adn. ad Aristot. Polit. Vol. II, p. 510. *Τριφάλητα* daemonem fuisse explicans, quales sint *Κονίσαλος* et *'Ορθάνης*, ab eoque etiam Varronis Saturae nomen derivans.

1. Calamistra.

2. Ego nihil, Varro, video: ita hic curat, qui ante me est nescio qui longurio.

1. Ap. Charis. I, 16. §. 49. p. 44. ed. Lindem.: „Calamistros Cicero in Oratore Masculine dixit et Varro de Scenicis Originibus: hunc calamistrum, sed idem in *Trifallo:* calamistra, et Plautus in Curculione (IV, 4, 21.): „Pecten, speculum, calamistrum meum".

2. Ap. Non. p. 131, 29. v. Longurio id est longus. — *Varro, ideo* Codd. *narro adeo* ante Merc. *adeo dicta curat* cj. Popma. *Ego vero nihil video, ita hic obscurat — quis longurio* cj. Lam-

bec. ad Gell. II, 19. *video: ita hic obscurat* cj. Roth. Nos retinendam duximus vulgatam *curat*.

XCIV. VINALIA, *ΠΕΡΙ ΑΦΡΟΔΙΣΙΩΝ*.

De Vinalibus, Veneris feriis, vide Mueller. ad Fest. p. 265. et 65. et Rud. Merckel. in Prolegom. ad Ovid. Fast. p. XLVI sqq.

1. Etenim sic vide: utrum mercedem accipit is, qui meas venit segetes ut sarriat, an ego ab illo? Sic ego cum tuus sim sartor, si tu plus laboras, quam ego, do.

1. Ap. Non. p. 8, 2. v. Sartores dicti non solum a sarciendo, verum etiam a serendo. — Adscribo Merceri ad hunc locum adnotatum: „Titulus libri indicat, actum esse de re uxoria. In iis lepida haec allocutio viri ad uxorem, qua deberi mercedem asserit culti hortuli muliebris, non minus quam si agrum alterius coluisset". —*tus sim* Codd. Guelf., Lugd., Mss. Merceri, Bern. *comptus sim* cj. Turn. Adv. XVII, 21. *cum tuus sim* cj. Acidalius, Merc. *certus sim* cj. Popma; inepte, ut solet.

XCV. VIRGULA DIVINA.

Virgula divina erat magicum instrumentum, quo sibi omnia sine humana opera et quasi divinitus parari posse veteres finxisse videntur. Cicero de Off. I, 44, 158.: „Quodsi omnia nobis, quae ad victum cultumque pertinent, quasi virgula divina, ut ajunt, suppeditarentur, tum optimo quisque ingenio, negotiis omissis, totum se in cognitione et scientia collocaret." — Adagii originem Erasmus p. 53. derivat a virga illa, quam Palladi attribuit Homerus (Od. XV, 472.), et super qua Antisthenes, Cynicae sectae auctor libellum, olim conscripserat. Ceterum magicae virgulae a veteribus saepius diis attribuuntur. Sic de Circes baculo, quo homines in bruta animalia immutantur, v. Homer. Od. X, 238. 319. 389. 293. Cf. Plutarch. Moral. p. 568. A. — De argumento Saturae Popma haec conjicit: „In virtute satis esse praesidii ad bene vivendum, ut, si illa simus muniti, omnia nobis, quae ad victum cultumque natura desiderat, quasi virgula divina suppeditent".

1. Primum venit in urbem atque intra muros, deinde accedit prodius atque introit domum id est intra privatos muros.
2. Et pullos peperit fritinnientis.
3. Quos non luctu novo levata pascat.
4. Sed pancarpineo cibo coacto
Libamenta legens caduca victus,

5. Atavus cum volucris venit apud illos usque ad limina nidi avi vilis.
6. Non quaerenda est homini, qui habet virtutem, paenula in imbri.
7. Praesertim cum ventrem meum coherceam nec murmurari patiar.
8. Cum neque aptam mollis humeris fibulam sagus ferret.
9. Oleum in lucubrationem servabimus, quam in sparagos totum lecythum evertamus.
10. „Ego nunc postulo Agamemnona meum!" tantis cothurnis accipit Critona caliendrum.

1. Ap. Non. p. 47, 14. v. Prodius dictum interius, longius, a prodeundo, quasi porro eundo. — *introiit* Laurenb. Verba *id est intra privatos muros* novissimi Nonii editores cum Popma et Laurenb. pro glossemate habuerunt. Sed injuria hoc factum, ut ego judico. Alia res esset si scriptum exstaret *introit intra privatos muros id est domum.*

2. Ap. Non. p. 7, 14. v. Frigere est et frigutire et fritinnire, sussilire cum sono. — *fritinnientis* Merc. *fritiniensis* ed. noviss.

3. Ap. Non. p. 336, 26. v. Levare, — relevare. — *non jacta novo* ed. noviss. *lacte novo lev.* cj. Merc., Scalig., Laurenb., Popma; non male, modo non de avi verba intelligas. Equidem *jactura nova*, quod *jacta* per compendium scriptum erat, aut *luctu novo* restituendum esse censeo, intelligens de vetere avi, quae vix jacturam pullorum fecerat eaque relevata erat, quum novos pullos pascendos alendosque sibi datos vidit.

4. Ap. Non. p. 264, 26. v. Cogere, mollire, subigere; et p. 332, 10. v. Legere, colligere. — Cogere cibum ut nostrum in provinciis die Speise unterkriegen, i. e. ihrer Herr werden. Pancarpineus autem est cibus ex fructibus frugibusve cujusvis generis collectus, πάγκαρπος, ut Graeci dicunt (cf. πάγκαρποι στέφανοι, πάγκαρπον αὐδάν Meleagr. Epigr. I, 1. Fest. s. v. „Pancarpiae dicuntur coronae ex vario genere florum factae"). Pancarpineus autem adjectivum formatum est, ut carbasineus a carbasus (Varro ap. Non. p. 541.).

5. Ap. Non. p. 336, 8. v. Limen, omnis ingressus; et p. 529, 9. v. Vile positum legimus pro frequenti. — *Ad quos cum* Codd. in priore, *Atabos* (vel *Attabos*, ut habet Cod. Guelf. et ed. Merc.) c. praebent in altero. *Athabes* ed. princ. *Acta vos* ed. 1480. *Attelabus cum volucris* cj. Jun. *Ad quos tum v. venit pusillos*

usque ad l. nidica esca vilis cj. Scal., Laurenb.; inepte. *volucris* Merc. bis et ed. noviss. in priore loco. *limina ipsa vilis* cj. Popma. *nitida vilis* vel *nidica vilis* Codd. *Atavus — volucris — — nidi avi* (genit. ab avus) *vilis* (genit. ad *nidi* pertinens) ex mea conjectura scribere conatus sum. Certi nihil potest constitui in loco tam corrupto.

6. Ap. Non. p. 537, 11. v. Paenula est vestis, quam supra tunicam accipimus. — Popma haec adnotat: „Hac sententia monemur, omnia, quae cadere in hominem possunt, subjecta esse tutelae et potestati virtutis, ut, si in ea praesidia collocemus, nulla re egeamus, nihil requiramus semperque simus invicti. Haec est enim illa virgula divina, quae nullo fortunae impetu facile convelli potest, nulla graviore calamitate affligi; cujus munere et beneficio, quidquid optamus, id sine ullo labore aut opera nostra, quasi divinitus offertur".

7. Ap. Non. p. 478, 10. v. Murmurari pro murmurare. — *coherceam* Codd. *patiatur* Merc. et ed. noviss. *patiamur* ed. 1480., Ald. *patiar* Jun., Laurenb., Popma.

8. Ap. Non. p. 223, 31. v. Sagum, — Masculini; et p. 538, 27. v. Sagum, vestimentum militare. — *mollibus* Ald. et Popma contra Codd. auctoritatem.

9. Ap. Non. p. 550, 12. v. Sparagos. — *luc. serviamus* Cod. Guelf., Merc. *servamus* ed. 1480. *servavimus* ed. noviss. *servabimus* (i. e. servemus) ex nostra conj. dedimus. *asparagos* cj. Jun. et Freund. in lex. lat. s. v. At haec forma non minus servanda est cum Codd. auctoritate, quam genuinae formae sunt *σταφὶς* pro *ἀσταφὶς*, *στεροπὴ* pro *ἀστεροπὴ*, *σπάλαξ* pro *ἀσπάλαξ*. *quod in* ed. 1480., Ald., Jun., Casaub. ad Sueton. Caes. c. 22. *quem in* ed. princ. *quam in* Codd. Merc. et ed. noviss. *legitum evert.* ed. noviss. *legitume vertamus* reliq. edd. *lecythum evert.* dedimus ex ingeniosa Rothii conjectura.

10. Ap. Porphyr. in Horat. Serm. I, 8, 48.: „Caliendri meminit Varro in eo libro, qui inscr. *V. D.*" sqq. — *tantis cothurnis* i. e. tam gravibus altisonisque verbis. *Critona* Codd.; recte, ut nunc puto; facete enim dicit a grandi caliendro accipi Critona, quum proprie dicere debuisset: tantis cothurnis Criton induit caliendrum. Corrigendum olim putavi esse *Critonia*, quod nomen femininum reperitur passim in marmoribus vett., ut in Reines. Syntagm. Inscr. XIV, 57., ubi laudatur Critonia Procilla quaedam.

XCVI. *ΥΔΡΟΚΥΩΝ.*

Inscriptio pertinet ad Cynicorum consuetudinem, qua meram aquam bibere solebant. V. Diog. Laert. VI, 90. 105. Suid. v. *Κυνισμός*. Cf. Lucian. Vit. Auct. c. 9. Cynic. c. 5.

1. Non vides apud Mnestheum scribi, tria genera esse vini: nigrum, album, medium, quod vocant κιῤῥόν; novum, vetus, medium, et efficere nigrum virus, album urinam, medium πέψιν: novum refrigerare, vetus calefacere, medium [vero] esse prandium caninum?

1. Ap. Gell. XIII, 30. — *apud Mnestheum:* Mnesithei verba exstant servata ap. Athen. Deipnos. I, 32.: „Μνησίθεος δ' ὁ Ἀθηναῖός φησιν· ὁ μέλας οἶνός ἐστι θρεπτικώτατος, ὁ δὲ λευκὸς οὐρητικώτατος καὶ λεπτότατος, ὁ δὲ κιῤῥὸς καὶ τῶν σιτίων πεπτικώτερος". — *efficere nigrum virus:* Quidam *vires* corrigere conati sunt. Teste autem Gronovio omnes Codd. aut *viris* aut *virus* legunt, quod recte interpretatur de viro genitali seu vitali. Genitale virus dixit Tertull. de Anima c. 13. Vitale virus dixit Plin. IX, 50. Cf. Barth. ad Stat. Silv. I, 4, 104. p. 128. — κιῤῥός i. e. colore subrufo, in pallidum inclinans, interprete Galeno M. Med. 12. Εἰ ἄλλως ἐθέλεις ὀνομάζειν τὸ κιῤῥὸν χρῶμα, δύναιο ἂν λέγειν πυῤῥὸν ὤχρον. Cf. Id. de Sanit. tuenda Vol. VI, p. 147. c. 5. — Ad rem juvat tertium afferre Galeni locum ex Comment. tertio in libr. Hippocratis de Victu in Morb. Acut.: „Μηδὲν τῶν παλαιουμένων οἴνων διαμένειν λευκόν, κἂν ὅτι μάλιστα κατ' ἀρχὰς ὑπάρξῃ τοιοῦτος, ἀλλ' ἀεὶ καὶ μᾶλλον ἑαυτοῦ κιῤῥότερον γίγνεσθαι, τελευταῖον δὲ ξανθόν". — *esse prandium caninum:* Juvat ad haec verba explicanda tantum Gellii caput apponere: „Laudabat venditabatque se nuper quispiam in libraria sedens homo ineptus gloriosus, tamquam unus esset sub omni caelo Saturarum M. Varronis enarrator, quas partim Cynicas, alii Menippeas appellant. Et jaciebat inde quaedam non admodum difficilia, ad quae conjicienda adspirare posse neminem dicebat. Tum forte eum ego librum ex iisdem Saturis ferebam, qui Ὑδροκύων inscriptus est. Propius igitur accessi et: „Nosti", inquam, „magister, verbum illud scilicet e Graecia vetus, Musicam, quae sit abscondita, eam esse nulli rei? Oro ergo te, legas hos versus pauculos, et proverbii istius, quod in his versibus est, sententiam dicas mihi". „Lege", inquit, „tu mihi potius quae non intelligis, ut ea tibi ego enarrem". „Quonam", inquam, „pacto legere ego possum, quae non assequor: indistincta namque fient et confusa quae legero, et tuam quoque impedient intentionem". Tunc aliis etiam, qui ibi aderant, compluribus idem comprobantibus desiderantibusque, accipit a me librum veterem, fidei spectatae, luculente scriptum, accipit autem inconstatissimo vultu et maestissimo. Sed quid deinde dicam? non audeo, hercle, postulare, ut id credatur mihi. Pueri in ludo rudes, si eum librum accepissent, non ii magis in legendo deridi-

culi fuissent, ita et sententias intercidebat, et verba corrupte pronunciabat. Reddit igitur mihi librum multis jam ridentibus, et: „Vides", inquit, „oculos meos aegros assiduisque lucubrationibus prope jam perditos: vix ipsos literarum apices potui comprehendere: quum valebo ab oculis, revise ad me, et librum istum tibi totum legam". „Recte", inquam, „sit oculis magister tuis. Sed, in quo illis nihil opus est, id, rogo te, dicas mihi. *Caninum prandium* in hoc loco, quem legisti, quid significet?" Atque ille egregius nebulo, quasi difficili quaestione perterritus, exsurgit statim et abiens: „Non", inquit, „parvam rem quaeris: talia ego gratis non doceo". — — Quid significet *prandium caninum*, rem leviculam diu et anxie quaesivimus. Prandium autem abstemium, in quo nihil vini potatur, caninum dicitur, quoniam canis vino caret. Quum igitur medium vinum appellasset, quod neque novum esset neque vetus, et plerumque homines ita loquantur, ut omne vinum aut novum esse dicant, aut vetus, nullam vim habere significavit neque novi neque veteris, quod medium esset, idcirco pro vino non habendum, quia neque refrigeraret, neque calefaceret. Refrigerare id dixit, quod Graece *ἀναψύξαι* dicitur".

FRAGMENTA INCERTA.

1. Capite permulso.
2. *Sed et Diogenes nescio quid in Herculem ludit et Romanus Cynicus Varro trecentos Joves sive Jupiteres dicendum, sine capitibus introduxit.*
3. *Ubi denique Apollo divinus, cum a piratis maritimisque praedonibus et spoliatus ita est et incensus, ut ex tot auri ponderibus, quae infinita congesserant saecula, nec unum quidem habuerit scrupulum, quod hirundinibus hospitis, Varro ut dicit Menippeus, ostenderet?*
4. Ψαμμακόσια *autem seorsum pro multis Varro saepe in Menippeis suis posuit.*
5. *Nocturnum deum Varro in Saturis perpetuo sopore et ebrietate torpidum introduxit.*
6. *Quomodo potest rotundus esse (sc. Claudius Caesar in deum transformandus), ut ait Varro, sine capite, sine praeputio?*
7. Fulmenta lectum scandunt.
8. Quid mihi somno, si dormitio tollitur?

1. Ap. Priscian. IX, 10. p. 466. ed. Kr. (p. 871. ed. Putsch.): „Fulsi fulsum, alsi alsum, arsi arsum, tersi tersum, laesi laesum, lusi lusum, mulsi mulsum et mulctum. — — Varro in Satura: *C. p.*".

2. Tertullian. Apolog. c. 14., ubi v. Haverkampii adnot. — *Jupiteres* v. Priscian. VI, 7. p. 245. ed. Kr. (p. 695. ed. Putsch.). Varro de L. L. VIII, 33. — Quid significet, quod Tertullianus Varronem dicit immensam istam Jovum cohortem sine capitibus introduxisse, haud facilis explicatu nunc quaestio est, postquam

interiit illius liber, in quo hoc factum observatum est. De la Cerda Joves istos capitibus carentes interpretatur capitibus minutos, quorum nec de conditione, nec de familia, nec de civitate satis constiterit. Nec improbabile hoc. Erant igitur ἀκέφαλοι Joves dicendi, i. e. ἄτιμοι (v. Suid. s. v. Ἀκέφ. Artemidor. I, 35. p. 57.: „Ἀκέφαλον λέγομεν τὸν ἄτιμον"), aut certe ἀγενεῖς, quomodo Cic. pro Planc. 23, 57. dicit ἀκέφαλον αἵρεσιν i. e. sectam, cujus certus deest auctor aut caput, et similiter Leontius de Sect. act. V, p. 46. ap. Suicer.: „Ἐλέγετο ἀκέφαλοι διότι τῷ Πατριάρχῃ αὐτῶν μὴ ἀκολουθήσαντες καθ' ἑαυτοὺς ἐκοινώνουν". — Ceterum Rud. Merckel. in Prolegom. ad Ovid. Fast. p. CCXXI, 7. affert hunc fr. ex Varr. Rer. Hum. et Divin. l. XVI; nescio quo jure. Vide nos supra in Commentat. Cap. II, p. 48.

3. Arnob. adv. Gent. VI, p. 128. ed. Elmenh. (p. 203. ed. Cant.). — Vide nos supra in Comment. Cap II, p. 48 sqq. et p. 195. ad Sat. Πλουτόρινον.

4. Macrob. Saturn. V, 20. — V. Sat. Ταφ. Μενίππου fr. 12.

5. Popma citat hunc locum ex Augustini libris de Civ. Dei; sed mihi, opere hoc paene sexcenties pervoluto, reperire eum non evenit.

6. Seneca Apocolocynth. p. 993. ed. Lips. a. 1770. Locus nescio quo jure a Popma ad Saturas Varronis relatus. — Claudio Caesare in Deorum concilium adducto, quaestio oritur, cujusmodi deus ex eo faciendus sit, unde hoc modo interrogant: „Modo dic nobis, qualem deum istum fieri velis: ἐπικούρειος θεὸς non potest esse: οὔτε αὐτὸς πρᾶγμα ἔχει οὔτε ἄλλους παρέχει. Stoicus? quomodo potest rot." sqq. Stoicos Deo rotundam formam, quippe perfectissimam attribuisse, notum est. Claudium autem Caesarem ideo judicant Stoicum Deum fieri non posse, quia vel ea ipsi desint, quorum adhuc aliqua cum rotunda figura cognatio, caput et praeputium. Nec inepte omnino Casp. Barth. Adv. VI, 8.: „Nam illud ita capiendum: Quo modo quis potest Deus esse ad Stoicorum normam, qui nec voluptate afficiatur, nec sapientiam curet, aut operam dat rebus suis bene ordinatimque administrandis. Quoniam enim deos non curare mortalia vel citra favorem tamen dicunt nonnulli Stoicorum et eosdem voluptate non affici, sine capite et praeputio fingi, per jocum dixit satiricis talibus facetissimus Varro".

7. Ap. Non. p. 206, 24. v. Fulmentum neutro, ut est in proverbio veteri, quo Varro utitur saepius: F. l. sc. — Quum Nonius affirmet hoc proverbio saepius usum esse Varronem, ipseque longe plurimam fragmentorum Varronis partem ex Saturis hujus citet, quas scatuisse proverbialibus constat locutionibus, inde hoc fr. Saturarum reliquiis inserendum censuimus. —

fulmentum lectum Cod. Lugd., ed. Ald., Jun. — Turn. Adv., XV, 5.: „Ego ea adagione existimo significari, quod subesse debet praeesse velle, quod subjici imperare conari. Nam quod lectum sustinet ac fulcit, subjici lecto, non imponi debet“. *Fulm. lectum scandunt* Graecorum fere est Ἄνω Ποτάμων Χωροῦσι Παγαί, de quo v. Schott. ad Zenob. I, 56. p. 267. ed. Gaisf.

8. Ap. Non. p. 100, 2. v. Dormitio, qui citat, libri unde desumpsit, titulo non indicato. — Quod hoc fr. Saturarum reliquiis addidimus, ratio nobis fere eadem erat atque in fr. antecedenti. — *cum somno* Laurenb. v. Dormitio.

INDEX VERBORUM.

A.

abdicari de convivio 2, 2. 90.
abies tenera 66, 4. 185.
abolla 44, 5. 143.
Aborigines, περὶ Ἀνθρώπων Φύσεως 1. 89.
absinthius gravis 77, 1. 200.
absolutum esse omnibus numeris 60, 1. 171.
accensus 81, 9. 206.
acceptare 24, 1. 110.
accidere in humum 66, 6. 185.
accipere mercedem 94, 1. 233.
— se bene 52, 12. 150.
accipiter 54, 2. 157.
accubare 60, 1. 171.
accubitum ire 86, 7. 220.
acer homo 71, 3 *a*. 193.
acervos facere 59, 7. 169.
acies hostica *ibid.*
— russa 30, 3. 129.
acinus 86, 9. 220.
Achilles 53, 3.. 175.
acrem ignem intus pascere pectore 39, 10. 138.
acres curae 66, 13. 185.
acroasis 86, 3. 220.
Actaeon 84, 1. 218.
ad *pro apud* 39, 10. 138. 52, 18. 150.
ad *aliquid* facere medioxime 56, 6. 162.
ad amussim 90, 4. 229.
ad annum 64, 4. 181.
adcurare carros 74, 7. 196.
addere *aliquid* in *aliquid* 30, 4. 117. 61, 3. 174. 82, 11. 213.
addere calcar 11, 8. 100.
adducere ad exodium 35, 1. 130.
adferre rostrum sub rostra 52, 16. 150.
ἀδιάφορον 36, 5. 131.
adligare *alicui aliquid* 66, 3. 185.
admittere equam asino 82, 20. 213.
admovere calcar 81, 12. 206.
Adon, Veneris puellus 87, 1. 226.
Adria 73, 1. 195.
adsumere γενεθλιακόν 90, 4. 229.
adulescens moechas 39, 10. 138.
adulescentiari 89, 1. 229.
adventor 52, 3. 149.
advehi *alicui* 53, 12. 154.
advocare 82, 15. 213.
aedilicius modius 50, 2. 148.
Aegeus 44, 7. 143.
Aenea (*nominat.*) 3, 2. 93.
aënum 53, 10. 154.
aequus ad aedilicium modium 50, 2. 148.
aër cavus 81, 16. 206.
— pictus fervidis ignibus 53, 15. 154.
aëra reddere 7, 9. 96.
aerarios facere 37, 3. 131.
aeratae manus 74, 1. 196.
aëriae compedes 81, 23. 207.
aerifice ducere 39, 8. 138.
aestuare 39, 9. 138.
aetatula 22, 4. 109.
aether obliquus 24, 1. 110.
aetheris viae stelligerae 81, 16. 206.
aevitas 88, 1. 227.
aeviternus 75, 1. 199.
afficere luce locum 31, 15. 120.
Africa terribilis 44, 6. 143.
P. Africanus 64, 7. 181.
Agamemnon 95, 10. 234.

Ἄγαν Μηδέν, *Delphica inscriptio* 56, 6. 162.
Agatho 2. 90.
Age Modo 3. 92.
agere *pro agitare* 39, 9. 138.
— *pro egerere* 11, 7. 100.
— aureas undas 48, 4. 146.
agger ararum 25, 4. 111.
agipennes anates 82, 21. 213.
agitari bili atra 31, 43. 121.
ἀγὼν ἐπιτάφιος 86, 5. 220.
Ajax Stramenticius 4. 93.
ἀκίνητος 57, 1. 167.
ἄκρατος sc. οἶνος 7, 1. 95.
albicare 14, 1. 105.
Albucius 31, 22. 120.
Albula 71, 2*a*. 193.
album mare 81, 24. 207.
alere *et* pascere 37, 18. 134.
ales gallus 64, 1. 181.
Alexander 53, 8. 153.
algu dare 33, 1. 129.
alia serere 50, 1. 148.
alium ac cepe olere 11, 6. 100.
alimoniam anteposítam habere 52, 9. 150.
Ἄλλος Οὗτος Ἡρακλῆς 5. 93.
alte escendere in malum 39, 2. 138.
alte maestus 53, 18. 154.
altitonae zonae flammeae. 24, 1. 110.
altum nubilum 92, 4. 231.
altus alieno sumptu 52, 9. 150.
alumna 31, 29. 120.
alui *pro* alvi 39, 4. 138.
alvi fluctus certus *ibid.*
alvum lavere *alicui* 8, 4. 97.
— subducere *alicujus* 77, 2. 200.
amare mutuiter *aliquem* 61, 5. 174.
ambivium 53, 14. 154.
Ambraciensis haedus 68, 1. 190.
ambrosia ac nectar 71, 2*b*. 193.
amiculam sibi locare 74, 14. 196.
amiculo esse 40, 2. 141.
amminiculare 27, 2. 113.
amixit *pro amicuit* 45, 1. 145.
Ἄμμον Μετρεῖς, περὶ Φιλαργυρίας 6. 94.
amnis *feminine* 71, 2*a* 193.
Amor parvulus 39, 9, 138.
Amoris digitulus 64, 11, 181.
Amphionis partes agere 63, 1. 175.
Amphion, tragoedus *ibid.*
amphitapa bene mollis 52, 13. 150.
amphorae divitum 27, 6. 114.
amusia 63, 17. 176.
ἀνάγνωσις θεῶν 76. 199.
anates agipennes, tremipedae 82, 21. 213.
Andabatae 7. 95.
Andromeda 69, 2. 191.
anfracta cavata aurium 66, 9. 185.
anima *i. q. flatus* 44, 8. 143. 54, 5, 157.
anima *et* animus 7, 10. 96.
anima *(i. e. sonus)* liquida 31, 37. 121.
animatum esse optume 11, 6. 100.
animum mittere speculatum 27, 2. 113.
animus instabilis, ardens 16, 1. 106.
Anna et Perenna 83, 1. 217.
Annalis Enni 66, 15. 186.
anne 83, 3. 217.
anni tetrachordon 80, 2. 203.
annis multis *i. e. per multos annos* 32, 3. 128.
annonam intendere *vel* incendere 86, 11. 220.
annuere capite 69, 5. 191.
ante prospicere 52, 9. 150.
antesignani 6, 4. 94.
Ἀνθρωπόπολις, περὶ Γενεθλιακῆς 8. 97.
anticipare 11, 8. 100.
antidhac 2, 4. 90.
Antipater Stoicus 54, 1. 157.
antiquitates 82, 16. 213.
antiquus homo 32, 1. 128.
apage in dierectum 31, 47. 121.
ἀπεραντολογία festiva 31, 48. 122.
aperire lacus sanguinis 69, 4. 191.
apertae nates 55, 4. 159.
— surae *ibid.*
aperto capite esse 31, 34. 121.
apes Milesiae 74, 14. 197.
Apollinis aedes 76, 2. 200.
Apollonius 43, 2. 123.
apothecae tricliniares 30, 1. 117.
Appia *virgo* 90, 3. 229.
apricari in sole 59, 2. 169.
aptus *aliqua re* 21, 1. 109.
— teneris fruticibus lucus 57, 4. 167.
Apuliae castratum pecus 63, 11. 176.
aqua caduciter ruens 29, 1. 116.
— dulcis 52, 10. 150.
aquale velum ventorum 53, 16. 154.

aquam vomere inferam alicui 53, 16. 154.
aquam e ventre mittere 77, 5. 201.
aquatiles querquedulae 29, 1. 116.
aquilentus 67, 3. 188.
aquilex Tuscus 77, 5. 201.
aquilus fluctus 44, 7. 143.
aquilonia frigedo 16, 2. 106.
ararum agger 25, 4. 111.
aratum *sc. solum* 86, 20. 221.
Aratus 39, 6. 138.
arbores morientes aritudine 74, 2. 196.
arca regia 26, 1. 113.
Arcadôn colonus Mercurius 27, 8. 114.
arceram sternere 37, 11. 133.
ἀρχαιρεσίαι 80. 203.
architectones 52, 4. 149.
ardere poculis 55, 10. 162.
ardifeta lampas 39, 9. 138.
argentaria spes auxili 2, 4. 91.
argentum Hiberum 33, 3. 129.
Argo (accus.) citiremem 3, 1. 92.
aridum tonare 52, 21. 150.
Aristoteles 31, 17. 120. 87, 4. 226.
Aristoxenus cibarius 63, 10. 176.
aritudinem humore miscere 74, 9. 196.
aritudine mori 74, 2. 196.
ἄρκυς 66, 1. 185.
arma margarito candicantia 25, 2. 111.
Armorum Judicium 9. 99.
arquatus 31, 26. 120.
ἀῤῥενότης, ἡ 92. 232.
arte ligare vesicam 7, 9. 96.
artem inertem expromere 63, 6. 175.
aruspex tristis 92, 3 231.
aselli Pessinuntii 68, 1. 190.
asparagos serere 50, 1. 148
asper (*de sapore*) *ibid.*
astricam coronam poscere ab Arato 39, 6. 138.
astrice caeli chorea 53, 15. 154.
astrologi 53, 19 154.
Atalanta 55, 6. 159.
Atellanas tricas extricare 37, 1. 133.
athla Herculis 15, 1. 106. 31, 10. 119.
athletae ad Herculis athla facti 31, 10. 119.
atra bili agitari 31, 43. 121.
atria divitiis Crassi 8, 2. 97.
attagena Phrygia 68, 1. 190.
Attio Idem Quod Titio Jus esto 87, 4. 226. *Cf.* 42. 142.
Atticarum Musarum scriptores 64, 1. 181.
Attices philosophiae alumna Veritas 31, 29. 120.
Atticus 80, 6. 204.
attingere aevitatis extimam metam 88, 1. 227.
attollere deum depinnato orationis eloquio 58, 1. 168.
aucupari voluptatem auribus 38, 1. 137.
aucupum cohortes 11, 4. 100.
audisset 90, 3. 229.
auferre *et* tollere 82, 14. 213.
augescere 87, 2. 226.
Augiae κόπρον agere 11, 7. 100.
aura solis 31, 32. 120.
auraria statera verba ponderare 71, 3*b*. 193.
aureae caeli cavernae 53, 16. 154.
aureas undas agere 48, 4. 146.
aurei lateres 81, 19. 206.
aures obsidere alicujus 41, 2. 141.
— returare *alicui* 2, 2. 90.
— ebriae *et* saturae 31, 48. 122.
auribus voluptatem aucupari 38, 1. 137.
aurigari 56, 14. 162.
aurium cavata anfracta 66, 9. 185.
Aurorae supparum ostrinum 30, 15. 119.
aurum ferens flumen 25, 1. 111.
Automedo 52, 1. 149.
autumnitas 80, 2. 203.
— Bromia 77, 7. 201.
avi et atavi 11, 6. 100.
avida libido 61, 1. 173.
avito et patrito more 52, 2. 149.
axis frigidus 53, 17. 154.
ἀφροδίσια, τὰ 94. 233.

B.

bacchari 31, 21. 120.
badius 63, 13. 176.
Bajae 10. 99.
barbam radere 37, 5. 133. 56, 7. 162.
basis 63, 5. 175.
bellaria 60, 1. 172.
belli munera praestare 44, 5. 143.

bellus homo 56, 2. 161. 86, 3 et 5. 220.
bellus i. e. aequus, vel bonus 87, 3. 226.
bene acceptus 52, 13. 150.
— mollis amphitapa ibid.
betere foras jubere mulierem 90, 2. 229.
bibere absinthium gravem 77, 1. 200.
bibere medicamentum 69, 1. 190.
— Philippeum 61, 3. 174.
bigae cornutae 80, 4. 204.
— Lunae 24, 1. 110.
— Veneris 22, 4. 109.
bili atra agitari 31, 43. 121.
bilingues tibiae 56, 18. 162.
Bimarcus 11. 99. sq.
bipennis passerculus 53, 3. 153.
— securis 66, 2. 185.
bipensiles forcipes 77, 6. 201.
bipinne fulmen 53, 18. 154.
bis sex 24, 1. 110.
bisulcae ungulae 73, 2. 195.
Bithyni cultelli 37, 4. 133.
bivira 48, 5. 146.
βιωφελής 60, 1. 172.
blaterare 42, 1. 142. adn.
blitum 31, 23. 120.
bona corporis sequi 81, 8. 206.
bona seges 48, 9. 146.
bonitas terrae 6, 2. 94.
bount 66, 7. 185.
bovam luto oblinere 59, 4. 169.
bovis pro bos 1, 2. 89.
Briseidem 63, 4. 175.
Bromia autumnitas 77, 7. 201.
bubulcitare 52, 1. 149.
buccam offendere sc. veretro 53, 2. 153.
bucolicum (sc. tugurium) 56, 15. 162.
bulga 61, 3. 174. Cf. 82, 11. 213.
buxea rostra anatum 82, 21. 213.
C.
caballus 66, 3. 185. 81, 2. 206.
cadere pro decidere 92, 4. 231.
caduca daps Liberi de fronde Bromiae autumnitatis 77, 7. 201.
caduciter ruens aqua 29, 1. 116.
Caecilius in argumentis poscit palmam 66, 14. 185.
Caecubus ager 8, 3. 97.
caecutire 7, 1. 95. 37, 7. 133.
caelata Hibero argento scuta 33, 3. 129.
caelatus scyphus 2, 7. 91.
caelatura 24, 1. 110.
caeli chorea astrice 53, 15. 154.
— cavernae aureae 53, 16. 154.
— figmenta 53, 19. 154.
caelo dolitus scyphus 2, 7. 91.
caelum a caelatura appellatur 24, 1. 110.
caementa ministrare 11, 17. 101.
caerula unda 53, 13. 154
calamistrum (neutr.) 93, 1. 232.
calcar addere 11, 8. 100.
— admovere 81, 12. 206.
calceatus 76, 2. 200
calcei muliebres 31, 12. 119.
calceos facere elixos 86, 17. 221.
calcitro equus 81, 3. 206.
caldis pedibus se irrumpere 70, 2. 192.
calere 80, 8. 204.
calices Cumani 30, 1. 117.
calida aura solis 31, 32. 120.
caliendrum 95, 10. 234.
calix mulsi 17, 2. 107.
calliblepharon naturale 64, 12. 181.
calor a calendo 7, 7. 96.
calore frigus miscere 74, 9. 196.
calumniari 86, 12. 221.
calx (masc.) 54, 3. 157.
cana Veritas, Atticae philosophiae alumna 31, 29. 120.
candelabrum 11, 23. 101.
candens corpore taurus 39, 7. 138.
candicantia margarito arma 25, 2. 111.
candidum lacte 7, 11. 96.
candidus calx 54, 3. 157.
— suctus lactis 39, 3. 138.
canere per ossa 31, 37. 121.
caninum prandium 96, 1. 236.
canitudo 1, 3. 89.
cantare incondita 63, 12. 176.
canterius vetulus et novellus 1, 3. 89.
caperatam frontem emittere 31, 1. 119.
capite annuere 69, 5. 191.
— aperto esse 31, 34. 121.
capitis ciere partum poeticon 11, 16. 101.
Caprinum Proelium, περὶ Ἡδονῆς 12. 104.
Capuae Seplasia 8, 3. 97.
capulus 28, 2. 116. et 44, 1. 143.

caput gibberum 31, 14. 119.
caput rutro displanare 54, 1. 157.
carcer intimus 54, 3. 157.
caries et tinia 44, 2. 143.
carnales *v. casnares.*
carnarium 2, 3. 90. 52, 3. 149.
Carneades 81, 7 *et* 8. 206.
carnes coquere in pulvere mythico 67, 2. 188.
carri politi 74, 7. 196.
caruncula 7, 8. 96.
casnares 82, 18. 213.
casta poesis 66, 13. 185.
— vestis 31, 41. 121.
castoreum 77, 1. 200.
castratum pecus in Apulia 63, 11. 176.
castus *i. e. religiosus* 37, 14. 134.
— (*i. e. abstinens*) auri 7, 3. 95.
Catamitus 13. 105.
catellus 82, 12. 213.
cavata aurium anfracta 66, 9. 185.
Cave Canem 14, 105. *Cf.* 31, 4. 119.
cavernae aureae caeli 53, 16. 154.
cavus aër 81, 16. 206.
— fons 66, 9. 185.
cedere pilum *alicui* 80, 1. 203.
cedere velocibus membris 66, 8. 185.
Celer *δὶ ἑνὸς λήμματος λόγος*, Antipatri Stoici filius 54, 1. 157.
cellae vinariae 86, 24. 221.
celox 41, 4. 141.
— remivaga 11, 23. 101.
censere pro *succensere* 12, 1. 104.
centussis emere 68, 2. 190.
cepam esse 31, 18. 120.
cepe 11, 6. 100.
— flebile 52, 10. 150.
ceras conscribillare *aliqua re* 15, 1. 106.
cera Tarentina 74, 14. 196.
ceram cogere *ibid.*
cercopitheci 31, 22. 120.
Ceres 83, 1. 217.
— cibi ministra 52, 6. 150.
cernere vitam 37, 12. 133.
certus alvi fluctus 39, 4. 138.
cestis descobinare supercilia *alicui* 22, 2. 109.
cetarii 39, 2. 138.
ceto proponere *aliquem* 69, 2. 191.
cetra 22, 1. 109.
Chalcedonia pelamys 68, 1. 190.
character 50, 2. 148.
Chius pectunculus 68, 1. 190.
chlamyda purpurea 40, 2. 141.
chorea caeli astrice 53, 15. 154.
chortes 64, 10. 181.
chorus poculis ardentium 56, 10. 162.
Chrysa, insula 8, 9. 97.
Chrysosandalos 74, 14. 196.
cibarium vinum 56, 15. 162.
cibarius Aristoxenus 63, 10. 176.
cibi retrimenta 74, 10. 196.
cibus purissimus 71, 2 *b*. 193.
— pancarpineus 95, 4. 233.
cicer serere 50, 1. 148.
— viride 82, 15. 213.
ciere sibi partum capitis poeticon 11, 16. 101.
Cilices scari 68, 1. 190.
cinaedici 63, 20. 176.
cinaedus *Ἰωνικὸς Ἀχιλλέως ἡρωϊκοῦ* maerentis 63, 3. 175.
cincinnos demittere 64, 14. 181.
cingulum uxoris solvere 37, 10. 133.
circiter noctis meridie 53, 15. 154.
circumspexe 82, 1. 212.
chiremis Argo 3, 1. 92.
citrus Libyssa 37, 15. 134.
claustra 52, 3. 149.
claves *ibid.*
clavi tunicae 56, 8. 162.
Cleophantus 50, 2. 148.
clepere se *alicui rei* 60, 1. 173.
cloaca 54, 4. 157.
clueor 63, 14. 176.
coagulum conviviorum vinum 30, 6. 117.
cocorum cohortes 11, 4. 100.
coda 86, 1. 220.
coenam committere ovo maturo 27, 4. 113.
coenulam sermone variare 27, 5. 114.
coepit *pro dicere coepit* 31, 40. 121.
cogere ceram 74, 14. 196.
— cibum pancarpineum 95, 4. 233.
cohercere ventrem 95, 7. 234.
cohortes cocorum, aucupum et hamiotarum 11, 4. 100.
— commilitonum 11, 17. 101.
colere stramentis domicilia 86, 22. 221.
collectus, lectus, electus, non neglectus 60, 1. 171.

colligere post messem stramenta 86, 22. 221.
collocare fabularum exordia 63, 21. 176.
collum procerum, levi marmore fictum 64, 13. 181.
collus pavonis nitens 82, 7. 213.
colos virescit 74, 3. 196.
colubrae 31, 22. 120.
Columna Herculis, περὶ Δόξης 15, 105. sq.
coma intonsa 31, 46. 121.
— promissa 56, 7. 162.
comedones 56, 16. 162.
comest 54, 2. 157.
comestus 86, 9. 220.
comici 63, 20. 176.
commilitonum cohortes 11, 17. 101.
committere coenam ovo maturo 27, 4. 113.
communem fieri 10, 1. 99.
commune habere *aliquid* 12, 2. 104.
communis matella 27, 6. 114.
commutare mentem 63, 2. 175.
compes linea 66, 1. 185.
— aëria 81, 23. 207.
compedire pedes corrigîs 36, 4. 131.
compendiariâ *sc. via* 83, 5. 217.
compitum 67, 1. 188.
concidere 61, 1. 173.
concoquere 74, 9. 196.
concursare 59, 3. 169.
conducere loro navem 53, 14. 154.
— populum in forum 52, 16. 150.
conficere silicernium 55, 11. 159.
confluvium 86, 19. 221.
confutare 52, 4. 150.
conjicere se in ganeum amicae 81, 9. 206.
— verba in formam 66, 15. 186.
conmalaxare 36, 5. 131.
conmovere funus 52, 2. 149.
conmurmurari 64, 8. 181.
conquadrare aurum in lateres 25, 1. 111.
conscribillare *aliquid aliqua re* 53, 19. 154. 15, 1. 106.
consolare *pro consolari* 62, 1. 175.
consuestis 6, 1. 94.
contendere populi honores 80, 3. 204.
contendere *aliquem ad aliquem* 77, 4. 201.
contremulus 67, 3. 188.
*convenit usu 56, 16. 162.
convivarum numerus justus 60, 1. 171.
convivii dominus 64, 9. 181.
coquinaris culter 37, 4. 133.
corius 31, 8. 119.
cornus Phrygius 31, 37. 121.
cornutae bigae 80, 4. 204.
corona ex auro et gemmis fulgens 31, 15. 120.
corona astrica 39, 6. 138.
corporeus cortex 88, 4. 227.
corporis bona sequi 81, 8. 206.
corrigia disrupta 52, 21. 150.
corrigiae 36, 4. 131.
cortex corporeus *v. s.* corporeus cortex.
cortex supernus morientum aritudine arborum 74, 2. 196.
coruscus imber 92, 4. 231.
cossim revertere 81, 24. 207.
costas findebat esurigo 86, 7. 220.
cothurni 95, 10. 234.
coturnix 81, 16. 206.
Cras Credo Hodie Nihil 17. 106.
Crassi divitis atria 8, 2. 97.
crassi senes 82, 19. 213.
cremento majorem fieri 39, 3. 138.
crepera oracla 59, 1. 169.
cribrum novum novo paxillo suspendere 11, 11. 101.
Criton 95, 10. 234.
cruore lavere ararum aggerem 25, 4. 111.
crustati parietes 86, 16. 221.
cryptae 86, 21. 221.
cubiculum pudoris polluere 39, 10. 138.
culcita plumea 77, 3. 201.
culina ganeonibus modulus vitae 66, 13. 162.
culinae 86, 23. 221. *Cf. adn.*
cultelli e Bithynia importati 37, 14. 133.
culter coquinaris *ibid.*
cum — et *sibi respondent* 76, 1. 200.
Cumani calices 30, 1. 117.
cuminum vesci 31, 18. 120.
cuna *pro cunae* 44, 4. 143.
cupae acris aceti virtutis 81, 7. 206.
cupas vinarias sirpare 30, 4. 117.
cura Deorum non satisfacitur reipublicae 18, 1. 107.

curae acres 66, 13. 185.
curare *absolute positum* 55, 2. 159. 93, 2. 232. 31, 17. 120.
curari horno per Dionysia 31, 3. 119.
curiae fex 80, 7. 204.
M'. Curius 37, 2. 133.
currus a carcere intimo missus 54, 3. 157.
cursus vitae 35, 1. 130.
cymbalorum sonitus 31, 35. 121.
Cycnus, περὶ Ταφῆς 17. 106.
Cynici 56, 9. 162.
Cynicus 18. 107.

D.

δαίμων κακὸς, ὁ 86, 4. 220.
Damacrinus 31, 24. 120.
daps Liberi mollis 77, 7. 201.
— scholica 31, 48. 122.
dare algu 33, 1. 129.
— dotis 8, 3. 97.
— habenas *alicui* 36, 5. 131. 44, 8. 143.
decima Herculis 70, 1. 192.
decoquere 84, 4. 219.
deesse *et* superesse 60, 1. 171.
defigere (*i. e. perstringere*) *aliquem* 56, 3. 162.
deformare viam 81, 7. 206.
defraudare aes cauponem 59, 4. 169.
defrutum 8, 6. 97.
deglubere *aliquem* vivum 53, 10. 154.
de improviso 31, 29. 120.
delectum habere in Capitolio 37, 2. 131.
deletilis spongia 56, 4. 162.
delitus *partic. a delere* 36, 7. 131.
Delphice columna 56, 6. 162.
Delphicae inscriptiones 31, 16. 120. 56, 6. 162.
delumbe 53, 3. 153.
demere curas ac religiones animis 8, 2. 97.
demissam ad talos tunicam habere 55, 5. 159.
demissior (cinaedus) 63, 3. 175.
demittere cincinnos ante aures 64, 14. 181.
Democritus 17, 2. 107.
demolire astra 74, 6. 196.
dentarpagae 77, 6. 201.
De Officio Mariti 19. 108.
deorum cura non satisfacitur reipublicae 18, 1. 107.
deorsum rapi 14, 1. 105.
δέπας πίνειν 30, 2. 117.
depavit corius ulmum 31, 8. 119.
depinnatum orationis eloquium 58, 1. 168.
depontare 82, 17. 213.
depsere *et* molere 59, 5. 169.
derepente 81, 22. 207.
derepere 30, 5. 117.
derisissimus 11, 20. 101.
De Salute 20, 108.
descobinare 22, 2. 109. 55, 2. 159.
desubulare viam 81, 8. 206.
Desultorius, περὶ τοῦ Γράφειν 21. 108. *sq.*
detonderi (*med.*) 49, 1. 148.
detotonderat 51, 1. 149.
deturbare de ponte *aliquem* 82, 18. 213.
Devicti, περὶ Φιλονικίας 22. 109.
devirginatus puer 69, 6. 191.
devorare umbram spei 64, 4. 181.
dextima via 67, 1. 188.
Diana 66, 1. 185.
dicere dotem *alicui* 59, 6. 169.
δι' ἑνὸς λήμματος λόγος 54, 1. 157.
dicteria sonare 63, 19. 176.
directum in, apage a domo nostra istam insanitatem 31, 47. 121.
dies (*femin.*) 31, 4. 119.
difficul 11, 10. 101.
digitulis primoribus stare 9, 1. 99.
digitulo Amoris impressa in mento sigilla 64, 11. 181.
digitum praecidere 69, 3. 191.
diis motibus vegere lyram 63, 18. 176.
dimittere lusum 53, 7. 153.
— pectore curas 66, 13. 185.
Diogenes (*Cynicus*) 53, 7. 153. 81, 20. 207.
Diogenes 77, 5. 201.
Diogenes 90, 4. 229.
Dionysia 31, 3. 119.
Dionysius homo garrulus et acer 71, 3. 193.
discingere *aliquid aliqua re* 64, 13. 181.
Δὶς Παῖδες Οἱ Γέροντες 23. 110.
displanare caput rutro 54, 1. 157.
disrupta corrigia 52, 21. 150.
dissociatus 83, 4. 217.

δίστιχον ἐπιγραμμάτιον 66, 15. 186.
diversum ferri 31, 45. 121.
divitum amphorae 27, 9. 114.
dixe *pro dixisse* 53, 11. 154.
docere equum tolutim (*sc. ire.*) 92, 2. 231.
dolitus scyphus 2, 7. 91.
Dolium aut Seria 24. 110.
dominus (*sc. convivii*) 27, 4. 113. 56, 15. 162.
dominus convivii 60, 1. 171. *et* 64, 9. 181.
domuis (*genit.*) 86, 6. 220.
domum praebere 6, 3. 94.
domus postica 86, 6. 220.
dormire in die 77, 3. 201.
dormitio 82, 10. 213. *et p.* 238, 8.
δὸς καὶ λαβέ 82, 5. 213.
dotis dare *alicui aliquid* 8, 3. 97.
δουλοπρεπῶς meritare 2, 8. 91.
draco Hesperidum 55, 7. 159.
ducere aerifice (*intell. statuam*) 39, 8. 138.
ducere ad exodium 86, 15. 221.
— serram cum aliquo 59, 4. 169.
ducundi molestia 83, 5. 217.
dulcis aqua 52, 10. 150.
dumtaxat 56, 16. 162.
duplicare rem scriptione 8, 1. 97.
duxe *pro duxisse* 59, 4. 169.

E.

eboratus lectus 77, 2. 200.
ebriae aures 38, 48. 122.
eburnei lecti 74, 13. 196.
eccum 11, 26. 101.
ecfugerent 86, 18. 221.
echini 35, 2. 130.
eclipsis 45, 1. 145.
ecquando 55, 3. 159.
eculeus *v. s.* equuleus.
edepol 7, 2. 95. 90, 1. 229.
ἐδέσματα 68. 189.
edolare libellum 11, 25. 101.
edolatum reddere puerum 59, 7. 169.
Edones 86, 11. 220.
educere *aliquem* e morbi fluctibus 31, 24. 120.
ἡδύπνους Neapolis 84, 5. 219.
effoetus 39, 10. 138.
ἐγκώμια 64. 180.
eicit jejunio villicum venatum 31, 34. 121.
Ἑκατόμβη, περὶ Θυσιῶν 25. 111.
Ἐκκλησία 26. 113.
ἐκτροπή, ἡ 71, 1*b*. 193.
electus, collectus, lectus, non neglectus 60, 1. 171.
eliminare se (ex oraclo) 80, 5. 204.
Ἥλιος coronans extrema Noctis tempora 27, 2. 113.
elixos facere calceos 86, 17. 221.
ἑλκυστικὸν quiddam habere 36, 2. 131.
eloquium orationis depinnatum 58, 1. 168.
emittere sonitum 81, 16. 206.
ἐμμονή, ἡ 84. 218.
emori 59, 7. 169.
Empedocles 31, 23. 120.
ἔμφυτος 63, 5. 175.
ἐν Ἅιδου 27, 1. 113.
Endymiones 27. 113.
enecare 54, 2. 157.
Enni Annalis 66, 15. 186.
Ennius *citat.* 11, 25. 101. 27, 8. 114. 37, 12. 133. 87, 2. 226.
Ennius bicorpor 63, 14. 176.
— Musarum discipulus *ibid.*
ἔνρυθμος λέξις 66, 15. 186.
ἐπαρχίαι 36. 130.
ephebi nitidi, veste pulla candidi 81, 18. 206.
ephippia gemmea 25, 2. 111.
Epicurus 56, 13. 162. 67, 1. 188.
epigrammatia facere 22, 3. 109.
ἐπιγραμμάτιον δίστιχον 66, 15. 186.
Epitaphiones, περὶ Τάφων 28. 115.
equa quadripes 82, 20. 213.
equam admittere asino *ibid.*
equila 48, 8. 146.
equimentum 82, 20. 213.
equiso 92, 2. 231.
— insanus 31, 24. 120.
equisones nautici 53, 14. 154.
equites pedarii 43, 1. 142.
equuleus furens 31, 24. 120.
Ἦρα Θεῷ, *Delphica inscriptio* 31, 16. 120.
Erratio 29. 116.
erumpere se ab *aliqua re* 53, 17. 154.
ervillam serere 50, 1. 148.
escam praebere 6, 3. 94.
escendere in malum alte 39, 2. 138.

esitare 52, 10. 150.
esse incommodi 61, 2. 174.
esseda 31, 38. 121.
Est Modus Matulae, περὶ Μέϑης 30. 117.
esurigo findebat costas 86, 7. 220.
ἤϑη, τά 66, 14. 185.
Etruria 3, 3. 93.
εὐετηρία, ἡ 89. 228.
Eumenides 31. 117.
eunuchare se 48, 7. 146.
Εὗρεν Ἡ Λόπας Τὸ Πῶμα, περὶ Γεγαμηκότων 32. 128.
evallare intus *aliquem* foras 28, 1. 116.
evertere lecythum in sparagos 95, 9. 234.
evidenter 53, 6. 153.
evirare 53, 1. 153.
evirescit colos 74, 3. 196.
ἐξαγωγή, ἡ 69. 190.
exaudire *pro audire* 31, 35. 121. 74, 4. 196.
excalciari se 76, 2. 200.
excantare ex ara 31, 39. 121.
excuriare 43, 2. 143.
Exdemetricus 34. 129.
Existimatio (*persona*) 31, 44. 121.
exitum ac τέλος habere proprium 67, 1. 188.
exlex 83, 3. 217.
exodium 86, 15. 221. 35, 1. 130.
— vitae 25, 6. 111.
exorare *aliquem aliquid* 53, 9. 154.
exordia fabularum collocare 63, 21. 176.
explicare (*sc. volatu*) aetheris vias 81, 16. 202.
exporrectus 27, 1. 113.
expromere artem inertem 63, 6. 175.
exquisitim 4, 1. 93.
exsequiari 11, 24. 101.
— funus 55, 11. 159.
exspectare (*i. e. de sede sua spectare*) in circo 55, 2. 159.
extendere nervias in psalterio 63, 9. 176.
exterritus formidine 31, 45. 121.
extimam aevitatis metam attingere 88, 1. 227.
extispices 80, 1. 203.
extricare tricas Atellanas 37, 1. 133.
ἔχειν νοῦν 32, 1. 128.
Ἔχω Σε, περὶ Τύχης 33. 128.
Ἕως Πότε, περὶ Ὡρῶν 35. 130.

F.

fabularum exordia collocare 63, 21. 176.
facere acervos 59, 7. 169.
— medioxime ad immortalem modum 56, 6. 162.
facere sutrinas 40, 1. 139.
facies maeandrata atque vermiculata 86, 14. 221.
φακή, ἡ 89. 128.
famem ventris satullare 67, 2. 188.
familiare funus 52, 2. 149.
familiaris filius 2, 4. 91.
farinam pinsere 86, 13. 221.
fasciae 37, 15. 134. 56, 11. 162.
fastidiliter 16, 1. 106.
fax involuta incendio 82, 9. 213.
— pinea 37, 13. 133.
febris a fervore 7, 7. 96.
fellare lac humanum 52, 12. 150.
— lupam 81, 17. 206.
fenerator avarus 8, 1. 97.
ferre aurum (*de flumine*) 25, 1. 111.
ferre et tollere 19, 1. 108.
ferri diversum 31, 45. 121.
fervĕre *aliqua re* 21, 1. 109.
fervit animo 82, 5. 213.
fervidus ignis 11, 2. 100. 16, 2. 106. 53, 15. 154.
fervidi fontium sanguinis lacus 69, 4. 191.
festiva ἀπεραντολογία 31, 48. 121.
fex curiae 80, 7. 204.
fibula 95, 8. 234.
ficedula pinguis 86, 11. 221.
figmenta caeli 53, 19. 154.
φιλαργυρία, ἡ 6. 94.
filii phrenetici Septemtrionum 53, 17. 154.
filius familiaris 2, 4. 91.
φιλοϑέωρον genus 39, 11. 138.
φιλονικία, ἡ 22. 109.
φιλοφϑονία, ἡ 87, 2. 226.
findere costas 86, 7. 220.
fingere tegulas 86, 23. 221.
finem statuere *alicui rei* 52, 11. 150.
finis (*feminine*) 55, 3. 159.
flamen sudum 44, 8. 143.
flammeae zonae 24, 1. 110.
flatilis labor 56, 11. 162.
Flaxtabulae, περὶ Ἐπαρχιῶν 36. 130. *sq.*

flebile cepe 52, 10. 150.
flectere (*de tibiarum modulatione*) 63, 2. 175.
Flora 3[1], 2. 119.
fluctuans, intonsa coma 3[1], 46. 121.
fluctus aquilus 44, 7. 143.
— certus alvi 39, 4. 138.
— mobilis 21, 2. 109.
— morbi 31, 24. 120.
fluitare 2, 3. 90.
fluit scaturex Ismenias 30, 3. 117.
fons cavus 66, 9. 185.
fontium lacuna 77, 8. 201.
— sanguinis lacus fervidos aperire 69, 4. 191.
foras betere jubere mulierem 90, 2. 229.
foras evallare intus 28, 1. 1 6.
forcipes bipensiles 77, 6. 201.
— viticarpiferae 51, 1. 149.
forem fasciis cingere 37, 15. 134.
forenses 31, 44. 121.
forensia praesepia 63, 16 176.
formosula provincialis uxor 36, 2. 131.
Fortuna 54, 3. 157. 83, 1. 217.
frenos imponere 36, 5. 131.
frigedo aquilonia 16, 2. 106.
frigĕre (frigi) 63, 2. 175.
frigidum velum (*ventorum*) 53, 10. 154.
frigidus axis 53, 17. 154.
frigore torrere 31, 34. 121.
frigus calore miscere 74, 9. 196.
fritinnientes pulli 95, 2. 233.
frons Bromiae autumnitatis 77, 7. 201.
frontem caperatam omittere 31, 1. 119.
fructuis (*genit.*) 55, 1. 159. 86, 24. 221.
frumen 53, 2. 153.
φθορὰ κόσμου, ἡ 44. 143.
fucatum viscum 66, 1. 185.
fulgura tonitruum a fulmine orta 70, 3. 192.
fullo formidat ululam 86, 4. 220.
fulmen et fulgura 70, 3. 192.
fulmen bipinne 53, 18. 154.
— trisulcum mittere 11, 2. 100.
fulmenta lectum scandunt p. 238, 7.
funus conmovere 52, 2. 149.
— exsequiari 55, 11. 159.
— familiare 52, 2. 149.
Furiae 31, 43 *et* 45, 121.

G.

gabalus 6, 1. 94.
gallare 31, 38 *et* 40. 121.
Galli, *Cybeles saccrdotes* 31, 36, 38 *et* 40. 121. 63, 7. 176.
Gallica porta 74, 7. 196.
gallus ales 64, 1. 181.
— gallinaceus cantantium 63, 15. 176.
ganeones 56, 13. 162.
ganeum 81, 9. 206.
gangraena 69, 3. 191.
garrulus homo 71, 3. 193.
gelo *pro gelu* 81, 21. 207.
gemmea ephippia 25, 2. 111.
γενεθλιακή, ἡ 8. 97.
γενεθλιακὸν adsumere 90, 4. 231.
genunt 7, 6. 95.
gerere coronam 31, 15. 120.
Γεροντοδιδάσκαλος 37. 133.
gibberum caput 31, 14. 119.
gilvus 63, 13. 176.
glaber 82, 1. 212.
glans Hiberica 68, 1. 190.
Gloria, περὶ Φθόνου 38. 136.
Γνῶθι Σεαυτόν 39. 137.
gradiri grallis 57, 1. 167.
gradum properare 75, 1. 199.
gradus tolutilis 56, 1. 161.
grallae 57, 1. 167.
grallatores *ibid.*
granaria sepire 37, 16. 134.
grando albus 92, 4. 231.
Gratiarum et Musarum numerus 60, 1. 171.
gravis absinthius 77, 1. 200.
— *pro multus* 37, 18. 134.
grex rabularum 64, 1. 181.
grues Melicae 68, 1. 190.
grundit porcus 1, 1. 89.
gubernare lyram 63, 18. 176.
gula gaudet 56, 16. 162.
gulae mandonum magnae 11, 3. 100.
gustare vinum 30, 5. 117. 56, 15. 162.
guttur (*mascul.*) 48, 2. 146.

H.

habenas dare 36, 5. 131. 44, 8 143.
habere commune *aliquid* 12, 2. 104.
— demissam ad talos tunicam 55, 7. 159.
— sollicitum *aliquem* 86, 4. 220.
— sympathiam *ad aliquid* 69, 6. 191.
haedus ex Ambracia 68, 1. 190.

haeresim novam novo paxillo suspendere 31, 25. 120.
haeresis Menippea 87, 2. 226.
hamiotae 11, 4. 100.
Hannibal 69, 1. 190.
Hannibālis exercitus 41, 1. 141.
hara 74, 12. 196.
harmoge quadam gubernare lyram 63, 18. 176.
hecatombe 25, 5. 111.
hecatomben facere 25, 7. 111.
helops 89, 2. 229.
— Rhodius 68, 1. 190.
heluo 30, 2. 117.
Heraclides Ponticos 17, 2. 107. 77, 4. 201.
— Tarentinus 77, 4. 201.
Hercules *idem qui Mars* 5, 1. 93. *sq.*
Hercules Socraticus 40. 140.
Hercules Tuam Fidem 41. 141.
Herculis athla 15, 1. 106. 31, 10. 119.
Herculis aedes 76, 2. 200.
— decima 70, 1. 192.
Herophilus 77, 5. 201.
Hesperidum draco 55, 7. 159.
hiare *i. e. stupere* 53, 6. 153.
Hiberica glans 68, 1. 190.
Hiberum argentum 33, 3. 129.
hilaritatis dulce seminarium vinum 30, 6. 117.
hinniunt equi 1, 2. 89.
historiam (*i. e. rem*) necessariam docere 71, 1. 193.
homo antiquus 32, 1. 128.
— bellus 86, 3. *et* 5. 220.
— garrulus et acer 71, 3. 193.
— masculus 81, 5. 206.
— priscus 37, 5. 133.
— rivalis 80, 6. 204.
— rusticus 63, 12. 176.
Homeri Ilias 66, 15. 186.
homulus 24, 1. 110. 82, 19. 213.
homullus 49, 1. 148.
homunculus 60, 1. 171.
honores contendere 80, 3 204.
horno curari 31, 3. 119.
horrida oracla 59, 1. 169.
hostica acies 59, 7. 169.
humani *pro homines* 54, 2. 157.
humanum lac fellare 52, 12. 150.
humo *pro humu* 86, 17. 221.
humore aritudinem miscere 74, 9. 196.
humu niti ungulis 73, 2. 195.
hydra Lernaea 55, 7. 159.
Hymenaeus 8, 4. 97.

I.

iacere sabulum a pariete 86, 21. 221.
iactare comam volantem 31, 36. 121.
— se *aliquam rem* 77, 5. 201.
iambis ludere 88, 5. 227.
Ida, mons 63, 7. 175.
Idem Atti Quod Titi 42. 142.
ieiuni oculi 31, 48. 122.
ieiunio eiicere *aliquem* venatum 31, 34. 121.
ientare 53, 5. 153.
ignem acrem intus habere 39, 10. 138.
ignis fervidus 16, 1. 106. 11, 2. 100. 53, 15. 154.
*ignoscere (*i. e. discere, noscere*) 38, 1. 137.
Ilias Homeri 66, 15. 186.
imagines leves somnurnae 74, 5. 196.
imber coruscus 92, 4. 231.
— grandine implicatus *ibid.*
imbutus litteris Minervae 84, 3. 219.
— sanguine nigro ensis 25, 3. 111.
immanes bestiae 55, 7. 159.
immittere orco inimicum 74, 1. 196.
— veretrum in frumen 53, 2. 153.
impancrare 26, 1. 113.
imponere frenos 36, 5. 131.
— pedem in focum 52, 20. 150.
impuber puellus 82, 10. 213.
inanes sonitus tonere 31, 36. 121.
incendere annonam *v. s.* intendere annonam.
incendio fax involuta 82, 9. 213.
incolens campis vastitas 74, 4. 196.
incommodi esse 61, 2. 174.
incondita cantare 63, 12. 176.
Inconstantiae filius Metameles 48, 5. 146.
incrustati parietes 86, 16. 221.
in die dormire 77, 3. 201.
indigena 65, 1. 184.
in eam partem 36, 5. 131.
Infamia (*persona*) 31, 46. 121.
infantior quam mulio 63, 1. 175.
infector 57, 3. 162.
inferam vomere alicui aquam 53, 16. 154.

inhospitalis vastitas 74, 4. 196.
initia noctu fieri solita 37, 13. 133.
inluvie perire 52, 5. 150.
innubae fiunt communes 10, 1. 99.
in omni vita 30, 2. 117.
in publico 86, 20. 221.
inquilina 82, 13. 213.
inritare ventos et procellas 81, 14. 206.
insanitas 31, 47. 121.
inscius, facere sutrinas 40, 1. 141.
insignia Martis 33, 3. 129.
— quadrata 6, 4. 94.
instabilis animus in pectore 16, 1. 106.
intendere annonam 86, 11. 220.
inter nundinum 37, 5. 133. 86, 12. 221.
intestini (*i. e. intestina*) 54, 4. 157.
intus evallare foras 28, 1. 116.
intus habere ignem acrem 39, 10. 138.
intus pectore 81, 18. 206.
— servare aquiloniam frigedinem 16, 2. 106.
invenĕrunt 30, 6. 117.
invitari (*i. e. se replere*) poculis large atque benigne 81, 15. 206.
invidûm tabes 64, 3. 181.
involucrum 56, 9. 162.
involuta fax incendio 82, 9. 213.
Joves sive Jupiteres trecenti sine capitibus p. 238, 2.
Ἱπποκύων 43. 142.
ire accubitum 86, 7. 220.
— suppetias 83, 4. 217.
irrumpere se in curiam 70, 2. 192.
Ismenias Thebagenes 30, 3. 117.
itere (*abl. ab* iter) 17, 1. 107.
iter tutum, sed spissum 71, 1 *b*. 193.
itiner longum sermone levare 73, 1. 195.
jubere mulierem foras betere 90, 2. 229.
jugere 81, 13. 206.
jurgare 63, 6. 175.
juvenilitas multicupida 88, 2. 227.
juxta ac 64, 7. 181.
Ἰωνικὸς cinaedus 63, 3. 175.

K.

κακὸς δαίμων, ὁ 86, 4. 220.
κατάχρησις, ἡ 11, 23. 101.
κιῤῥὸν vinum 96, 1. 236.
κοινὸς Ἑρμῆς 82, 4. 212.
κόπρος Augiae 11, 7. 100.
Κοσμοτορύνη, περὶ Φθορᾶς Κόσμου 44. 143.
κρέας μικρὸν dare in patellam 52, 19. 150.
Κυνίστωρ 45. 145.
Κυνορήτωρ 46. 145.
Κυνοδιδασκαλικόν 47. 145.
κώνειον bibere 25, 6. 111.

L.

labdae 11, 8. 100.
labi (*de curru*) 54, 3. 157.
labor flatilis 56, 11. 162.
labos 52, 14. 150.
lac humanum fellare 52, 12. 150.
lactare 63, 17. 176.
lacte (*nominat. pro lac*) candidum 7, 11. 96.
lac tepidum 1, 1. 89.
lacuna fontium 77, 8. 201.
lacunam facere in pavimento 86, 17. 221.
lacus fervidos fontium sanguinis aperire 69, 4. 191.
lacus frigidi lymphôn 11, 12. 100.
lagenae novae ollarum figura ter precantur Vulcanum 11, 26. 101.
Lampadio 2, 4. 91.
lampas ardifeta 39, 9. 138.
lanam trahere manibus 37, 9. 133.
lanea tracta 57, 3. 117.
lanigerae 49, 1. 148.
lapathium 56, 17. 162.
lapides latericii 86, 18. 221.
Laribus pilas suspendere 81, 25. 207.
lateres 25, 1. 111.
— aurei 81, 19. 207.
later quadratus 52, 7. 150.
latericii lapides 86, 18. 221.
Lato 83, 1. 217.
latrare 42, 1. 142.
lautum (*i. e. abundans*) 37, 6. 133.
lavere alvum 8, 4. 97.
— cruore ararum aggerem 25, 4. 111.
— fluctu 44, 7. 143.
laxa montium 81, 21. 207.
lectus, collectus, electus, non neglectus 60, 1. 171.
lecti eburnei 74, 13. 196.
lectum sternere 52, 15. 150.
lectus eboratus 77, 2. 200.
— testudineus 77, 3. 201.
lecythum evertere in sparagos 95, 9. 234.

legere in curiam 80, 6. 204.
— libamenta caduca victus 95, 4. 233.
legumina serere 50, 1. 148.
lenis anima 44, 8. 143.
leonis simulacrum ad Idam 63, 7. 175.
Lernaea hydra 55, 7. 159.
levare 95, 3. 233.
— robur 77, 1. 200.
— sermone longum itiner 73, 1. 195.
— se vita 69, 4. 191.
leves frigido velo (*sc. ventorum*) nubes 53, 16. 154.
leves somnurnae imagines 74, 5. 196.
Lex Maenia 48. 145. *sq. cf.* 48, 5. 146.
λέξις ἔνρυθμος 66, 15. 186.
libamenta legere caduca victus 95, 4. 233.
libare ex floribus 74, 14. 197.
libellio 52, 18. 150.
Liber 30, 5. 117.
Liberi bellaria 60, 1. 172.
— mollis daps 77, 7. 201.
liberos producere 48, 7. 146.
libet me facere 22, 3. 109.
libido avida 61, 1. 173.
libra ocellatorum 53, 9. 154.
Libyssa citrus 37, 15. 134.
limbus pictus bis sex signis 24, 1. 110.
limina intrare 37, 2. 131.
limites culinae 52, 9. 150.
limus *ibid.*
linea compes 66, 1. 185.
lingulacae resides 64, 2. 181.
liquenti unda perfundere 53, 13. 154.
liquida vita 80, 7. 204.
λιθόστρωτα pavimenta 86, 16. 221.
litteras scire 86, 3. 220.
locare sibi amiculam 74, 14. 196.
Λογομαχία 49. 148.
Longe Fugit Qui Suos Fugit 50. 148.
longurio 93, 2. 232.
λόπας, ἡ 32. 128.
loquaces convivae 60, 1. 171.
loro navem conducere 53, 14. 154.
lotos 66, 5. 185.
luce afficere locum 31, 15. 120.
lucerna omnis combusta est 38, 2. 137.
luci claro 11, 9. 101. 48, 6. 146. 84, 4. 219.
Lucrina ostrea (*femin.*) 82, 6. 213.
lucubratio 95, 9. 234.
lucuns 71, 2 *b*. 193. 83, 2. 217.
lucus opacus, teneris fruticibus aptus 57, 4. 167.
ludere jambis 88, 5. 227.
luere est solvere 25, 7. 111.
lumbi 69, 6. 191.
lumine sereno 48, 1. 146.
Luna (*urbs*) 73, 1. 195.
Luna laborat 45, 1. 145.
Lunae bigae 24, 1. 110.
— trivium lumen 39, 7. 138.
lurcari 31, 2 119.
lusciosus *et* caecus 7, 2. 95.
lusum dimittere 53, 7. 153.
lutare 25, 7. 111.
luteum pallium 56, 9. 162.
luto oblinere bovas 59, 4. 169.
Lydon flumen 25, 1. 111.
lympha adlata e lacuna fontium 77, 8. 201.
lymphôn lacus 11, 12. 100.
lyra mobilis divûm 63, 18. 176.

M.

macelli tholus 11, 2. 100.
macellum Romuli 8, 3. 97.
macescere macore 80, 6. 204.
machinae sarcinatricum 63, 12. 176.
macor *pro macies* 80, 6. 204.
mactare mola 1, 1. 89.
maeandrata facies 86, 14. 221.
Magnum Talentum 51. 148 *sq.*
mala seges 48, 9. 146.
maledicere 52, 20. 150.
male formidare 86, 4. 220.
malle potius 56, 15. 162.
mammam lactis sugere 88, 3. 227.
mandonum magnae gulae 11, 3. 100.
Manius 52. 149. *cf.* 16. 150.
Manius 11, 17. 109.
mansuem facere 63, 7. 176.
mansum siccum 39, 4. 138.
manum de mensa tollere 74, 12. 196.
manus aeratae 74, 1. 196.
Marcipor 53. 153.
Μαρκόπολις, περὶ Ἀρχῆς 54. 157.
Marci nomen 11. 99. *sq.*
Marcus 36, 6. 131. 11, 14. 101. 82, 16. 213.
margarita (*femin.*) 64, 5. 181.
margaritarum semodius 53, 9. 154.
margaritum 25, 2. 111.
marinae pilae molles 81, 25. 207.

maritus novus 37, 10. 133.
Mars idem qui Hercules 5, 1. 93 *sq.*
marsupium 8, 4. 97.
Martis insignia 33, 3. 129.
masculum (*sc. animal*) 32, 3. 128.
masculum (*i. e. fortem*) esse ad *aliquid* 43, 11. 176.
masculus homo 81, 5. 206.
matella 52, 15. 150.
— communis 27, 6. 114.
Matris Deûm aedes 31, 35. 121. *cf.* 31, 36. 121.
matula 30. 117.
maturum (*i. e. coctum*) ovum 27, 4. 113.
meare 7, 5. 95.
Medea 53, 10 *et* 12. 154.
medenda aegritudo 30, 6. 117.
medicamentum (*i. e. venenum*) bibere 69, 1. 190.
medioxime facere ad immortalem modum 56, 6. 162.
medullitus 16, 2. 106.
Meleagri 55. 158.
Melicae grues 68, 1. 190.
melicae obbae 30, 1. 117.
meliusculus 31, 20. 120.
Melitensis mitra 74, 15. 197.
mellita bellaria 60, 1. 172.
Melos (*persona*) 66, 12. 185.
μελῳδεῖν 63, 16. 176.
membris velocibus cedere 64, 8. 185.
meminisse c. accus. 22, 3. 109.
Menandri Thais 55, 5. 159.
Menippea haeresis 86, 2. 226.
mensum 80, 2. 203.
mentes commutare tibiis 63, 2. 175.
menti sigilla, Amoris digitulo impressa 64, 11. 181.
Mentor (*sculptor*) 2, 7. 91.
mera miracula 53, 4. 153.
mercatus 82, 3. 212.
mercedem accipere 94, 1. 232.
Mercurius, Arcadôn colonus 27, 8. 114.
merere *aliquid* 31, 6 *et* 7. 119.
meritare δουλοκρεπῶς 2, 8. 91.
merus *pro solus* 81, 20. 207. 90, 1. 229.
Metameios, Inconstantiae filius 48, 5. 146.
micare *cum aliquo* 66, 10. 185.
μικρὸν κρέας dare in patellam 52, 19. 150.
Milesiae apes 74, 14. 197.
Minerva 7, 4. 95. 81, 10. 206. 83, 1. 217.
Minervae litteris imbui 84, 3. 219.
ministra cibi Ceres 52, 6. 150.
ministrare rempublicam 53, 5. 153.
minitari simpuvio *alicui* 30, 5. 117.
mirare *pro mirari* 31, 27. 120.
mirius 39, 6. 138.
miscere *aliquid aliqua re* 44, 6. 143. 74, 9. 196.
misellus pauper 39, 10. 138.
mitra ricina 74, 15. 197.
— Melitensis *ibid.*
mittere e ventre aquam 77, 5. 201.
— fulmen in *aliquid* 11, 2. 100.
Mnestheus, *medicus* 96, 1. 236.
mobile (*palpebrarum*) septum 64, 12. 181.
mobilis fluctus 21, 2. 109.
— lyra Divûm 63, 18. 176.
modestiam pascere intus pectore 81, 18. 206.
modestissime vivere 56, 5. 162.
modice ferre *aliquid* 33, 4. 129.
Modius 56. 161.
modius aedilicius 50, 2. 148.
modulus vitae 56, 13. 162.
modus scenatilis 56, 3. 162.
moechas adulescens 39, 10. 138.
mola mactatus porcus 1, 1. 89.
molere et depsere 59, 5. 169.
mollitudo 64, 11. 181.
μωμήσεταί τις μᾶλλον ἢ μιμήσεται 64, 2. 181.
μονογέροντες 69, 6. 191.
montes Persarum 8, 2. 97.
montium laxa, cavata gelu putri 81, 21. 207.
morbi fluctus rabidi 31, 24. 121.
morientum ariditudine arborum cacumina 74, 2. 196.
mortalis nemo 74, 4. 196.
mortui *in melle conditi* 17, 2. 107.
motu furacem esse 64, 7. 181.
motus dii 63, 18. 176.
muliebre ricinium 86, 10. 220.
mulierare 39, 10. 138.
mulierum tota Roma 37, 13. 133.
mulio 37, 8. 133.
mulione infantior 63, 1. 175.
mulsi calix 17, 2. 107.
multicupida juvenilitas 88, 2. 227.
multinummus piscis 89, 2. 229.
multiplex scientia 2, 6. 91.

multis annis *(i. e. per multos annos)* 32, 3. 128.
mundum haud natum esse, neque mori 20, 1. 108.
mundus appellatur a caelatura caelum, Graece ab ornatu κόσμος, Latine a puritie mundus 24, 1. 110.
munera belli praestare 44, 5. 143.
muraena Tartessia 68, 1. 190.
murinus equus 63, 13. 176.
murmur verus 82, 16 213.
murmurari 32, 2. 128. 95, 7. 234.
murrhina 8, 6. 97.
Musarum Atticarum scriptores 64, 1. 181.
Musarum et Gratiarum numerus 60, 1. 171.
mussatus 27, 4. 113.
mustei *(sc. petasones)* in carnario fluitantes 2, 3. 90.
mutabiliter 16, 1. 106.
mutuiter amare 61, 5. 174.
Mutuum Muli Scabunt, περὶ Χωρισμοῦ 57. 166 *sq.*
mystagogi 7, 4. 95.
Mystagogi 58. 168.
Mysteria 59. 169.
mythicus pulvis 67, 2. 188.

N.

Najades undicolae 31, 42. 121.
narium Seplasiae 84, 5. 219.
nasturcium dictum quod nasum torquet 65, 1. 184.
natura secundans 54, 14. 162.
naturale calliblepharon 64, 12. 181.
nautici equisones 53, 14. 154.
navicularius 70, 2. 192.
navis palustris 53, 14. 154.
Neapolis ἡδύπνους 84, 5. 219.
Neapolitanae piscinae 31, 11. 119.
necessitudo *pro necessitas* 54, 14. 162.
necessaria historia *(i. e. res)* 71, 1 *a*. 193.
nectar 71, 2*b*. 193.
nefans *pro nefandus* 83, 4. 217.
Negationes duae negativa significatione 11, 22. 101.
nemo aegrotus 31, 30. 120.
— mortalis 74, 4 196.
nemorum oracla prisca, horrida 59, 1. 169.
Neptuni filius saevus 44, 7. 143.
nequam spicum 48, 9. 146.
Nerienes *(vocat. a Nerio)* 83, 1. 217.
nervia tractare 63, 4. 175.
nervias in psalterio extendere 63, 9. 176.
Nescis Quid Vesper Serus Vehat 60. 170 *sq.*
nexile rete 66, 1. 185.
nidus potilis 77, 8. 201.
— vilis *(i. e. frequens)* 95, 5. 234.
nigellae pupulae 64, 14. 181.
nigri pusilli *(sc. pueri)* 53, 7. 153.
nihil agere 11, 9. 101. 40, 1. 141.
— esse 39, 8 138.
— habere 43, 2. 143.
nimbi frigidi 29, 1. 116.
nisi non 74, 12. 196.
niti humu ungulis 73, 2. 195.
nitidi ephebi 81, 18. 206.
nobilis *(i. e. notus)* 67, 3. 188.
noctiluca 54, 5. 157.
Noctis tempora 27, 2. 113.
* *Nocturnus, deus p.* 238, 5.
non *pro nonne* 31, 19. 120. 30, 5. 117. 11, 17. 101. 36, 1. 131. 37, 12. 135. 39, 2 *et* 9. 138.
non vellet 37, 11. 133.
nossent 86, 13. 221.
notare *(i. e. vituperare)* 12, 3. 105.
νοῦν ἔχειν 32, 1. 128.
nova nuptula 2, 1. 90.
novellus canterius 1, 3. 89.
novus maritus 37, 10. 133.
nubes aquali frigido velo leves 53, 16. 154.
nubilum altum 92, 4. 231.
nuces Thasiae 68, 1. 190.
nugas fieri 84, 1. 218.
Numa Pompilius 86, 8. 220.
numnam 2, 7. 91.
numeris suis omnibus absolutum esse 60, 1. 171.
numero venire 69, 5. 191.
numerum sequi *alicujus* 66, 10. 185.
nundinae 53, 7. 153.
nundinum 37, 5. 133. 86, 12. 221.
nuptula nova 2, 1. 90.
nutricari 87, 2. 226.

O.

obbae Calenae 30, 1. 17.
— melicae *ibid.*
oblinere luto bovas 59, 4. 169.
obliquus aether 24, 1. 110.
obscena verba 2, 1. 90.

obsidere aures *alicujus* 41, 2. 141.
obstrigillator 74, 8. 196.
obstringillare *alicui* 52, 17. 150.
obtrectatores 64, 2. 181.
occipitium ostendere *alicui* 80, 5. 204.
occupare (*i. e. praevenire*) 31, 9. 119. 84, 1. 218.
ocellati 53, 9. 154.
Octogessis, περὶ Νομισμάτων 61. 173.
oculi jejuni 31, 48. 122.
— suppaetuli 64, 14. 181.
oculos suggillare *alicui* 48, 6. 146.
Odyssian 11, 13. 101.
Oedipothyestes 62. 175.
Oedipus, exul 62, 1. 175.
offendere buccam (*sc. veretro*) 53, 2. 153.
offensare pedibus 2, 3. 90.
olfacere temetum 30, 2. 117.
olim quondam 81, 17. 206.
olivitas 38, 2. 137.
ollam pultis adurere 37, 9. 133.
ὁλοπόρφυρος stola 44, 3. 143.
Olympia 7, 4. 95.
omittere caperatam frontem 31, 1. 119.
omnia esse 81, 1. 206.
Ὄνος Λύρας 63. 175. *sq. cf.* 63, 16. 175. 87, 4. 226.
opacus lucus 57, 4. 167.
operam superare 27, 2. 113.
opificio se clepere 61, 1. 173.
optume animatum esse 11, 6. 100.
opus est *cum accus. pro ablat.* 74, 16. 197.
oracla prisca, horrida, crepera in nemoribus 59, 1. 169.
orbītus motus 39, 5. 138.
orchestra 92, 1. 231.
orco immittere inimicum 74, 1. 196.
orthiopsalticum psalterium 63, 19. 176.
os severum 31, 46. 121.
ostendere occipitium *alicui* 80, 5. 204.
ostentare artem 2, 7. 91.
ostrea magna 89, 2. 229.
— Lucrina 82, 6. 213.
— Tarentina 68, 1. 190.
ostreum 35, 2. 130. 89, 2. 229.
ostrinum supparum Aurorae 31, 15. 119.
οὐπήποτε 27, 1. 113.
ovo maturo (*i. e. cocto*) coenam committere 27, 4. 113.

P.

Pactolus, aureas undas agens 48, 4. 146.
Pacuvius Enni discipulus 63, 14. 176.
paeta Venus 61, 4. 174.
παιδοποιΐα, ἡ 90. 229.
palatum suscitare 89, 2. 229.
Pales 83, 1. 217.
Palladis platanus 66, 5. 185.
pallium luteum 56, 9. 162.
— simplex 86, 10. 220.
— trahere 56, 7. 162.
palma Aegyptia 68, 1. 190.
palmulis producere *aliquem* 63, 22. 176.
palpebrae naturali calliblepharo tinctae 64, 12. 181.
palum 36, 1. 131.
palustris navis 53, 14. 154.
pancarpineus cibus 95, 4. 233.
pancratium Stoicorum 86, 5. 220.
Panda 83, 1. 217.
Papia Papae, περὶ Ἐγκωμίων 64. 180.
Pappus aut Indigena 65. 184.
papyri scapos oblinere stilo 11, 16. 101.
parce pureque vivere 82, 8. 213.
parere (*i. e. cacare*) siccum mansum 39, 4. 138.
parietes [in]crustati 86, 16. 221.
pariter item 76, 1. 200.
parmae rotundae 6, 4. 94.
Parmeno 66. 184. *sq.*
parochos 81, 1. 206.
Paronomasiae 11, 18. 101. 16, 1. 106. 31, 10. 119. 31, 36. 121. 52, 9 *et* 16. 150. 55, 9. 159. 56, 2. 161. 60, 1. 171. 63, 6. 175. 63, 20. 176.
partes 66, 14. 185.
particulatim 3, 3. 93.
partuis (*genit.*) 7, 11. 96.
partum poeticon capitis sibi ciere 11, 16. 101.
parvissimus rictus 64, 14. 181.
pascere *et* alere 37, 18. 134.
— modestiam intus pectore 81, 18. 206.
pascere pupum, mammam lactis sugentem 88, 3. 227.
passerculus levis, bipennis 53, 3. 153.
passum 8, 6. 97.

patella 31, 11. 119. 52, 19. 150.
patria major parens 48, 7. 146.
patrito et avito more 52, 2. 149.
pavimenta λιθόστρωτα 86, 16. 221.
pavonum greges 37, 18. 134.
pavus e Samo 68, 1. 189.
paxillo novo novam haeresim suspendere 31, 25. 120.
— — novum cribrum *suspendere* 11, 11. 100.
pectunculus Chius 68, 1. 190.
pectus inconstans 16, 1. 106.
pecudes *anates dictae* 82, 21. 213.
pecus castratum in Apulia 63, 11. 176.
pedarii equites 43, 1. 142 *sq*.
pedatus versuum tardor 11, 15. 101.
pedem in focum imponere 52, 20. 150.
pedes corrigis compedire 36, 4. 131.
pedibus caldis (se irrumpere) 70, 2. 192.
— offensare 2, 3. 90.
pelamys Chalcedonia 68, 1. 190.
Pelias 53, 10. 154.
πέμμα, τὸ 60, 1. 172. 71, 2*b*. 193. 83, 2. 217.
penitissime 86, 6. 220.
penitus per aquam perspicere 39, 2. 138.
penula scortea 52, 21. 150.
percrepis *pro percrepas* 31, 28. 120.
Perenna 83, 1. 217.
Περὶ Αἱρέσεων 67. 188.
Περὶ Ἐδεσμάτων 68. 189.
Περὶ Ἐξαγωγῆς 69. 190.
Περὶ Κεραυνοῦ 70. 192.
περίδειπνον, τὸ 55, 11. 159.
Περίπλου Lib. I, *et* Lib. II, *περὶ Φιλοσοφίας* 71. 193.
peristroma purpureum 77, 2. 200.
peristyla 86, 21. 221.
περιχονδριᾶν 86, 14. 221.
permulsus *part. a permulceo p.* 238, 1.
Pessarum montes 8, 2. 97.
perspicere per aquam penitus 39, 2. 138.
pertegere pedem penula scortea 52, 21. 150.
pertica 57, 1. 167.
pertundere vesicam arte ligatam 7, 5. 95.
pertusa vasa 86, 19. 221.
perurere 53, 18. 154.
Pessinuntii aselli 68, 1. 190.
petasatus 69, 5. 191.
Petrullus 56, 3. 162.
πέψις, ἡ 60, 1. 172. 96, 1. 235.
Phagones 86, 11. 221.
Phalaecion metrum Jonicus trimeter *a Varrone appellatus* 47. 145.
phalera 25, 1. 111.
phaselos 21, 2. 109.
Phedius 77, 2. 200.
philosophorum somnia 31, 30. 120.
Philippeus 61, 3. 174.
Phonicia 63, 15. 176.
phrenetici Septemtrionum filii, venti 53, 17. 154.
Phrygia attagena 68, 1. 190.
phrygio 44, 1. 143.
physicen (*accus. adjectivi*) 63, 5. 175.
pictus bis sex signis limbus 24, 1. 110.
— fervidis late ignibus aer 53, 15. 154.
Pierides 81, 21. 207.
pila terrae 86, 2. 220
pilae marinae 81, 25. 207.
pilum cedere *alicui* 80, 1. 203.
pinea fax 37, 13. 133.
πίνειν δέπας 30, 2. 117.
pinsere farinam 86, 13. 221.
pipare 1, 2. 89.
piscinae Neapolitanae 31, 11. 119.
pisces minuti 54, 2. 157.
piscis multinummus 89, 2. 229.
pistor 86, 13. 221. 68, 2. 190.
plagae sigillatae 74, 13. 196.
plagas caeli rimari 48, 1. 146.
platanus (*genit.*) 66, 5. 185.
Plautus *citatus* 8, 6. 97. 86, 6. 220.
Plautus in sermonibus poscit palmam 66, 14. 185.
plenum esse vini ac Veneris 31, 49. 122.
plodere 32, 2. 128.
Plotius rhetor 52, 1. 149.
Πλουτόριvος 72. 194. *sq*.
plumbi usus in vasis committendis 86, 19. 221.
plumea culcita 77, 3. 201.
plus posse 54, 2. 157.
— sapere 17, 2. 107.
poculis ardere 56, 10. 162.
— invitari 81, 15. 206.

Poema *quidnam sit* 66, 15. 186.
Poenae tres 31, 46. 121.
poesis casta 66, 13. 185.
poesis *quidnam sit* 66, 15. 186.
poetice *quidnam sit ibid.*
poeticon partum capitis sibi ciere 11, 16. 101.
politus (*sc. homo*) 39, 8. 138.
pollicere *pro polliceri* 8, 5. 97.
pollicitor 44, 4. 143. 57, 2. 167.
polluere cubiculum pudoris 39, 10. 138.
Pompilius 63, 14. 176.
ponderare unumquodque verbum statera auraria 71, 3*b*. 193.
ponere patellam *alicui pro proponere* 31, 11. 119.
— tuniculam venalem 57, 3. 167.
— urbem 44, 7. 143.
Ponticos Heraclides 77, 4. 201.
popino 56, 10. 162.
porcas reddere 86, 20. 221.
porcere *aliquem alicui rei* 52, 6. 150.
porta Gallica 74, 7. 196.
portitor 59, 4. 169.
poscere coronam 39, 6. 138.
— palmam 66, 14. 185.
post respicere 52, 9. 150.
postica domus 86, 6. 220.
posticum (*i. e. podex*) 74, 10. 196.
postulare *magicorum vocabulum* 95, 10. 234.
pote *pro potest* 52, 22. 150. 54, 2. 157.
potilis nidus 77, 8. 201.
potionem praebere 6, 3. 94.
potius malle 56, 15. 162.
praebitio 31, 4. 119.
praecidere digitum 69, 3. 191.
praecox fuga 84, 2. 219.
praesepia forensia 63, 16. 176.
praestare belli munera 44, 5. 143.
praestringere oculos 7, 1. 95.
praeter *i. q. ante* 31, 35. 121.
praeterire mensum 80, 2. 203.
prandium caninum 96, 1. 235.
pransum esse *aliqua re* 55, 11. 159.
pransum ac paratum esse 36, 6. 131.
Pransus Paratus 73. 195.
premere *i q. tegere* 56, 11. 162.
primoribus digitulis stare, ut in litore cancri 9, 1. 99.
prisca oracla, horrida, crepera in nemoribus 59, 1. 169.
priscus homo 37, 5. 133.
privati muri 95, 1. 233.
probiter 61, 1. 173.
proboscis 82, 1. 212.
procella frigida 41, 4. 141.
procerum collum 64, 13. 181.
procudere vitam 89, 3. 229.
prodius accedere 95, 1. 233.
producere libros 48, 7. 146.
— palmulis *aliquem* 63, 22. 176.
Prometheus Liber 74. 195 *sq.*
promisca avis 64, 10. 181.
promiscue 12, 2. 104.
promissa coma 56, 7. 162.
pronis, *i. q. pronus* 66, 6. 185.
properare gradum 75, 1. 199.
— vivere 22, 4. 109.
propter ponere 31, 12. 119.
— stare 81, 10 206.
prorsus meare 7, 5. 95.
Prosopopoeiae 31, 29. 120. 31, 44 *et* 46. 121. 48, 5. 146. 66, 12. 185.
provincialis 36, 2. 131.
provocare 31, 11. 119. 82, 15. 213.
Prusiades 69, 1. 190.
psallere 31, 2. 119.
psalterium 63, 9. 176.
— orthiopsalticum 63, 19. 176.
psaltes 31, 2. 119.
ψαμμακόσιος 86, 12. 221. *p.* 238, 4.
Pseudaeneas 75. 199.
Pseudulus Apollo, περὶ Θεῶν Ἀναγνώσεως 76. 199.
ptisana 56, 17. 162.
pudeo *personal. pro pudet mea* 82, 8. 213.
pudoris cubiculum polluere 39, 10. 138.
puellascere 10, 1. 99.
puellum reddere *aliquem* 53, 10. 154.
puellus 4, 2. 94.
— impuber 82, 10. 213.
— Veneris 87, 1. 226.
puer devirginatus 69, 6. 191.
puerae 22, 4. 109.
pulla vestis 81, 18. 206.
pulli 53, 5. 153.
— fritinnientes 95, 2. 233.

pulmentarium 56, 13. 162.
pultis ollam adurere 37, 9. 133.
pulvinar pingere 44, 1. 143.
pulvis mythicus 67, 2. 188.
punctum temporis 59, 7. 169.
pupae 1, 4. 89.
pupulae nigellae 64, 14. 181.
— somno umbrantur 74, 5. 196.
pupum pascere, mammam lactis sugentem 88, 3. 227.
purissimus cibus 71, 2*b*. 193.
purities 24, 1. 110.
purpureum peristroma 77, 2. 200.
purum putum 23, 1. 110.
purus putus 50, 2. 148.
purus ac putus 25, 5. 111.
pusillus 53, 7. 153.
putamen 64, 5. 181.
puter gelus 81, 21. 207.
pythaules 90, 1. 231.

Q.

quadrangulum 66, 1. 185.
quadrata insignia 6, 4. 94.
quadratus later 52, 7. 150.
— silo 39, 1. 138.
quadriga 34. 130.
quadrupes 63, 7. 175.
— equa 82, 20. 213.
quaerere *aliquem pro qu. ex aliquo* 6, 2. 94.
— vestigia *alicujus* 2, 6. 91.
quaesti (*genit. pro quaestus*) 74, 8. 196.
quaestus trichinus 31, 5. 119.
— uber *ibid.*
querquedulae aquatiles 29, 1. 116.
querquetum 74, 2. 196.
questum venire ad magistratum 64, 4. 181.
quî *pro quibus* 57, 1. 167. 86, 22. 221.
— *pro utinam* 27, 3. 113.
Quinquatrus 77. 200.
Quintipor Clodianus 11, 25. 101.
quo *i. e. quem ad finem* 31, 19. 120.
quondam olim 81, 17. 206.
quoque *pro etiam* 64, 4. 181.

R.

rabularum grex 64, 1. 181.
radere barbam 37, 5. 133. 56, 7. 162.
ramices rumpere 37, 8. 133. 92, 1. 231.
rapi deorsum 14. 1. 105.
rapinatores 11, 19. 101.
rapo 64, 4. 181.
raptor 37, 8. 133.
Reatinus asinus 82, 20. 213.
recipere *i. q. promittere* 11, 14. 101.
reddere edolatum puerum 59, 7. 169.
— porcas 86, 20. 221.
— *aliquem* puellum 53, 10. 154.
refrenare risum 64, 14. 181.
regilla tunica 64, 13. 181.
religiones et curas animis demere 8, 2. 97.
rem scriptione duplicare 8, 1. 97.
remivaga celox 11, 13. 101.
res *sc. Venerea* 63, 11. 176.
— bonae 40, 2. 139.
resides lingulacae 64, 2. 181.
rete nexile 66, 1. 185.
reticulum 81, 25. 207.
retinere se *in aliqua re* 27, 3. 113.
— praesepibus forensibus 63, 16. 176.
retrimenta cibi 74, 10. 196.
returare 2, 1. 90
revellere compede manus 74, 1. 196.
reveretur (*impersonal.*) *alicujus* 78, 1. 203.
revertere cossim 81, 24. 207.
reviviscit animâ noctiluca 54, 5. 157.
revocare 82, 15. 213.
rheda 53, 12. 154.
Rhodius helops 68, 1. 190.
ricinium muliebre 86, 10. 220.
ricina mitra 74, 15. 197.
rictus parvissimus 64, 14. 181.
rimari *aliquid* oculis 48, 1. 146.
risum refrenare 64, 14. 181.
risus roseus *ibid.*
rivalis homo 80, 6. 204.
rivos venarum sanguine complere 39, 4. 138.
rixare *pro rixari* 9, 2. 99. 80, 8. 204.
robur levare 77, 1. 200.
Roma tota mulierum 37, 13. 133.
Romuli macellum 8, 3. 97.
roseus risus 64, 14. 181.
rostra buxea anatum 82, 21. 213.
rostrum *de hominis ore* 52, 16 150. 71, 3*b*. 193. 80, 9. 204.

ruditas 31, 40. 121.
ruminari *aliquid* 11, 14. 101. 82, 16. 213. 85, 1. 220.
rumpere ramices 37, 8. 133. 92, 1. 231.
rurari in agro 80, 4. 204.
rursus ac prorsus meare 7, 5. 95.
russa acies 33, 3. 129.
rustici homines in vindemia incondita cantant 63, 12. 176.
rusticus Romanus 37, 5. 133.
rutuba 82, 8. 213.
rutrum 54, 1. 157.
Rythmus ac Melos (*personae*) 66, 12. 185.
ῥυθμῶν sertum tarde perit 11, 15. 101.

S.

sabulum jacere a pariete 86, 21. 221.
sacrificari *pro sacrificare* 52, 20. 150.
sagus *pro sagum* 95, 8. 234.
salire equilam 48, 8. 146.
salum 89, 2. 229.
Samii pavones 68, 1. 189.
sanguen 44, 6. 143.
sanguinis fontium lacus aperire 69, 4. 191.
sanguis niger 25, 3. 111.
saperda 56, 2. 161.
σαπροὶ saperdae *ibid.*
sarcinatrices 63, 12. 176.
sardae 71, 2*b*. 193.
Sardi Venales 78. 202.
Sardiana tapetia 40, 2. 141.
sarrire segetes 94, 1. 233.
sarter *ibid.*
satias 74, 11. 196.
satisfacitur 18, 1. 107.
satullare famem ventris 67, 2. 188.
saturae aures 31, 48. 122.
scabere 13. 105.
scabres *pro scabrities* 52, 5. 150.
Scantius 31, 3. 119.
scapi papyri 11, 16. 101.
scapulae metuunt virgindemiam 2, 4. 91.
scari Cilices 68, 1. 190.
scaturex 30, 3. 117.
scenatici 63, 20. 176.
scenatilis modus 56, 3. 162.
schola 31, 3. 119.
scholastici 31, 48. 122.
scholica daps *ibid.*
Σκιαμαχία, περὶ Τύφου 83. 217.
scientia multiplex 2, 6. 91.
scire litteras 86, 3. 220.
scopulus lapidosus 14, 1 105.
scortea penula 52, 21. 150.
scriptio 8, 1. 97.
scriptulum 72. 194.
scrobis (*mascul.*) 52, 8. 150.
sculponeatus 80, 4. 204.
scuta caelata Hibero argento 33, 3. 129.
*scutulare 11, 9. 102. *adn.*
scyphus caelo dolitus 2, 7. 91.
Scytharum campi 74, 4. 196.
sectari venabulo *aliquem* 63, 8. 176.
secundans natura 56, 14. 162.
securem 66, 2. 185.
securis bipennis *ibid.*
seges bona et mala 48, 9. 146.
segetes sarrire 94, 1. 233.
semel unum singulum esse 61, 2. 174. 71, 1*a*. 193.
semiatratus 11, 24. 101.
seminarium dulce hilaritatis vinum 30, 6. 117.
semiviri 31, 36. 121.
semo 58, 1. 168.
semodius margaritarum 53, 9. 154.
semustulatus 70, 2. 192.
senes crassi 82, 19. 213.
Seplasia Capuae 8, 3. 97.
Seplasiae navium 84, 5. 219
Septemtrionum filii phrenetici, venti 53, 17. 154.
septum mobile *palpebrarum* 64, 12. 181.
sequi numerum *alicujus* 66, 10. 185.
sera militia 44, 5. 143.
Σεραπαρήκτη 79. 203.
Serapis 31, 16 *et* 17. 120.
serena tempestas 27, 5. 114.
serio 11, 14. 101.
sermone coenulam variare *ibid.*
— levare longum itiner 73, 1. 195.
sermones 66, 14. 185.
serram ducere cum *aliquo* 59, 4. 169.
Serranus, *περὶ Ἀρχαιρεσιῶν* 80. 203.
sertum ῥυθμῶν 11, 15. 101.
servare frigedinem intus pectore 16, 2. 106.

Sesquiulixes 81. 205.
severum os 31, 46. 121.
Sexagessis 82. 212.
siccum mansum 39, 3. 138.
sigilla 1, 4. 89.
— impressa in mente Amoris digitulo 64, 11. 181.
sigillatae plagae 74, 13. 196.
signatus 48, 3. 146.
signum partuis 7, 11. 96.
Silenus 39, 1. 138.
silicernium conficere 55, 11. 159.
silo 39, 1. 138.
silvatici sues 63, 8. 176.
simplex pallium 86, 10. 220.
simpuvium 30, 5. 117.
simulacrum leonis ad Idam 63, 7. 175.
sirpare cupas vinarias 30, 4. 117.
smaragdos 64, 5. 181.
Socrates 2, 6. 91. 25, 6. 111. 82, 1. 212.
soliar 44, 1. 143.
sollicitum habere *aliquem* 86, 4. 220.
solum, quod venit in 22, 3. 109.
solvere cingulum uxoris 37, 10. 133.
— phaselon in fluctum 21, 2. 109.
somno umbrantur pupulae 74, 5. 196.
somnurnae imagines *ibid.*
sonare dicteria 63, 19. 176.
sonitus cymbalorum 31, 35. 121.
— tibinos tonere 31, 36. 121.
sparagi 95, 9. 234.
sparum 55, 8. 159.
spatule venerivaga 53, 1. 153.
species teneri 31, 41. 121.
spectare *i. e. probare* 39, 12. 138.
— nundinus *i. e. exspectare nund.* 53, 7. 153.
speculatum mittere animum 27, 2. 113.
speribus lactare aviditatem *alicujus* 63, 17. 176.
— sublimis 1, 5. 89.
spes auxili argentaria 2, 4. 91.
spiciat 65, 1. 184.
spicum nequam 48, 9. 146.
spissius 59, 7. 169.
spissum iter 71, 1 *b*. 193.
spolia capere 11, 21. 101.
— in stipitibus fixa *ibid.*
spongia deletilis 56, 4. 162.
spuere in os vitam *alicui* 69, 2. 191.
squales *pro squalor* 52, 5. 150.
stadium charteum 86, 5. 220.
stare digitulis primoribus, ut in litore cancri 9, 1. 99.
statera auraria unumquodque verbum ponderare 71, 3 *b*. 193.
statuere finem *rei* 52, 11. 150.
stelligerae aetheris viae 81, 16. 206.
sternere arceram 37, 11. 133.
— lectum 52, 15. 150.
stimulari *sequenti conjunctivo sine ut particula* 31, 32. 121.
stipatae quadrato latere strues 52, 7. 150.
Stoicorum pancratium 86, 5. 220.
stola 31, 12 *et* 13. 119.
— ὁλοπόρφυρος 44, 3. 143.
strabonem fieri 36, 2. 131.
strabum facere *aliquem* 61, 4. 174.
stramenta colligere 86, 22 221.
strigile *pro strigilis* 11, 23. 101.
Strobilus 31, 1. 119.
strophia 81, 25. 207.
strues quadrato latere stipatae 52, 7. 150.
suadere (*absolute*) 12, 3. 105.
subdealbare 33, 1. 129.
subducere *aliquid* (*sc. adspectui*) 53, 16. 154.
— alvum *alicui* 77, 2. 200.
— supercilia 32, 1. 128.
subire in locum *alicujus* 82, 13. 213.
sublimis speribus 1, 5. 89.
suboles *de capillo* 64, 14. 181.
subsellia *i. q. curia* 60, 1. 171.
suctus candidus lactis 39, 3. 138.
sudum flamen 44, 8. 143.
sues silvatici 63, 8. 176.
suffigere in gabalum 6, 1. 94.
sufflare vehementius 81, 12. 206.
sufflatus auro aut multiplici scientia 2, 6. 91.
suffundare domus lapidibus latericiis 86, 18. 221.
sugens lactis mammam pupus 88, 3. 227.
suggillare oculos *alicui* 48, 6. 146.
suile 74, 12. 196.
sumpti *genet. pro sumptus* 11, 5. 100.
*superare operam 27, 2. 113.
supercilia subducere 33, 1. 129.

superesse *et* deesse 60, 1. 172.
superficies *i. q. persona* 31, 14. 119.
suppactuli oculi 64, 14. 181.
supparum Aurorae ostrinum 31, 15. 119.
suppetias ire 83, 4. 217.
suscitare (*aliquem*) mane 52, 16. 150.
— palatum 89, 2. 229.
suscitabulum vocis 63, 15. 176.
suspendere Laribus pilas 81, 25. 207.
— paxillo *aliquid* 31, 25. 120. 11, 11. 101.
suspicere (*i. e. sursum spicere*) *aliquid* 2, 3. 90.
sutrinas facere 40, 1. 141.
symmetria aedium 52, 4. 150.
sympathian habere *ad aliquid* 69, 6. 191.
Συνέφηβος, περὶ Ἐμμονῆς 84. 218.
syrus 53, 17. 154.

T.

tabes invidûm 64, 3. 181.
tacitulus taxim 37, 10. 133. 56, 17. 162.
Tanaquil 85. 219.
tantīdem 31, 17. 119.
tapetia Sardiana 40, 2. 141.
tardor pedatus versuum 11, 15. 101.
Tarentina cora 74, 14. 197.
— ostrea 68, 1. 190.
Tartessia muraena *ibid.*
taurus candens corpore 39, 7. 138.
taxim *v. s.* tacitulus taxim.
taxis *pro tetigeris* 56, 3. 162.
Ταφὴ Μενίππου 86. 220.
tegillum sibi sumere 81, 13. 206.
tegulas fingere (*de hirundinibus*) 86, 23. 221.
tellus, aeviterna hominum domus 75, 1. 199.
temetum olfacere 30, 2. 117.
temperatura caeli 6, 2. 94.
tempestas serena 27, 8. 114.
tempora Noctis extrema 27, 2. 113.
tenax viscum 7, 3. 95.
tenebrio 37, 2. 133. 64, 6. 181.
tenere Veneris bigas 22, 4. 109.
teneri species 31, 41. 121.
tepidum lac 1, 1. 89.
Terentius (*comicus*) in *ἤθεσιν* pescit palmam 66, 14. 185.
teres coma 31, 36. 121.
terrae pila 86, 2. 220.
tertus (*partic. a tergere*) 33, 2. 129.
Testamentum, *περὶ Διαθηκῶν* 87. 225.
testamentum *φυσικόν* 87, 3. 226.
testudineus lectus 77, 3. 201.
tetrica mulier 90, 3. 229.
tetrachordon anni 80, 2. 203.
Thais Menandri 55, 5. 159.
Thasiae nuces 68, 1. 190.
Thebagenes, Ismenias 30, 3. 117.
thesauri divitiis Crassi 8, 2. 97.
Thespiades 81, 22. 207.
tholus macelli 11, 2. 100.
thunni 39, 2. 138.
tibiae bilingues 56, 18. 162.
tibias inflare 92, 1. 231.
tibīnus sonitus 31, 36. 121.
tinia 44, 2. 143.
tippūla levis 11, 12. 101.
Tithonus, *περὶ Γήρως* 88. 227.
Τὸ Ἐπὶ Τῇ Φακῇ Μύρον, περὶ Εὐτετηρίας 89. 228.
togae vitreae 56, 8. 162.
tollere *et* ferre 19, 1. 108.
— *et* auferre 82, 14. 213.
— manum de mensa 74, 11. 196.
tolutilis gradus 56, 1. 161.
tolutim 2, 8. 91. 92, 2. 231.
tonare aridum 52, 21. 150.
tenere sonitus 31, 36. 121.
tonescere tonitribus 11, 1. 100.
tonsilla 21, 2. 109.
torculum 37, 17. 134.
torquere aquam e nubibus 81, 13. 206.
torques aureae 33, 3. 129.
torrere frigore *aliquem* 31, 34. 121.
totum 57, 3. 167.
Τοῦ Πατρὸς Τὸ Παιδίον, περὶ Παιδοποιΐας 90. 229.
trabs *i. e. arbor* 66, 6. 185.
tracta lanea 67, 3. 167.
tractare nervia 63, 4. 175.
τραγήματα 60, 1. 172.
tragicorum habitus 31, 14. 119.
tragula trajicere *aliquem* 55, 8. 159.
trahere *pro detrahere* 44, 5. 143.
— lanam 37, 9. 133.
— pallium 56, 7. 162.
traicit 55, 8. 159.

tremescere 11, 3. 100.
tremipedae anates 82, 21. 213.
tricas Atellanas extricare 37, 1. 131.
trichinus quaestus 31, 5. 119.
Τρικάρανος 91. 230.
tricliniares apothecae 30, 1. 117.
Τριοδίτης Τριπόλιος, περὶ Ἀρετῆς Κτήσεως 92. 231.
tripales (*vineae*) 36, 1. 131.
Triptolemus scalponeatus 80, 4. 204.
tristis aruspex 92, 3. 231.
trisulcum fulmen 11, 2. 100.
trivium lumen Lunae 39, 7. 138.
Τρίφαλλος, περὶ Ἀῤῥενότητος 92. 232.
τροπαῖα 11, 21. 101.
τροπὴ *i. e.* fuga hostium *ibid.*
τρόπων τρόποι 11, 22. 101. *cf.* 11, 14. 101.
trossuli 81, 4. 206.
τρυφὴν subducere *alicui* 77, 2. 200.
tuniculare 53, 10. 154.
tunica ad talos demissa 55, 5. 159.
— regilla 64, 13. 181.
tunicae clavi 56, 8. 162.
tunicare 49, 1. 148.
tunicula 57, 3. 167.
turda 77, 2. 200.
turdus 86, 11. 221.
Tuscus aquilex 77, 5. 201.
Tutanus, *deus*, *a tutando* 41, 1. 141.
tute *pro tu* 56, 2. 161.
Tutilina, *dea* 41, 2. 141.
typana 31, 36. 121.

U.

uber quaestus 31, 5. 119.
Ulixes 81, 20. 207. 31, 21. 120.
ulmum depavit corius 31, 8. 119.
ulula 86, 4. 220.
umbra spei 64, 4. 181.
umbrare 74, 5. 196.
unda liquens, caerula 53, 13. 154.
undas aureas agens Pactolus 48, 4 146.
undicolae Najades 31, 42. 121.
ungulae bisulcae 73, 2. 195.
unusquisque 67, 1. 188. 71, 3*b*. 193.
urnarium 86, 19. 221.
usio 86, 3. 220.
usu [con]venire 56, 16. 162.
ut *omissum* 31, 33. 121.
uterque — utrumque 64, 6. 181.
ut pote plurimum *pro quam potest plurimum* 52, 22. 150.
uti puerum devirginatum 69, 6. 191.
uvidus *de fructibus succo abundantioribus* 77, 7. 201.
uxor formosula provincialis 36, 2. 131.
uxorcula 30, 4. 117.
uxoris cingulum solvere 32, 10. 133.
— vitium aut tollendum aut ferendum est 19, 1. 108.

V.

vagare *pro vagari* 41, 3. 141. 76, 1. 200.
vallem facere 74, 10. 196.
vapor fulminis 53, 18. 154.
variare sermone coenulam 27, 5. 114.
Varro 93, 2. 232.
vasa pertusa 86, 19. 221.
vastitas inhospitalis 74, 4. 196.
vastitudo 52, 4. 150.
vegere lyram 63, 18. 176.
vegere *et* vigere 52, 22. 150.
vehi gradu tolutili 56, 1. 161.
— molliter *ibid.*
— vehiculo 37, 11. 133.
velites leves 6, 4. 94.
velocibus membris cedere 66, 8. 185.
velum aquale, frigidum *ventorum* 53, 10. 154.
venabulo sectari sues silvaticos 63, 8. 176.
venalem ponere tuniculam 57, 3. 167.
venarum rivos sanguine complere 39, 4. 138.
veneno tollere *aliquem* 82, 14. 213.
Veneris vocabula 2, 2. 90.
— bigas tenere 22, 4. 109.
— plenum esse 31, 49. 122.
— puellus, Adon 87, 1. 226.
veneriga spatule 53, 1. 153.
venire in desiderium *alicujus rei* 1, 4. 89.
— in somnis 31, 18. 120.
— in hospitium apud *aliquem* 52, 12. 150.
— questum ad novum magistratum 64, 4. 181.
— numero 69, 5. 191.
venit in solum 22, 3. 109.

ventare 31, 38. 121.
venti, phrenetici Septemtrionum filii 53, 17. 154.
ventrem cohercere 95, 7. 234.
ventris famem satullare 67, 2. 188.
Venus paeta 61, 4. 174.
verba obscena 2, 1. 90.
— olent alium ac cepe 11, 6. 101.
— in formam quandam conjicere 66, 15. 186.
verbum unumquodque statera auraria ponderare 71, 3 b. 193.
veretrum virile in frumen inmittere 53, 2. 153.
Veritas cana, Attices Philosophiae alumna 31, 29. 120.
vermiculata facies 86, 14. 221.
versuum pedatus tardor 11, 15. 101.
vertilabundus 27, 7. 114.
verutis sectari *aliquem* 63, 8. 176.
vesci cuminum 31, 18. 120.
vespertilionem fieri 2, 5. 91.
vestigia *alicujus* quaerere 2, 6. 91.
vestis casta 31, 41. 121.
— pulla 81, 18. 206.
vestispica 65, 1. 184.
vestitus sordidus 31, 46. 121.
vetulus canterius 1, 3. 89.
viae stelligerae aetheris 81, 16. 206.
viam deformare 81, 7. 206.
— desubulare 81, 8. 206.
— moenire 67, 1. 188.
viaticum addere in bulgam 82, 11. 213.
viator 80, 2. 203.
vibrare 33, 3. 129.
vicarius honestus 84, 2. 218.
vigere et vegere 52, 22. 150.
vigilium 27, 2. 113.
vigilabilis dormitio pectoris 82, 10. 213.
villis (*i. e. frequens*) sidus 95, 5. 234.
Vinalia, περὶ Ἀφροδισίων 94. 233.
vinariae cellae 86, 24. 221.
— cupae 30, 4. 117.
vincor *pro convincor* 63, 11. 176.
vincula publica 25, 6. 111.
vindicare *aliquem aliqua re* 7, 4. 95.
vineae tripales 36, 1. 131.
vini genera tria 96, 1. 236.
vini laudes 30, 6. 117.
— et Veneris plenum esse 31, 49. 122.
vinopocillum 30, 4. 117.
vinum cibarium 56, 15. 162.
— merum 31, 19. 120.
viratus 55, 6. 159.
virgindemia 2, 4. 91.
virgo acerba 2, 2. 90.
Virgula Divina 95. 233.
viriatus *v. s* viratus.
viridis labor fatilis 56, 11. 162.
virile veretrum 53, 2. 153.
virtus non comes caniludini 1, 3. 89.
— una mortalibus propria 12, 2. 104.
virtutis cupae acris aceti 81, 7. 206.
virus (*sc. genitale*) 96, 1. 236.
viscum tenax 7, 3. 95.
— (*i. e. rete*) fucatum 66, 1. 185.
vita liquida 80, 7. 204.
— se levare ferreo ensi 69, 4. 191.
vitae cursus 35, 1. 130.
— modulus 56, 13. 162.
vitam cernere sub armis 37, 12. 133.
— legendo et scribendo procudere 89, 3. 229.
— in os spuere *alicui* 69, 2. 191.
viticarpiferae forcipes 51, 1. 149.
vitium uxoris aut tollendum est aut ferendum 19, 1. 108.
vitreae togae 56, 8. 162.
Vitulus 70, 2. 192.
vivere in tenebris ac suili 74, 12. 196.
vivum deglubere *aliquem* 53, 10. 154.
vixent 56, 5. 162.
vocabula Veneris 2, 2. 90.
vocis suscitabulum 63, 15. 176.
vola 28, 2. 116. 86, 8. 220.
volabile currere 55, 8. 159.
Volumnius 53, 2. 153.
voluptatem auribus aucupari 36, 1. 137.
*volvae de subus 31, 22. 120. *adn.*
vomere aquam (*de nubibus*) 53, 16. 154.
Vulcanus, *ollarum deus* 11, 26. 101.
vulga *pro bulga* 82, 11. 213.

vulgare in vulgum 63, 6. 175.
vulgus (*mascul.*) 17, 2. 107.
vulpinari 59, 3. 169.

X.

xysti 86, 21. 221.

Υ.

Ὑδροχόων 96. 235.

Z.

Zenon 22, 25. 120. 81, 8. 206.
zonae quinque altitonae flammeae 24, 1. 110.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 2. lin. 16. lege: nec imparem eam materiae varietati condidit.

pag. 10. lin. 4. lege: quippe cujus liber sextus et septimus citari poterat.

pag. 12. lin. 20 et 30. pro Marii Victorini nomine restituendum nomen Terentiani Mauri.

ibid. lin. 22. lege: unde desumpsisset.

pag. 13. adn. 21. lin. 13. lege: undecunque pro undicunque.

pag. 21. lin. 3. corrige: ne operosam, pro nec perosam.

p. 26. lin. 12. lege: explicandam pro explicandum.

p. 33. lin. 23. corrige: et veluti in aures et oculos lectorum produceerent.

p. 37. lin. 19. post *φιλοσόφους* addendum *ἐπισκώπτει*.

p. 40. Versuum generibus, quibus Varronem in Saturis usum esse diximus, adde tetrametros jamb. catal., tetram. jamb. acatal. claudos et tetram. troch. claudos sive Hipponacteos. Tetrametros jamb. catal. habes in Satt. *Ὄνος λύρας* fr. 3. et *Errationis* fr. 1. Reliquorum duorum metrorum exempla reperiuntur prioris in *Μαρκοπόλεως, περὶ Ἀρχῆς* fr. 3., alterius in *Ἄμμον Μετρεῖς, περὶ Φιλαργυρίας* fr. 4.

ibid. lin. 13. in loco ex Varronis *Sexagesse* adlato videtur nunc rectissime emendatum a Lipsio esse Vivere cum patria pro eo quod in MSS. est: Vivere in patria. Hujusmodi enim hiatus nequaquam potest ferri.

p. 49. lin. 28. corrige: quo scilicet posset facilius sqq.

p. 56. lin. 17. emenda *Λόπας* pro *Δόπας*.

ibid. lin. 24. delendum conspicua.

p. 58. lin. 7. corrige: Quas librorum inscript. sqq.

p. 62. lin. 15. lege: *Quinquatrus* pro *Quinquatria*.

p. 63. in adn. lin. 5. emenda *Σκιαμαχίαν, περὶ Τύφου* pro *Σκ., περὶ Τύρου*.

p. 80. in adn. lin. 2. titulum Saturae lege: *Aborigin., περὶ Ἀνθρώπων Φύσεως*.

p. 83. lin. 12. lege: facultate breve judicium subj.

ibid. lin. 18. pro esae repone videre.

p. 84. lin. 17. in loco ex Varronis *Prometheo Libero* adlato legendum pupulae pro papulae.

p. 89. in adn. ad inscr. lin. 12. legendum Stoae cond.

p. 97. in adn. ad inscr. Sat. *Ἀνθρωπόπ., π. Γενεθλιακῆς* lin. 3. corrige diei pro dici.

p. 100. fr. 5. lege: sumpti pro sumptu.
p. 106. in adn. ad Sat. XVI, fr. 2. lin. 2. lege: feminini pro femini.
p. 113. in Sat. XXVII, fr. 2. pro superet reposuerim sumeret vel susciperet.
p. 117. in Sat. XXX, fr. 2. pro πίων corrige πιὼν.
p. 119. lin. 9. pro Athen. Desp. lege Athen. Deipnos.
ibid. in adn. ad inscr. Sat. XXXI, lin. 3. pro mentis repone mentes.
ibid. in Sat. XXXI, fr. 10. pro athleti lege athletae.
p. 120. in fr. 22. post voc. beluae comma ponendum et inserendum ande.
p. 121. in fr. 41. pro teneris species corrigendum teneri species.
p. 126. adn. ad fr. 34. Ut hic torrere sic alias urere et adurere de frigore usurpatur. V. Virg. Georg. I, 93. ibique Serv., Cic. Tusc. II, 16. ibique Davis., Heins. et Drakenborch. ad Sil. Ital. IV, 68, et quos laudat Hildebr. ad Arnob. adv. Nation. III, 23. p. 288.
ibid. adn. ad fr. 37. De tibiis in sacris Matris Deum usitatissimis vide etiam Zoegam Basirelievi tom. I, p. 104.
p. 131. lin. 16. pro apud quem repone apud quempiam.
p. 137. fr. 1. lin. 1. comma delendum post auribus.
ibid. fr. 1. lin. 3. (ubi v. meam adn.) pro feram [mi] ignoscite, reponendum feram mi [i]gnoscite.
p. 138. fr. 5. (v. adn.) Orbitum adjectivum video etiam defendi a doctissimo Hildebr. ad Arnob. l. l. p. 212.
ibid. fr. 9. Pro arida suspicor scribendum esse aride et referendum hoc ad participia amantis aestuantis.
p. 146. fr. 6. pro luci claro repone luci claro.
p. 150. fr. 9. corrige intra limites cui.
ibid. fr. 20. lege sacrificari pro sacrificare.
p. 153. in Sat. LIII, fr. 8. pro quid vellet haud dubie legendum quidquid vellet.
p. 154. fr. 18. punctum ponendum post cecidimus.
p. 157. in Sat. LIV, fr. 3. voc. fortuna, majusculo initiali scribendum.
p. 159. fr. 6. pro Atalantem repone Atalantam.
ibid. in adn. ad fr. 2. lin. 4. pro ex sede sue corrige ex sede sua.
p. 166. in inscr. Sat. LVII, corrige ΧΩΡΙΣΜΟΥ pro ΧΟΡΙΣΜΟΥ.
p. 169. fr. 5. tortasse emenda in fortasse.
p. 185. fr. 1. (cf. adn.) verba Lepusculi timentes per vocativum accipienda sunt.
p. 191. fr. 3. pro pracidi lege praecidi.
p. 201. fr. 7. post dapem comma delendum, quia praecedens caducam arcte conjungendum est cum De fronte Br. autumn.
p. 204. fr. 9. pro cesserent repone incesserent.
p. 213. fr. 8. pro Vivere in, qui hiatus nequaquam ferendum esse videtur, repone cum Lipsio et Popma Vivere cum.
p. 221. lin. 2. lege turdum pro turdam.
p. 226. ad fr. 1. De forma Adon, onis v. Oudend. ad Apul. Met. II, p. 155 sqq. Voss. Aristarch. tom. II, p. 585. ed. Eckst. et Munker. ad Fulgent. Myth. III, p. 724. ed. Stav.
p. 227. ad fr. 1. Cf. Hildebr. ad Arnob. adv. Nat. l. l. p. 247.
p. 234. ad fr. 10. De voc. caliendrum vide quae adnotavit Hildebr. ad Arnob. VI, 26. p. 528.

Christ. Heinecke:
Andeutungen über das Princip der Vermittelung im homerischen

Götter- und Helden-Dualismus.

1834. gr. 8. Preis: 1 Thlr. 8 Gr.

Rich. Bentleii:
Notae atque emendationes in

Q. HORATIUM FLACCUM

integrae. Nunc separatim usui critico diligentissime typis exscriptae. Cum ipsis indicibus Bentleianis. Curante *Jo. Fr. Sachse.* 1825. 8. Preis: 1 Thlr. 20 Gr. — Auf besserem Papier: 2 Thlr. 2 Gr.

Car. Ferd. Ranke:

POLLUX ET LUCIANUS.

Commentatio. 4 maj. 1831. Preis: 20 Gr.

Adolf Ziemann:
In Demosthenem

de bello Philippi Olynthico

commentatio. Edidit et epistolam adjecit *Car. Ferd. Ranke.* 1832. 4 maj. Preis: 16 Gr.

J. A. Pfau: Meditationes criticae de

Orationibus Thucydideis

scriptae. gr. 8. geh. Preis: 10 Gr.

Atlas antiquus.

Schul-Atlas der alten Welt. Nach d'Anville, Mannert, Kruse, Reichard u. A. bearbeitet. Nebst einem kurzen Abrisse der alten Geographie von *C. Herm. Weise.* 14 Blatt in grofs Querfolio. Preis: 1 Thlr. 12 Gr.

Enthält: 1) *Orbis terrarum.* 2) *Hispania.* 3) *Gallia.* 4) *Italia superior.* 5) *Italia inferior.* 6) *Germania.* 7) *Graecia.* 8) *Asia minor et Syria.* 9) *Palaestina.* 10) *Aegyptus et Arabia petraea.* 11) *Athenae cum Piraeo.* 12) *Acropolis.* 13) *Roma. Mons Capitolinus.* 14) *Campus Martius.*

13


3 2044 014 776 231